
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08161067 1

HORATII

CARMINA.

On trouve à la même librairie :

Publii Virgilii Maronis Opera accuratissimis et selectissimis notis *Abrami, Schrevelii, Juvencii et Variorum*; édition spéciale pour l'usage des colléges ecclésiastiques; 1 vol. in-12.

Juvenalis et Persii Satiræ expurgatæ, cum annotationibus *Juvencii;* 1 vol. in-12.

Terencii Comœdiæ expurgatæ, cum notis et interpretatione latina *Juvencii;* 1 vol. in-12.

QUINTI

HORATII FLACCI

CARMINA EXPURGATA

ACCURATISSIMIS NOTIS ILLUSTRAVIT

JOSEPHUS JUVENCIUS

SOCIETATIS JESU.

NOVISSIMA EDITIO.



PARIS.


IMPRIMERIE ET LIBRAIRIE CLASSIQUES

DE JULES DELALAIN

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITÉ

Rues de Sorbonne et des Mathurins-Saint-Jacques.

M DCCC LIV.



THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
120632B

HORATII VITA.

Natus est Horatius, anno ab urbe condita 689, Venusiæ in Apulia, patre libertino, at locuplete, a quo Romam ductus, et inter senatorum equitumque pueros liberaliter est educatus. Annos natus admodum 19, Athenas petiit. Ibi philosophiæ operam dabat, quum Brutus, Cæsare percusso, *fugiens* in Macedoniam, illum Athenis abstraxit, et militum tribunum in suo exercitu esse jussit. Commisso ad Philippos prælio, in quo cæsus est Brutus, fugam arripuit Horatius; ac Romam, facto ad Palinurum Italiæ promontorium naufragio, vix appulit. Mox, inopia cogente, versus factitare cœpit, quos legerunt Virgilius et Varius, poetarum in urbe tum principes, ac Mæcenati, viro nobili, summa apud Augustum gratia, et eruditorum patrono, laudavere. Is Horatium vocat, probat, ac paucis post mensibus in suorum numero esse jubet : simulque ipsi veniam ab Octavio Cæsare, qui postea Augustus dictus est, impetrat, quod Bruti et Cassii partes secutus esset. Fuit ipsi quoque Augusto carissimus et acceptissimus. Obiit anno ætatis 57, U. C. 746, eodem quo Mæcenas, juxta quem in Esquiliis conditus est. Quod ingenium, qui mores, quæ religio viri fuerit, e scriptis patet. Corpore obesum, brevem, lippum, præcanum, ipse se fuisse commemorat.

TESTIMONIA VETERUM DE HORATIO.

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit ausonia carmina culta lyra.
OVIDIUS, *Trist.* lib. IV, eleg. 10.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
PERSIUS, Sat. I.

Lyricorum Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis et gratiæ, et variis figuris, et verbis felicissime audax.
QUINTILIANUS, lib. X, c. I.

DE METRIS HORATIANIS

SEU VARIIS CARMINUM GENERIBUS

QUIBUS CONSTANT ODÆ HORATII.

I. Primum genus est earum, in quibus sunt omnes versus choriambici asclepiadei tetrametri : qualis est ode 1, lib. 1, *Mæcenas atavis, etc.* Vocantur choriambici, quia in illis præcipuum locum obtinet pes choriambus, qui componitur ex choræo, sive trochæo, et iambo, id est, ex longa et brevi, brevi et longa. Asclepiadei vocantur ab auctore : inventus enim fertur iste versus ab quodam Asclepiade. Tetrametri denique, quia pedes 4 habent quorum 1 est spondeus, 2 et 3 choriambus, 4 pyrrichius, constans e duabus brevibus.

Mæcē | nās ătăvīs | ēdĭtĕ rĕ | gĭbŭs |

Potest etiam aliquis eumdem versum metiri aliter, si nempe interponatur cæsura in medio.

Mæcē | nās ătă | vīs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs |

Porro quum ode uniusmodi versibus constat, vocatur monocolos : quæ vox græca μονόχωλος significat esse partes omnes unius formæ ac speciei. Quando duplicis generis sunt versus in ode, vocatur illa dicolos; quando triplicis, tricolos; quadruplicis, tetracolos, etc.

Rursum, quando versus iidem et ejusdem generis recurrunt; si alternis id fiat, id est, si post alterum quemque versum, vocatur ode distrophos (quæ vox græca δίστροφος id significat); si post tertium quemque versum, tristrophos; si post quartum, tetrastrophos; quia ille ordo versuum, qui indentidem revertitur, Græcis est στροφή, Gallis, *stance, couplet.*

Denique, si pes nullus, nulla syllaba desit, aut abundet, versus vocatur acatalectus : si desit una syllaba, vocatur catalectus; si pes totus desit, brachycatalectus; si abundet unus pes, hypercatalectus, vel hypermeter.

II. Genus odarum, est earum, in quibus primi quique tres versus sunt hendecasyllabi (hoc est, undecim syllabarum) sapphici (a sappho inventi) acatalecti, sive quibus nihil deest; pentametri, sive quinque pedibus constantes, quorum 1 est trochæus, 2 spondeus, 3 dactylus, 4 et 5 trochæi. Quartus autem quisque versus est adonius (ab Adone inventus) dimeter, hoc est 2 constans pedibus, nempe dactylo et spondeo. Talis est od. 2 libri 1.

Jām să | tĭs tēr | rīs nĭvĭs | ātquĕ | dīræ |

Similes sunt duo sequentes : quartus;

Tērrŭĭt | ŭrbēm |

Tota ode est dicolos tetrastrophos.

III. Ode dicolos distrophos, in qua primus quisque versus est choriambicus glyconius (ab Glycone inventore) acatelectus, trimeter, id est pedes ternos habens, quorum primus est spondeus, 2 choriambus, 3 pyrrichius. Secundus vero quisque versus est asclepiadeus, de quo dictum est in primo genere odarum. Talis est ode 3 lib. 1.

Sīc tē | Dīvă pŏ | tēns Cyprĭ |
Sīc fră | trēs Hĕlĕ | næ | lūcĭdă | sīdĕră |

IV. Ode dicolos distrophos, in qua primus quisque versus est dactylicus, archilochius, heptameter. Dactylicus dicitur, quia in eo maxime regnat pes dactylus : archilochius, quia inventus, et usurpatus ab Archilocho, poeta græco lyrico : heptameter, quia 7 constat pedibus, quorum 4 primi sunt dactyli, mixtis tamen ad arbitrium, ut in versu heroico fit, spondeis; tres postremi semper sunt trochæi. Secundus vero quisque versus iambicus, hexameter, catalectus, constans sex pedibus, dempta una syllaba. Primus est spondeus, vel iambus, 2 iambus, 3 spondeus, 4, 5 et 6 iambi. Talis est ode 4 lib. 1.

Sŏlvĭtŭr | ācrĭs hĭ | ēms gră | tā vĭcĕ | vērĭs |
ĕt Fă | vōnĭ |
Trăhūnt | quĕ sīc | cās măchĭ | næ că | rīnās |

Secundus versus aliter dividi potest, nempe interposita in medio versu cæsura; et sic tres pedes ultimi erunt trochæi.

Trăhūnt | quĕ sīc | cās | măchĭ | næ că | rīnās |

V. Ode tricolos tetrastrophos, in qua primi quinque duo versus sunt asclepiadei, qualis est in primo genere explicatus. Tertius autem quisque, pherecratius, ab auctore Pherecrate sic dictus; heroicus, quia videtur esse pars versus heroici, seu hexametri; trimeter, quia tres pedes habet, spondeum, dactylum, spondeum. Quartus quisque est glyconius, de quo dictum in 3 genere. Talis est ode 12 lib. 1.

O nā | vīs rĕfĕ | rēnt | īn mărĕ | tē nŏvĭ |
Flūctūs | ō quĭd ă | gīs | fortĭtĕr | ōccŭpă
Pōrtūm | nōnnĕ vĭ | dēs ūt |
Nūdūm | rēmĭgĭ | ō lătūs.

VI. Ode dicolos tetrastrophos. Primi quique tres versus sunt asclepiadei; quartus glyconius. Talis est ode 5 lib. 1.

Scriberis Vario, etc.

VII. Ode dicolos distrophos. Primus versus est hexameter heroicus; secundus est dactylicus alcmanius tetrameter. Dicitur dactylicus, quia frequentiores in eo sunt dactyli; alcmanius, quia inventus ab Alcmane, græco poeta; tetrameter, quia 4 habet pedes, nempe similes 4 ultimis versus heroici hexametri. Talis est ode 6 lib. 1.

Laūdā | būnt ălĭ | ī clā | rām Rhŏdŏn | aūt Mĭtȳ | lēnēn |
Aūt Ephĕ | sūm bĭmă | rīsvĕ Cŏ | rīnthī |

VIII. Ode dicolos distrophos. Primus quisque versus est aristophanius dimeter, constans e duobus pedibus, nempe choriambo, et bacchio. Pes autem bacchius ita dicitur, quia in hymnis Bacchi sæpe adhibebatur : constat ex una brevi et 2 longis. Talis est versus ode 7 lib. 1.

Lydĭă dīc | pĕr ōmnēs |

Aristophanius appellatur ab auctore illius Aristophane, poeta comico, apud Græcos celeberrimo. Secundus quisque versus est

alcaicus (ab Alcæo inventus) tetrameter, quia 4 pedes habet. Primus est epitritus, 2 et 3 choriambus, 4 bacchius.

Tē dĕōs ō | rō sȳbărīm | cūr prŏpĕrēs | ămāndō |

Porro pes epitritus ita vocatur, quia supra 3 syllabas, unam habet. Quadruplex est; 1 ex iambo et spondeo compositus, ut *vŏlūptātēs*, 2 ex trochæo, et spondeo ut *cōncĭtātās*, 4 e spondeo, et iambo, ut *cōmmūnĭcānt*, 3 e spondeo, et trochæo, ut *ĕxspēctārĕ*. Potest hujus odæ primus versus aliter secari; nempe,

Lydĭă | dīc pĕr | ōmnēs |

IX. Ode alcaica tricolos tetrastrophos. Dicitur alcaica; quia inventa fuit ab Alcæo, lyrico poeta clarissimo. Primi quique duo versus sunt iambici senarii brachycatalecti; qui appellari quoque possunt dactylici pentametri catalecti. Constant illi ex iambo, vel spondeo, deinde iambo, postea spondeo, tum anapæsto, denique iambo. Si aliter metiaris, ac esse dactylicos velis, constabunt ex iambo, vel spondeo, tum iambo, cæsura, et duobus dactylis. Talis est ode 8 lib. 1.

Vĭdēs | ŭt āl | tā stēt | nĭvĕ cān | dĭdūm |
Vĭdēs | ŭt āl | tā | stēt | nĭvĕ | cāndĭdūm |

Tertius quisque versus est iambicus dimeter, sive 4 pedibus constans (nam in versibus iambicis una mensura 2 pedes complectitur) : hypercatalectus, sive abundans una syllaba, post 4 pedes.

Sīlvæ | lăbō | rāntēs | gĕlū | quĕ |

Quartus quisque versus est dactylicus alcaicus, constans pedibus quatuor, duobus dactylis, duobus trochæis.

Flūmĭnă | cōnstĭtĕ | rīnt ă | cūtō |

X. Ode monocolos, in qua sunt omnes versus choriambici alcaici pentametri, qui constant e spondeo, tribus choriambis, et pyrrichio. Talis est ode 10 lib. 1.

Tŭ nĕ | quæsīĕrĭs | scīrĕ nĕfās | quēm mĭhĭ quēm | tĭbĭ |

Possis etiam metiri versum istum aliter, cæsuris interpositis.

Tū nē | quæsĭĕ | rīs | scīrĕ nĕ | fās | quēm mĭhĭ | quēm tĭbĭ |

XI. Ode dicolos distrophos, in qua primus quisque versus est iambicus dimeter catalectus : constat enim 4 pedibus; sed una syllaba deest, nempe prima. Talis est ode 15 lib. 2.

Nōn | ĕbūr | nĕqu' aū | rĕūm |

Si velis pendulam et abundantem syllabam in finem versus rejicere, facies ex iambico trochaicum, et sic metiere :

Nōn ĕ | būr nĕ | qu' aūrĕ | ūm |

Secundus versus est iambicus trimeter catalectus, constans sex pedibus, dempta una syllaba.

Mĕā | rĕnī | dĕt īn | dŏmō | lăcū | nār |

XII. Ode dicolos distrophos, in qua primus quisque versus est heroicus hexameter; secundus quisque est dactylicus dimeter hypercatalectus, constans 2 dactylis, et syllaba. Talis est ode 6 lib. 4.

Dĭffū | gērĕ nĭ | vēs rĕdĕ | ūnt jām | grāmĭnă | cāmpīs |
Arbŏrĭ | būsquĕ cŏ | mæ |

XIII. Ode dicolos distrophos, in qua primus versus est iambicus trimeter, sive sex pedibus constans; secundus iambicus dimeter, duabus constans mensuris, sive pedibus 4. Ejus generis est ode 1 lib. Epod.

Ibīs | Lĭbūr | nīs īn | tĕr āl | tă nā | vĭūm |
Amī | cĕ prō | pūgnā | cŭlă |

Aliud quoddam genus est huic simile, in quo, pro versu primo iambico, ponitur heroicus hexameter.

Mōllĭs ĭn | ērtĭă | cūr tān | tām dĭf | fūdĕrĭt | īmīs | ōblī |
vĭō | nēm sēn | sĭbūs |

XIV. Ode dicolos distrophos, in qua primus quisque versus heroicus hexameter, secundus vero archilochius hexameter hypercatalectus, constans 4 iambis, 2 dactylis, et una syllaba. Talis est od. 10 lib. Epod.

Hōrrĭdă | tēmpēs | tās cœ | lūm cōn | trāxĭt ĕt | īmbrēs |
Nĭvēs | quĕ dē | dūcūnt | Jŏvēm | nūnc mărĕ | nūnc sĭlŭæ |

Quidam hanc oden faciunt tricolon tristrophon, et secundum versum in duos secant, quorum primus est iambicus dimeter.

Nĭvēs | quĕ dē | dūcūnt | Jŏvēm |

Alter est dactylicus archilochius, de quo dictum in duodecimo genere.

Nūnc mărĕ | nūnc sĭlŭ | æ |

Huic affine est generis aliud, in quo dactylicus archilochius præponitur iambico dimetro, et in primo loco, pro heroico hexametro, ponitur iambicus trimeter.

Pĕtĭt | nĭhīl | mē sīc | ŭt ăn | tĕā | jŭvăt |
Scrībĕrĕ | vērsĭcŭ | lōs |
Amō | rĕ pĕr | cūlsūm | grăvī |

In quo genere, quidam duos illos versus in unum conflant, hoc modo :

Scrībĕrĕ | vērsĭcŭ | lōs | ămō | rĕ pĕr | cūlsūm | grăvī |

XV. Ode dicolos distrophos, cujus primus quisque versus est heroicus, secundus vero iambicus. Talis est ode 11 lib. Epod.

Altĕră | jăm tĕrĭ | tūr bĕl | līs cĭ | vīlĭbŭs | ætās : |
Sŭīs | ĕt īp | să Rō mă vī | rĭbŭs | rŭĭt |

Ultimum genus est earum in quibus sunt omnes versus iambici trimetri. Talis est ode 17 lib. Epod. *Jamjam efficaci*, *etc.*



APPENDIX DE DIIS
ET HEROIBUS POETICIS.

I. DE MAJORIBUS ET MINORIBUS ETHNICORUM DIIS.

Caput I. Saturnus.

Deorum antiquissimus habebatur Cœlum. Duo ejus filii celebrantur a poetis, Tempus, sive Saturnus et Titanus. Hic, etsi priore loco genitus foret, eique proinde imperium orbis deberetur, jus tamen suum remisit, concessitque Saturno, rogante Vesta matre, sed ea tamen lege, ut Saturnus masculam prolem educaret nullam. His ita constitutis, Saturnus mares statim editos devorabat, invita vehementer uxore, quæ uno partu Jovem et Junonem enixa, solam Junonem ostendit Saturno, Jovem occultavit. Sensit dolum Titanus, ac Saturnum acie victum in vincula conjecit. Is liberatus postea fuit per Jovem filium suum, a quo Titanes, bellum pro Titano patre redintegrantes, fuere profligati. Saturnus vinculis liberatus, quum in fatis esse cognovisset futurum, ut ab eodem Jove regno spoliaretur, illi struxit insidias, ac bellum etiam indixit. (Ovid. *Metam.*, lib. 1.) Jupiter debellatum patrem cœlo expulit. Saturnus, amisso cœlo, in eam Italiæ partem, ubi Roma condita postmodum est, venit, quæ Latium fuit appellata, quod ibi latuisset. Extorrem deum Janus, Latii rex, benigne accepit, ac vicissim a Saturno donatus est insigni prudentia, cujus ope meminerat præterita, futura prospiciebat : unde biceps, seu bifrons, appellatur. Eo regnante, mores optimi artesque viguerunt, quæ illi ætati nomen aureæ fecerunt. Saturni festa dicebantur Saturnalia, et decembri mense celebrata sunt per dies primo tres, deinde quatuor, tum quinque, ac plures. Per eos dies senatus non habebatur, vacabant scholæ; munera ultro citroque mittebantur ab amicis; de sontibus supplicium sumere, ac bellum indicere, nefas; servis mensæ accumbentibus ministrabant domini, et servorum vicem implebant, ad refricandam videlicet memoriam pristinæ, quæ florebat Saturno regnante, libertatis, quum nemo serviret.

Janus, de quo proxime facta mentio est, pingebatur cum clavi et virga. Virgam gerebat, quasi viarum præses; clavim, quia domorum januas et seras invenisse credebatur; ab eo januarius mensis invenit nomen; aræ duodecim eidem ponebantur, pro numero mensium ; utque sunt anni tempestates quatuor, ita quatuor ipsi frontes aliquando datæ. In omnibus sacrificiis appellabatur primo loco, quippe qui primus aras et sacrorum ritus instituisset. Ejus templum Romæ claudebatur pace composita; patebat flagrante bello.

CAPUT II. CYBELE ET CERES.

Cybele, Saturni uxor, varia sortitur apud poetas nomina. Dyndimene vocabatur, Berecynthia, et Idæa, a montibus Phrygiæ Dyndimo, et Berecyntho Ida, ubi præcipue colebatur. Magna mater, quia dii plurimi, maximique, ex ea nati : Ops, et Tellus, quia, ut Saturnus cœlo, sic illa terræ præerat, opemque mortalibus ferebat : Rhea, quia e terra fluunt omnia, et gignuntur. Dicta quoque Vesta reperitur : vulgo tamen Vesta Saturni mater, non conjux, ponitur. Itaque duas aliqui Vestas constituunt, unam Cœli conjugem et matrem Saturni : alteram juniorem, et Saturni filiam. Seniorem eamdem esse cum Cybele, ac Tellure, censent. Pingebatur illa sedens, quia terra stat, suis librata ponderibus ; tympanum gerebat manu, quia terra ventos sinu continet, qui erumpunt inde cum fragore ; aderant circum belluæ ; curru vehebatur, quem trahebant leones ; caput floribus plantisque, sæpius corona e turribus et murorum pinnis conflata, cingebatur. Junior Vesta igni præerat, eique aram Numa Pompilius consecravit, et ignem in ara perpetuum foveri jussit, cujus alendi curam virginibus Vestalibus demandavit. Si casu exstingueretur, indicebatur justitium ; et publica, privataque negotia intermittebantur, donec prodigium illud infaustum expiatum fuisset : si Vestalium incuria, graviter in eas animadvertebatur. Quotannis renovabatur ignis ille, kalendis martiis, petita non ab igne alio, sed a sole, flamma. Cybeles festa, Megalesia vocabantur : sacerdotes dicebantur Galli, a Gallo, Phrygiæ fluvio, cujus aqua epota, in rabiem versi lacerabant se cultris, caput rotabant, et adversis frontibus inter se velut arietabant : unde illis etiam Corybantes nomen fuit. Tondebant iidem comam in priori capitis parte, stola muliebri erant induti ; Jovem in Creta insula aluerant : quas ob causas Curetes pariter dictos volunt. Denique reperiuntur appellati sæpe Dactyli idæi ; Dactyli quidem (quæ vox Græca *digitos* significat) quia decem, quot in manibus digiti, erant ; vel quod, instar digitorum, quibus manus ambæ utuntur, divæ præsto essent ad omne sacrorum obsequium. Idæi vero, quia Idam, Phrygiæ montem, incolebant. Sacra Cybeles celebrabant inconditis clamoribus, fistulis, tibiis ac tympanis percrepantibus. Romæ a feminis fiebant eadem in templo ac loco secreto, quod Opertum nuncupabant, exclusis viris.

Saturni et Opis, seu Cybeles, filia Ceres fuit, dea frugum, et inventrix frumenti. Quamobrem cum spicea corona pingitur, et plenis uberibus, ex quo mammosæ et almæ nomen est adepta, quod omnes alat. Facem gestabat, quia filiam Proserpinam a Plutone raptam diu quæsivit (*Metam.*, lib. 5), quumque somnum præ mœrore capere non posset, ei papaver edendum præbuisse Jupiter dicitur, cujus ea vis est ut somnum conciliet. Hinc papavera manu tenebat. Usa est Triptolemo adjutore ad monstrandam hominibus serendi artem (*Metam.*, lib. 5). Erat hic eleusini regis, apud quem Proserpinam quærens Ceres diverterat, filius.

a.

In eodem oppido Eleusi cœpta sunt primum peragi Cereris sacra, Eleusina dicta : in iis incredibile servabatur silentium, ac summum nefas putabatur ex illis aliquid evulgare. Alia duo Cereris festa memorantur in scriptoribus antiquis: Thesmophoria, quia Ceres Atheniensibus leges descripserat; et Ambarvalia, instituta ad fertilitatem et ubertatem impetrandam arvis, quæ tunc ambiebantur a supplicantibus, unde festo nomen. Vinum ab aris Cereris amovebatur : immolabatur illi porcus, quia fruges et sata rostro eruit. Agrorum limitibus præerat deus Terminus : ejus festa, Terminalia dicebantur. Cererem in Græcia regnasse narratur, artemque agros colendi tradidisse : ac per eam factum ut Græcia suis frugibus uteretur, quum antea frumento aliunde importato vixisset.

Caput III. Jupiter.

Jupiter, Saturni et Cybeles filius, postquam patrem egisset in fugam, regnum mundi cum fratribus ita divisit, ut cœlum sibi vindicaret; aquas Neptuno, inferos Plutoni regendos permitteret. Non diu tranquillum regnum habuit. Tellus enim, Titani uxor, dolens filios suos Titanas a Jove interfectos, Gigantes procreavit, *mole* viribusque spectandos; qui, congestis in cumulum montibus, Jovem cœlo detrudere aggressi sunt (*Metam.*, lib. 1 et 14). Sed fulminibus dejecti, et suis obtriti montibus, pœnas Jovi dedere. Vocati ab illo in belli et periculi partem dii, quum se imparem unum tot hostibus crederet, sic Gigantum conspectu perterrefacti sunt, ut omnes in Ægyptum fugerint, ibique sub variis animantium formis latuerint (*Metam.*, lib. 5). Hinc factum ut belluas Ægyptii colerent pro numinibus. Bacchus tamen specie leonis indutus rem strenue aliquantisper gessit, hortante Jove, et Evohe, εὖ υἱέ, id est, *Euge fili,* ingeminante. Jupiter, pacatum adeptus regnum, curam ad formandos homines contulit. Eum imitatus Prometheus, finxit statuas quasdam hominum ex argilla, illasque rapto e curru Solis igne animavit (*Metam.*, lib. 1). Promethei temeritatem indigne ferens Jupiter, negotium Vulcano dedit, ut eum in Caucaso monte religaret : addidit vulturem, qui laniaret viscera, in novos cruciatus semper renascentia. Severitatem Jovis inique tulerunt ceteri dii, ac doluerunt quod sibi uni formandorum hominum jus arrogaret. Quare, collatis studiis et muneribus, mulierem effinxere, quam Pandoram appellarunt, quasi ex omnium donis conflatam. Jupiter, superum arrogantiam ulturus, illi capsulam dedit, infelix munus; in eam quippe congesta erant omnia naturæ mala. Hanc Pandora quum detulisset ad Epimetheum, Promethei fratrem, ille, impulsus curiositate prava, sive, ut alii narrant, ejus uxor, capsulam aperuit, ex eaque pestes omnis generis in orbem terrarum evolarunt, sola spe in fundo capsulæ relicta. Hinc ætas ferrea et scelerum colluvies nata est. Jovem non unum in Creta regnasse doctorum opinio est : omnium celeberrimum Abrahamo supparem Eusebius facit. Patrem spoliavit regno, quod ita cum su-

fratribus Neptuno et Plutone divisit, ut ipsi regiones ad ortum sitæ, Plutoni occidua pars insulæ, Neptuno maritimi tractus obtigerint. Hinc Jupiter cœli, Neptunus maris, Pluto inferorum rex numenque dictus est. Jovis nomine apud poetas aer ut plurimum significatur, sive cœlum : ut nomine Junonis, quæ Jovis conjux, terra, quia e cœlo terraque omnia gignuntur. Ejusdem Jovis varia sunt apud scriptores profanos nomina : hæc frequentiora. *Diespiter* vocatur, quasi diei pater : *Feretrius*, vel quod hostes feriret, vel quod in ejus templum ferrentur opima spolia. *Stator* (ita est a Romulo dictus), quod Romanorum contra Sabinos pugnantium fugam stiterat : *Xenius* sive *Hospitalis*, quia gerebat hospitum curam. *Vejovis* et *Vedius* tunc appellabatur, quum rogabatur ne quid inferret mali, et inter sinistra noxiaque numina censebatur : factæ voces istæ sunt et interjectione *væ*, quæ mali ominis est, et duplici genitivo, altero græco, altero latino : *Jovis* scilicet et Διός.

Caput IV. Juno.

Juno, Jovis soror et conjux, matrimoniis præerat, ac partubus feliciter edendis : tumque Pronuba, Lucina, et Ilithyia, nominabatur (*Metam.*, lib. 9). Ejus filia Hebe, juventutis dea, nectar Jovi tamdiu miscuit, dum ejus locum Ganymedes, a Jove in aquilam mutato raptus, occupavit (*Metam.*, lib. 9 et 10). Edidit etiam Juno Martem, belli armorumque præsidem, cujus soror Bellona, sive Enyo : denique Vulcanum, sed distortum et informem. Horruit partum degenerem Jupiter, et calce in terras dejecit. Vulcanus, crure inter cadendum fracto, claudus remansit. Jupiter, ut infortunium hoc solaretur, illum præfecit fabricandis fulminibus. Officinæ Vulcani Lemnos, Lipara, Ætna : adjutores et administri fuere Cyclopes, ita dicti, quod unum in fronte media oculum haberent. Ceterum offensus Jupiter et arrogantia Junonis, et postremo partu, eam fastidire cœpit. Palladem, e fecundo capite productam, bello pariter præesse litterisque voluit. Vulgo tamen, quum litterarum est præses, Minerva nuncupatur. Olea ipsi dicata erat, pacis insigne : nam et pace gaudent litteræ, et belli finis præmiumque pax esse debet (*Metam.*, lib. 6). Ab Atheniensibus præcipue culta fuit. Interim Juno, ira invidiaque flagrans, quum maritum infidum observare vellet, illi custodem apposuit centum oculis præditum, Argum nomine. Molestum observatorem Jupiter opera Mercurii obtruncavit (*Metam.*, lib. 1) : ejus oculos Juno indidit pavonis caudæ. Argum ipsum, ut alii volunt, in pavonem mutavit. Junonis famula et nuncia Iris fuit, quamvis operam aliquando Jovi ceterisque diis navaret. De Marte, addo, illum Gradivum appellari solitum, quando sæviebat : *gradior* enim proprie de militibus in aciem procurrentibus dicitur : Quirinum vero, cum tranquillus et mitis erat : sumpto nomine a Sabino vocabulo *curis*, seu *quiris*, quod hastam significabat. Id nominis Romulo quoque, Martis filio, tributum est. Salii, Martis sacerdotes, urbem obibant saltando, et ancilia (clypeolos sacros) circumferendo.

Caput V. Apollo.

Jupiter, spreta Junone, Latonam adamavit, ex eaque suscepit Apollinem et Dianam. Priusquam in lucem ederentur, Juno Terram obsecravit, ut nullum Latonæ, ubi consistere posset ac parere, locum relinqueret (*Metam.*, lib. 6). Promisit Terra excludendam omnibus locis Latonam, præterquam ab insula Delo, quæ tunc fluitabat incerto mari, ac fere semper fluctibus erat obruta. Sed Neptunus, Latonam miseratus, Delum stabilem reddidit, ac jussit emergere. Hinc Apollo Delii cognomen est nactus ab insula natali. Ejus filius Æsculapius, quum artem medicam a patre et a Chirone Centauro didicisset, tantum in ea profecit, ut Hippolytum, Thesei filium, a monstris marinis discerptum, ad vitam revocaret (*Metam.*, lib. 2 et 15). Quo facto Jupiter auctoritatem suam lædi ratus, Æsculapium fulmine percussit. Apollo vicissim Cyclopes, fulminis fabricatores, quoniam sævire in Jovem ipsum non poterat, interemit. Exarsit iracundia gravi Jupiter, et Apollinem, cœlo pulsum, divinitate per aliquot annos spoliavit. Redactus in ordinem Apollo multis incommodis afflictatus est; ac, ne periret fame, operam suam locavit Admeto, Thessaliæ regi, cujus greges pascendos accepit (*Metam.*, lib. 2). Hinc deus pastorum habitus fuit, eique immolabatur lupus, ovium pestis. Armenta sic pascentem aliquando vidit Mercurius, eique vaccam dolo surripuit: mox ipsam ejusdem humeris furtim pharetram detraxit. Daphne in laurum ab eo mutata fuit (*Metam.*, lib. 1). Hyacinthus, quem disco imprudens colludentem interemerat, in florem cognominem mutatus est (*Metam.*, lib. 10). At Hyacinthi parentes Apollinem, ut pœnas expeterent, insecuti, fugere coegerunt in Troadem, ubi incidit in Neptunum, cœlo pariter exsulantem, irato Jove, in quem cum diis aliquot conjuraverat. Ambo ad Laomedontem, qui Trojam tunc ædificabat, confugiunt, ac pacto pretio navant operam construendis Trojæ mœnibus (*Metam.*, lib. 11). Quum promissam mercedem negaret Laomedon, conspirarunt in perjurum regem, ejusque civitatem Neptunus, immissis aquis, evertit magna ex parte; Apollo pestilentia regionem devastavit. Tot malis remedium quæsivit Laomedon, oraculo consulto. Responsum est placandos Apollinem ac Neptunum, objecta monstris marinis trojana quotannis virgine: sors Hesionem, regis ipsius filiam, neci addixerat. Hercules ita se liberaturum illam spopondit, si Laomedon quosdam insignes equos sibi daret (*Metam.*, lib. 11). Promisit rex; at, liberata filia, monstris abactis et interfectis, Herculem indonatum irrisumque valere jussit. Hercules, justo furore percitus, obsedit urbem, cepit, ac regem interfecit. Interea mitigatus Jupiter cœlum Apollini ac divinitatem reddidit. Apollo pristinum decus non modo recuperavit, sed magna etiam accessione cumulavit. Nam in cœlo lucis orbi dividendæ munus recepit, quod antea gerebat, etsi provinciam hanc aliqui poetæ tribuant uni e Titanibus, quem Titanem, et Hyperionem dixerunt. Hunc alii Solis ipsius patrem

faciunt. Solem Ægyptii Horum appellabant : Persæ, Mithram. In terris vero edere cœpit oracula, præsertim Delphis, ubi sacerdos responsa dabat insidens cortinæ, sive tripodi, tecto pelle serpentis Pythonis, olim ab Apolline interfecti (*Metam.*, lib. 1). Præterea invenit artem canendi, et Marsyam satyrum, a quo fuerat provocatus, victum cantando, exuit pelle (*Metam.*, lib, 6). Eamdem canendi artem et poesim docuit Musas, Jovis et Mnemosynes filias. Novem recensentur : Calliope, Clio, Erato, Thalia, Polyhymnia, Urania, Melpomene, Terpsichore, Euterpe. Parnassum una cum Apolline incolebant (*Metam.*, lib. 5). Inter Apollinis filios celebratur Phaethon, qui paternum currum, temere expetitum, quum male regeret, a Jove percussus, et in Eridanum deturbatus est. Ejus sorores Heliades in populos mutatæ (*Metam.*, lib. 2).

Inter Apollinis liberos nonnulli numerant Auroram. Hæc Tithonum, Laomedontis filium, habuit in matrimonio, eique immortalitatem a Jove impetravit; nec tamen obtinere potuit, ne senesceret. Itaque senio fractus, in cicadam ut mutaretur, exoravit. E Tithono genuit Aurora Memnonem, qui Priamo suppetias, in trojano bello, tulit. Ab Achille interfectus, a matre diuturnis lacrimis, quæ rorem effecere, deploratus est, et ex ejus rogo natæ aves Memnonides (*Metam.*, lib. 13). Illi statuam Ægyptii posuerant, quæ, solis orientis primoribus radiis icta, sonum canoræ voci similem edere jactabatur.

Caput VI. Diana.

Diana, soror Apollinis, eadem in cœlo Luna, in terris Diana, in inferis Hecate, dicebatur. Hinc triformis diva, triceps Hecate, a poetis nuncupatur. Venationi præsertim addicta venatoribus præfuit. Eadem virginitatem perpetuo coluit, et Actæonem venatorem, quod in eum, ubi se cum nymphis lavabat, locum imprudens venisset, mutavit in cervum (*Metam.*, lib. 3). Insigne templum habuit Ephesi, et inter septem orbis miracula numeratum : aram quoque in Taurica Chersoneso, ad Pontum Euxinum, in qua ipsi homines immolabantur, præsertim si qui naufragio ad istas oras ejecti fuissent.

Caput VII. Bacchus.

Jupiter e Semele suscepit Bacchum, quem narrant, quum ante tempus in lucem exiisset, insertum fuisse Jovis femori, donec menses legitimi partus implerentur (*Metam.*, lib. 4). Ætate provectior peragravit orbem terrarum, deque India triumphavit. Invenisse vinum fertur, eique caper immolabatur, quia vitium gemmas arrodit. Primus etiam aratro boves subjunxisse memoratur : quam ob causam ejus capiti affiguntur cornua, quæ pariter indicant robur et audaciam ebriosis familiarem. Sacra illi quoque hedera, quia vini fumos nativo frigore discutere creditur. Ea involutum et pampinis jaculum gestabat, quem thyrsum voca-

bant. Eodem instructæ feminæ, sparsis comis ululantes, sacra Bacchi celebrabant : Trieterica illis nomen, quia tertio quoque anno recurrebant : et Orgia, ob furorem, quo istæ Bacchantes, pellibus tigridum et pantherarum indutæ, nonnunquam armatæ facibus, per invios montes vagabantur, præsertim in Thracia (*Metam.*, lib. 4 et 11). Præter illius nomina, quæ exposuimus lib. 4 *Metam.*, vocabatur etiam Dionysius, sive Dionysus, a Jove, ipsius patre, et ab urbe Nysa, ubi regnavit; vel a nysæis nymphis, a quibus educatus. Apud Latinos vulgo Liber dicebatur, quia ebrio liberius nihil, nihil ab omni cura solutius. Huic nomini respondet græcum *Lyæus*. Hinc ejus festa vocabantur apud Græcos Dionysia; apud Latinos vero Liberalia, sive Bacchanalia. Peculiaria quædam celebrabantur in Atticæ pagis, Ascolia nuncupata, a voce græca, quæ utrem significat. Statuebant itaque utres hircinos in prato, inflatos, et oleo inunctos. Saltabant per hos rustici unico tantum pede : nam alterum erectum, et in aere libratum, habebant. Qui cadebant (quod proprio vocabulo *cernuare* dictum est a Romanis, eadem subinde festa imitatis), risu agrestis coronæ et cachinnis excipiebantur. (Consule Lacerdam, lib. II *Georg.*, versu 384.) Sunt qui adumbratum in Baccho fuisse velint Nemrod, qui hebræa voce Bar-Chus, id est, Chusi filius, appellatur. Sunt qui Moysem in eo expressum pugnent, ac multa proferunt a poetis attributa Baccho, quæ plane in Moysem quadrant. Plerique omnes Noemum in eo depictum censent, satorem vitis, ac vini sive monstratorem, sive reparatorem. In eam sententiam explicant quæ poetæ de Baccho tradunt : nempe a Naiadibus fontium nymphis præsidibus educatum fuisse, ut vinum aqua temperandum docerent. Pingunt eumdem puerili semper vultu : ebrii puerorum simillimi sunt : nudum, quia nullum ebrio arcanum est. Furiosos comites illi addunt, tigres ejus currui subjungunt : quia vinum, excusso rationis imperio, intemperantes ira et furore incendit, ac belluis simillimos reddit.

Caput VIII. Mercurius.

Mercurius, Maia genitus, Atlantis filia, Jovis et deorum interpres fuit ac nuncius. Itaque alas in capite et pedibus habebat, quo expeditior esset ad mandata superum perferenda : caduceum vero in manu (*Metam.*, lib. 2). Mercurium narrant incidisse aliquando in duos angues inter se dimicantes, utrumque diremisse interposita virga, quam tenebat manu. Inde factum, ut virgam gemino angue circumfuso insignem gestaret, caduceusque pacis esset ac fœderis symbolum. Quia deorum minister et nuncius erat Mercurius, inditum illi quoque fuit Camilli nomen, quo nomine pueros, ac sacrificiorum præsertim administros, antiqui vocare consueverant. Mercurii nomen invenit a mercibus, et mercatura, cui præerat. Alterum Mercurii munus erat, animas mortuorum ad inferos deducere, ex iisque, quum res ferebat, revocare. Tertium, fures adjuvare. Idem palæstræ et eloquentiæ

laude florebat : ac sæpe pingebatur cum aureis catenis ex ore defluentibus, quibus audientes vinciebat. Hinc Hermes apud Græcos appellatus est. Ejus statuæ apud Romanos in triviis et compitis, ut iter ostenderent, locabantur, erantque manibus captæ ac pedibus et Hermæ vocabantur. Iidem Romani solebant Mercurii ac Minervæ statuas jungere, et eidem quasi trunco imponere : Hermathenas vocitabant : item Cupidinis ac Mercurii; et Hermerotes dicebantur.

Caput IX. Venus.

Veneris mater Dione fuit; filius, Cupido; item Priapus, hortorum, et Hymenæus, nuptiarum, præses; denique Æneas; filiæ vero, Charites, sive Gratiæ tres : Aglaia, Thalia, Euphrosyne. Colebatur præsertim Amathunte, Cytheris, Paphi. Astarte, Sidoniorum dea, non alia fuisse quam Venus, ab eruditis creditur. Additur aliquando Veneri comes Pytho, sive Suada, eloquentiæ dea. Currum Veneris trahebant columbæ, cycni, aut passeres. Libidinum magistra Venus ferebatur, nec puduit homines deos ad omnia flagitia duces hortatoresque sibi facere.

Caput X. Neptunus.

Neptunus, Jovis frater, maris imperium sortitus est. Illi pro sceptro, tridens; pro curru, ingens concha; pro equis, hippocampi, sive equi marini, bipedes tantum, postrema corporis parte in piscium caudam desinente : pro satellitibus, Tritones erant. Uxor ejus Amphitrite : filiæ, Harpyiæ (*Metam.*, lib. 7). Oceanus, Neptuni filius, pater fluviorum, Tethyn uxorem duxit, ex qua Nereum et Doridem suscepit. E Nereo et Doride prognatæ sunt nymphæ, quarum aliæ vocabantur Nereides, quæ mari; Naiades, quæ fontibus et fluviis; Napeæ, Dryades, et Hamadryades, quæ silvis pratisque præerant. Inter Nereides insignis fuit Thetis, Pelei conjux (*Metam.*, lib. 11). Oceani pariter filius erat Protheus, Neptuni pastor, qui phocas ejus regebat, a Latinis dictus Vertumnus, quia in omnes formas sese vertebat (*Metam.*, lib. 2, 8 et 14). Inter maris numina censebantur etiam Glaucus, Ino, ejusque filius Melicerta. Glaucus quo pacto deus evaserit, explicat Ovidius (*Metam.*, lib. 7 et 13). Ino conjux erat Athamantis, Thebarum regis. Hunc irata Juno egit in furias, quibus ille agitatus, necem uxori machinatus est. Furentem Ino fugiens in mare se dejecit, cum filio Melicerta. Utrumque miseratus Neptunus deos maris esse jussit, et Inonem Leucotheam, Melicertam vero Palæmonem dixit (*Metam.*, lib. 4). Nec prætereundus inter deos maris Æolus est, ventorum arbiter. Ejus regia et ventorum carcer prope Siciliam, in æoliis insulis, collocatur. In angusto freto, quod Siciliam ab Italia separat, monstra duo marina ponuntur a poetis, Scylla nempe et Charybdis. In eodem freto siculo degebant Sirenes, quæ suavitate cantus pellectos vectores in brevia syrtesque perducebant (*Metam.*, lib. 5).

Caput XI. Pluto.

Plutonis conjux Proserpina, Cereris filia, quam rapere coactus est, quia dearum nullam, quæ tam deformis regni domino vellet nubere, inveniebat (*Metam.*, lib. 5). Inferorum fluvii, Acheron, Cocythus, Phlegethon; palus, Styx (*Metam.*, lib. 2). Custos inferorum, Cerberus, canis triceps; portitor, Charon, senex inexorabilis : carnifices, Furiæ tres, Alecto, Megæra, Tisiphone, flagellis et facibus armatæ (*Metam.*, lib 4). Plutonis administræ, Parcæ tres : Clotho, Lachesis, Atropos. Illæ fatalem tenebant colum, modo nigra involutam lana, modo alba, ex eaque filum ducebant, quo reciso, pereundum erat. Mortuorum animæ, opera Charontis transvectæ, deducebantur a Mercurio ad judices Æacum, Minoem, et Rhadamanthum : qui, expensa singulorum vita, probos mittebant in Elysium, sceleratos in Tartarum detrudebant. Eorum pœnas et insignium facinorosorum nomina describit Ovidius, (*Metam.*, lib. 4).

Porro animæ in Elysios campos missæ, post certum annorum numerum, ex iis educebantur, et in alia migrabant corpora, novam ut vitam instituerent. Sed antequam felicibus exirent campis, hauriebant aquas fluvii Lethes, quarum ea vis erat, ut rerum omnium præteritarum oblivionem afferrent. Mortui, quorum insepulta jacerent cadavera, centum annos in ripa Stygis errabant, quibus exactis, a Charonte transmittebantur. Plutonis nomina tria præ ceteris erant illustria : Orcus dicebatur, quasi Urgus, vel Uragus, quod omnes urgeret in interitum; Februus, ab antiquo verbo *februo*, quod significat purgo, lustro; quia in funebribus cærimoniis multæ lustrationes et purgationes adhibebantur : præcipua quædam sacra Plutoni fiebant, dicta ob eamdem causam Februa, unde etiam fluxit nomen februarii mensis, quo hæc sacrificia peragebantur. Plutonis vocabulum a græca voce divitias significante, ducitur, quia aurum et alia metalla in imam tellurem naturæ provida benignitas, ut laterent, retrusit, ipsisque admovit inferis, ac Plutonis arbitrio subjecit, ut fingebant poetæ : qui tamen peculiarem deum, Plutonis administrum, divitiis præfecerunt, Plutum nomine; claudum faciunt, quia tarde comparantur opes; cæcum, quia sæpe immeritis contingunt.

Caput XII. Pan, Faunus, Satyri, etc.

Ut cœli et inferorum, sic terræ propria quædam erant numina. Principem inter agrestes deos locum obtinebant Pan et Pales. Pan, Mercurii filius, capri caput ac pedes, necnon barbam et cornua gerebat : illum comitabantur Satyri, non dissimiles; itemque Silvanus, silvarum præses. In Arcadia præcipue colebatur Pan : ejus in honorem Romani mense februario celebrabant Lupercalia, quibus in festis Luperci, Panos sacerdotes, nudi per urbem discurrebant. Pan, ut ipsa vox græca innuit, ac testatur Servius, symbolum erat universi orbis, in quo homines

belluis mixti sunt : itaque superne hominis, inferne pecudis speciem gerebat. Fistulam gestabat ad significandum partium mundi, junctarum inter sese ordine pulcherrimo, concentum. Narrat Pausanias, quum Galli, Brenno duce, Græciam percursantes, templum delphicum pararent spoliare, injectum illis a Pane improvisum terrorem, quo percussi omnes fugam arripuerint. Inde natum, ut terror sine causa susceptus panicus appelletur. Pales invocabatur a pastoribus : eamdem ac Cybele esse putabatur. Ejus festa Palilia celebrabantur aprili exeunte. Faunus quoque Pici, Latinorum regis, filius, in agrestium deorum numerum veniebat, quia multa docuerat homines ad agriculturæ usum spectantia.

Pomona fructuum; Flora, seu Chloris, florum gerebat curam. Ludi ejus in honorem celebrati vocabantur Floralia, et tuba indicebantur. Præterea suum singulis fontibus, fluviis, domibus, hominibus, deum assignabant. Domestici dii Lares, sive Penates, appellabantur. Lares vicorum etiam, itinerumque præsides erant : itaque in vicis et compitis colebantur, et ludis, in eorum honorem celebratis, Compitalitiis nomen erat. Tunc hominum effigies e lana, tanquam victimæ piaculares, suspendebantur in compitis, rogabanturque Lares, ut in hæc simulacra iram et pœnas effunderent, si quas ipsimet homines commeruissent. Quum bullas pueri deponebant, eas Laribus consecrabant. Canes illis erant dicati, animal domesticum et fidele : ipsique canina pelle vestiebantur. Locus Laribus domi sacer, vocabatur lararium. Iidem præstites nominabantur, quasi qui multa familiis commoda præstarent. Proprium cujusque hominis numen, genium vocabant, eumque simul cum unoquoque nasci et mori arbitrabantur. Duplicem statuebant genium, alterum candidum et felicem; alterum nigrum et sinistrum, qui si albo esset fortior, omnibus infortuniis miserum hominem male mulctabat. Feminarum genios appellabant Junones. Serpens genio dicatus erat. Rerum humanarum veluti clavum moderabatur Fortuna, dea cæca, rotæ insidens volubili, et in sola inconstantia constans. Huic maxime supplicabant, eique varia diversis nominibus templa posita reperiuntur. Si quis fortuna secunda et favente abuteretur, hunc plectebat Nemesis, et indignos ingratosque ulciscebatur. Inditum id illi nomen a voce græca, quæ significat distribuere, quia pœnas et præmia unicuique veluti dividebat. Dicta quoque legitur Adrastæa; vel ab Adrasto, rege Argivorum, qui primus aram illi condidit; vel quod nemo illam posset effugere, ut vox græca sonat : Rhamnunte (pagus Atticæ fuit) præcipue colebatur. Hinc Rhamnusia vocatur a poetis. Alatam exhibebant, ad significandam celeritatem pœnarum, quæ impios non tardo pede consequuntur : insidentem rotæ, ut indicarent eam vicissitudinem, qua delictis pœnæ respondent, iisque succedunt. In deorum etiam numerum referebantur Nox et Somnus, sive Morpheus. Ex utroque genitus Momus ludo jocisque præsidebat.

Posita quoque templa visebantur variis scelerum monstris, et

morbis; ut Invidiæ, Fraudi, Calumniæ, Discordiæ, Furori, Febri, Pavori, Paupertati, Necessitati, Tempestati. Illud paulo rectius, quod eosdem honores tribuerent virtutibus Fidei, Justitiæ sive Astrææ, Pietati, Pudicitiæ, Concordiæ, Veritati, Saluti, Libertati, Paci: demum Silentio, cujus præses apud Ægyptios erat Harpocrates, apud Græcos, Sigalion: uterque pingebatur cum digito indice labris admoto, quasi silentium indicens. Harpocrati sacra erat arbor persea, quod ejus folia, linguæ, fructus autem cordis speciem præ se ferant. Ab iisdem Ægyptiis Angeronia, silentii dea præses, habebatur, ejusque simulacrum ore obligato et obsignato prostabat.

II. DE SEMIDEIS ET HEROIBUS.

Caput XIII. Origo idololatriæ.

Quum primum homines, abrepti cupiditatum æstu, in graviora flagitia prolapsi sunt, tunc originis suæ et conditoris obliti, nova *sibi* numina fabricarunt. Ac primo quidem solem et lunam adoravere, quia nihil formosius objiciebatur sensibus, quorum judicio fere omnia metiebantur: deinde hominibus ipsis cultum uni Deo debitum adhibuerunt. Id primus omnium tentasse Ninus fertur, circa mundi annum 1945, qui, collocata publice patris sui Beli statua, jussit ad eam preces et vota concipi. Exemplum secutæ gentes vicinæ, divinos honores suis principibus, aut heroibus de genere humano bene meritis, decreverunt. Sic inter superos relati Saturnus, Jupiter, Neptunus, Hercules, aliique, et pro numinibus deinde habiti sunt, communi gentium omnium suffragio, præcipue Græcorum, qui ceteris eruditione ac sapientia præstare credebantur.

Ordinem nihilominus aliquem statuebant inter deos. Quosdam enim censebant omni exceptione majores, ut Jovem, Junonem, Neptunum, etc., quosdam minores, ut Pana, Faunos, Satyros, nymphas, etc. Nonnullos dimidiatos quasi deos, sive semideos appellabant, qui maternum duntaxat, paternumve genus ab aliquo deo ducerent, ut Æsculapium, Pollucem, et similes. Denique heroibus ob res præclare gestas, et magna quædam in mortales collata beneficia, cœlum ac divinitatem indulserunt. De duobus primis deorum generibus dictum est parte prima, nunc de semideis et heroibus disserendum.

Caput XIV. Perseus, Bellerophon.

Acrisius, Argivorum rex, quum oraculo didicisset futurum, ut periret a puero quem Danae filia sua pareret, hanc ærea turri inclusit, appositis custodibus, ne quis ad illam vir adspiraret. Eo tamen penetravit Jupiter in imbrem aureum mutatus, hoc est, auro corruptis puellæ custodibus. Genitum sic furto Perseum Acrisius in arcam abdidit, et in medios fluctus projecit

sed a piscatoribus servatus, quum ætate processisset, ac ludicro interesset certamini, patrem imprudens interfecit. Res ejus præclare gestas describit Ovidius (*Metam.*, lib. 4, ad finem, et initio lib. 5).

Pegasus, de quo meminit idem Ovidius (*Metam.*, lib. 4), egregiam Perseo primum navavit operam; deinde Bellerophonti, Glauci, regis Corinthiorum, filio. Ille quum Prætum, Argivorum regem, inviseret, ejusque uxori Sthenobœæ assentiri nollet, ab ea fuit accusatus apud Prœtum, qui, ne datam hospiti dextram fidemque violaret, misit ipsum cum litteris, quasi commendatitiis, quarum similes Bellerophontis epistolæ postea sunt appellatæ, ad Iobatem regem Lyciæ, socerum suum. Rogabatur istis litteris Iobates, ut Bellerophontem insidiis et astu perderet. Statim variis periculis fuit objectus ab Iobate, ut periret, præsertim Chimæræ, horribili monstro, in Lycia, quod Pegasi tamen ope domuit. Sed dum equi alati tergo insidens evolare in cœlum conatur, a Jove dejectus et oculis orbatus est. Commodius actum fuit cum Perseo et ipso Pegaso; nam ambo in sidera sunt relati. Sthenobœa necem sibi conscivit.

CAPUT XV. HERCULES.

Heroum, quos vetustas celebravit, clarissimus exstitit Hercules, Alcmena genitus, conjuge Amphitryonis, thebani principis, et Jove. Regnabat per idem tempus Mycenis, in Græcia, Sthenelus, et regnum Herculi fata destinabant. Sensit Juno, effecitque ut Eurystheus, Stheneli filius, prior nasceretur, quam Hercules, quum antea impetrasset a Jove, ut qui amborum prior foret in lucem editus alteri imperitaret. Imperium inclementer in Herculem Eurystheus postea exercuit (*Metam.*, lib. 9). Longum tamen Junoni visum est, dum uterque adolesceret: Herculem in cunis perdere tentavit, immissis anguibus geminis, quos infans, jam doctus vincere, qui vivere vix cœperat, tenellis manibus elisit. Palladis tamen ope Juno Herculi conciliata paulisper est; dumque pueri labris ubera admovet, decidit aliqua particula candidi liquoris, et in eam cœli partem defluxit, quæ via Lactea postmodum est appellata (*Metam.*, lib.). Hæc Junonis benevolentia minime fuit diuturna. Eurystheum, Mycenarum solio potitum, impulit, ut Herculem variis objiceret laboribus, quibus denique oppressus periret. Duodecim vulgo numerantur. 1° Jussus est leonem Nemææ silvæ, a quo toti regioni pernicies creabatur, interficere. Adortus feram Hercules in antrum compulit, unde nullum patebat effugium, faucibusque constrictis interemit (*Metam.*, lib. 9). Ejus pellem deinceps, primæ scilicet victoriæ monumentum, semper gessit. 2° Erat Hydra leone isto tetrior, serpens immanis in Lerna palude, prope Argos, cui septem capita sic uni collo inserebantur, ut, quum unum exscinderetur, alia multa repullularent; omnia simul eodem ictu Hercules abscidit, aut igne, ut alii tradunt, exussit (*Metam.*, lib. 9). 3° Dirus aper in Erimantho monte vastitatem agris afferebat: vivum cepit, Eury-

stheoque obtulit. 4° Neque nihil nocebat in Mænalo monte cerva, æreis pedibus aureisque cornibus prædita; hanc anno toto insecutus denique assecutus est, jaculisque confixit. 5° Damni plus afferebant volucres quædam in lacu Stymphalo, inusitatæ magnitudinis et roboris, ita ut prætereuntes unguibus laniarent: iis fugatis, magnam est adeptus gloriam : 6° et 7° majorem debellatis Amazonibus, ad fluvium Thermodonta (*Metam.*, lib. 9), et tyrannis duobus, Diomede et Busiride interfectis, quorum hic in Ægypto peregrinos atque hospites immolabat Jovi; ille, in Thracia, eosdem ferocibus equis conculcandos ac devorandos præbebat. 8° Illis par immanitate ferebatur Geryon, Hispaniæ rex, tricorpor, quem simili affecit pœna. 9° Magnam quoque industriæ laudem tulit in repurgando Augiæ, regis Elidis, stabulo, in quo collectæ multis ab annis sordes, aerem pestilenti odore inficiebant (*Metam.*, lib. 9). 10° et 11° Parem adhibuit solertiam tum in domando tauro ferocissimo, quem iratus Neptunus in Græciæ cladem creaverat : tum in auferendis aureis Hesperidum pomis, et sopiendo pervigili dracone, illorum custode; hoc in labore adjutorem Atlantem habuit, qui, dum poma colligebat Hercules, cœlum humeris tulit. 12° Sed maximum omnium periculorum adiit in educendo ab inferis Cerbero (*Metam.*, lib. 9), cum quo Theseum amicum suum, ibi vinctum, pariter eduxit.

His laboribus feliciter perfunctus, orbem terrarum, ad levandos mortales variis calamitatibus conflictatos, peragravit. Italiam Caco, Vulcani filio, latrone insigni, liberavit. Prometheum, in Caucaso religatum, vinculis exemit. Antæum, Terræ filium, singulari certamine profligavit (*Metam.*, lib. 9). Lycum, qui, Thebis captis, Creontem, earum regem, socerum Herculis, tunc ad inferos profecti, interfecerat, merita morte mulctavit. Oceanum in medias terras induxit, aperto freto gaditano, duobusque montibus, Calpe et Abyla, diductis : quibus, tanquam columnis triumphalibus, elogium illud inscripsit : *Non plus ultra.* Herculis gloriam iniquissime ferens Juno, tam diro furore illum concussit, ut Megaram uxorem liberosque occiderit; nec sibi violentas ipse non attulisset manus, postquam se ab illo furore collegit, nisi eum amici attinuissent. Victorem tot monstrorum Amor imbellis vicit, ac servire turpiter Omphalæ, Lydorum reginæ, coegit, clavamque colo, leonis exuvias muliebri cultu, mutare. Pro Dejanira quoque pugnavit contra Acheloum, Thetidis filium (*Metam.*, lib. 9). Eo superato, quum puellam pugnæ præmium domum duceret, centaurum Nessum, Dejaniram obducere tentantem, sagittis interemit. Nessus moriens et ultionem spirans vestem, suo cruore, quod præsentissimum erat venenum, tinctam, Dejaniræ dedit, affirmans, si eam Hercules indueret, futurum ut nunquam aliam amaret (*Metam.*, lib. 9). Dejanira vestem sacrificanti in Œta monte Herculi misit. Vix induerat, quum intestino correptus igne, in pyram se conjecit, eaque conflagravit (*Metam.*, lib. 9). Antea tamen sagittas suas, Hydræ lernææ sanguine imbutas, sine quibus Trojam capi non posse in fati-

erat, donavit Philoctetæ, Pæantis filio. Philoctetes illas Trojam attulit, ab Ulysse perductus (*Metam.*, lib. 13). Censent eruditi tot res præclare gestas nequaquam esse unius Herculis, sed multorum, qui eodem nomine, non eodem loco ac tempore, vixerint : ac duos præsertim statuunt, alterum Libycum, cui adscribunt pugnam cum Antæo, cum Geryone, cum dracone Hesperio; diductam Africam ab Hispania, immisso freto gaditano; et, si qua sunt alia gesta per Africam et Hispaniam : alterum Thebanum, cui reliqua facinora tribuunt per Arcadiam, Peloponnesum et Phrygiam, sparsa.

Caput XVI. Theseus.

Theseus, Ægei, regis Atheniensium, filius, Herculi propinquus tempore et consanguinitate fuit. Ejus fortitudo eluxit, præsertim in domandis tyrannis, ac dynastis, qui potentiam suam vexandis hominibus, et publica infelicitate metiebantur (*Metam.*, lib. 7). Talis erat Sciron, qui prætereuntes in mare præcipitabat : talis Procustes, qui hospites in suo ipsius lecto sternebat, iisque pedum partem, quæ modum lecti excederet, amputabat; aut actis in diversa equis miseros distrahebat. Istis aliisque id genus profligatis, ad monstra quoque debellanda curas animumque vertit. Tria præcipue sustulit : taurum immanem, qui marathonium agrum fœda populatione deformabat; aprum calydonium, ab irata Diana immissum in Ætoliam (*Metam.*, lib. 8); et Minotaurum, monstrum ex homine tauroque conflatum, cui devorandos mittere quotannis septem pueros, sorte lectos, cogebantur Athenienses; hac eos pœna victor Minos, rex Cretæ, cujus filium Androgeum interfecerant, mulctaverat (*Metam.*, lib. 8).

Incessit Theseum cupido Minotauri occidendi : venit in Cretam, et, monstro perempto, Minois filiam Ariadnen, cujus ope labyrinthi ambages explicuerat, secum abstulit : eam tamen, immemor beneficii, deseruit in insula Naxo : destitutam Bacchus duxit (*Metam.*, lib. 8). Navis, qua vehebatur in Cretam Theseus, nigris instructa velis erat, mutandis in alba, si rem bene gessisset. Mutare non meminit, elatus lætitia victoriæ. At Ægeus, nigris velis eminus adspectis, periisse filium ratus, in mare se dedit præcipitem, et Ægæo mari nomen fecit. Pirithous, Thessaliæ in eadem Græcia rex, accensus invidia, ob res præclare a Theseo gestas, ejus regionem infestis armis incursavit, ut ad singulare certamen illum eliceret. Nec recusavit Theseus. Sed ubi primum est conspectus, Pirithoum oris dignitate, comitate indolis, ita devinxit sibi, ut amor invidiæ locum occupaverit, et animos, atque arma, æterno fœdere ambo junxerint. Nec diu exspectata fuit occasio amicitiæ sanciendæ. Centauri cum vicinis Lapithis invitati ad nuptias Pirithoi et Hippodamiæ, moverant rixam temulenti, et ingentem Lapitharum cædem ediderunt (*Metam.*, lib. 12). Erant Centauri equites adeo strenui, ut sedentes in equo, unum cum eo corpus conflare viderentur. Illorum protervia ac libidinem Pirithous, Theseo adjuvante, ultus est, ut par

erat. Ambo deinde, annis ante excidium Trojæ quatuor et viginti, Helenam rapuerunt, quæ a Castore postea et Polluce fuit recuperata. Iidem ad rapiendam Proserpinam, regis Molossorum filiam, profecti sunt. Eam canis ferocissimus custodiebat, quem Cerberum vocabant; ab eo laceratus est Pirithous : Theseus, a rege datus in custodiam, Herculis precibus concessus est. Inde nata de inferis fabula, quos Theseus, ut narrant poetæ, adiit cum Pirithoo, ut Proserpinam abduceret. Pluto, re cognita, utrumque comprehendit, et vinculis oneravit : in iis hæsit Pirithous, sive, ut alii narrant, a Cerbero devoratus est. Theseum Hercules, quum adiret inferos, liberavit, et adjutorem habuit in suscepto contra Amazones bello, quarum reginam Hippolyten ipsi uxorem dedit. Ex ea Theseus genuit Hippolytum, quem Phædra, Minois filia, secundis nuptiis Theseo juncta, quum aliter amaret ac par et honestum erat, accusavit injuste apud Theseum. Theseus Hippolytum Diris devovit, ac Neptunum filio ultorem invocavit, a quo immissæ phocæ Hippolytum, in maris littore spatiantem, curru excusserunt. Mortuum Æsculapius revocavit in vitam; Diana transtulit in Italiam, et Virbium appellavit (*Metam.*, liv. 2 et 15). Phædra, crimen confessa, necem sibi attulit.

Caput XVII. Castor et Pollux.

Castor, Pollux, Helena et Clytemnestra, Ledam habuere matrem, uxorem Tyndari, Œbaliæ regis in Græcia : sed Pollux et Helena, Jovem; Castor et Clytemnestra Tyndarum patrem sortiti sunt. Castor tamen et Pollux vulgo Tyndaridæ a poetis vocantur; et amborum celebratur amicitia, quæ tanta exstitit, ut Pollux, Jove scilicet natus immortalis, suam immortalitatem impertiri fratri non dubitaverit. Annuit Jupiter ut alternis diebus alter viveret, alter moreretur : imo Castorem adoptavit in Pollucis gratiam, ita ut ambo appellarentur promiscue *Dioscuri*, hoc est, Jovis filii, et inter sidera collocarentur, ubi tertium in Zodiaco locum obtinent, Geminique nuncupantur.

Honorem hunc tamen, nisi magnis in mortales promeritis consecuti non sunt, ac potissimum depellendis mari prædonibus; quam ob causam vota ipsis facere nautæ consueverant, et agnos immolare candidos, quum nigras oves Tempestatibus sacrificarent. A Romanis quoque impensius culti sunt : apud quos viri per ædem Pollucis jurabant vulgo; feminæ per ædem Castoris.

Caput XVIII. Jason et Argonautæ.

Athamas, Thebarum rex, arietem aureo insignem vellere donatum a superis servabat domi, familiæ Palladium (*Metam.*, lib. 6 et 7). Hunc Phryxus, Athamantis filius, novercam Nephelen fugiens, asportavit, et ad Colchos delatum immolavit Jovi; aureum autem vellus dedit Æetæ, regi Colchorum, a quo repositum in luco Marti sacro fuit, additis, custodiæ causa, tauris ignem

spirantibus, et pervigili dracone. Hunc thesaurum eripere Colchis Jason decrevit, filius Æsonis, Thessaliæ regis, hortante patruo Pelia, qui, fratris senio confecti loco regnum administrans, donec ei regendo per ætatem Jason par foret, eum in ista expeditione periturum sperabat. Jason, vocatis in periculi et gloriæ societatem ducibus Græciæ fortissimis, Hercule, Theseo, Castore, Polluce, Orpheo, Lynceo, Tiphy, et aliis, navim Argo fabricavit, trabibus e Pelio monte sumptis, sive, ut alii tradunt, e dodonæa silva, cujus arbores, voce præditæ, edebant oracula. Tiphys clavum regebat; Lynceus, oculis acutissimis valens, brevia et scopulos detegebat; Orpheus navigationis tædia levabat cantu; ceteri heroes, qui vulgo dicuntur Argonautæ, remos agitabant. Solus Hercules cursum parumper retardabat, tum quia pondere corporis deprimebat navim, tum quia ingentem stomachum nulli satis implebant cibi; quumque omnem, quæ condita in cadis ferebatur, aquam hausisset, misit Hylam, adolescentem sibi carum, ad petendas e vicino fonte lymphas. Lapsus in fontem Hylas, sive a nymphis, ut poetis placet, raptus (sunt illæ fontium deæ), quum non rediret, exscendit Hercules, eum quæsiturus, ac socio molesto vectores liberavit.

Navis, hoc onere levata, petras Cyaneas, quæ Symplegades vocantur, prætervecta (*Metam.*, lib. 7 et 15), et Pontum Euxinum feliciter emensa, Colchidem attigit. Jason aureum vellus abstulit; adjuvante Medea (*Metam.*, lib. 7), quæ una cum illo fugiens in Thessaliam, ut patrem Æetam persequentem moraretur, Absyrtum fratrem interfecit, ejusque membra, qua pater instabat, dissipavit; quæ colligens Æeta, illi spatium fugiendi dedit. Ut Medea venit Jasonis domum, Æsonem ejus patrem, annis et morbis gravem, in pristinum robur ac juventutem arte magica restituit (*Metam.*, lib. 7). At Peliam, deceptis ejus filiabus, jugulavit (*Metam.*, lib. 7). Jason interea Corinthum profectus ad Creontem regem ejus filiam Creusam adamavit. Medea, se spretam furens, arculam gemmis incantatis plenam Creusæ misit, quæ, igne concepto, ipsam et Creontem absumpserunt (*Metam.*, lib. 7). Medea, post exprobratam Jasoni perfidiam, susceptos ex eo duos filios, in ipsius conspectu, mactavit, alatisque vecta draconibus, Athenas evasit ad Ægeum regem, cui quum nupsisset, ac Medum filium genuisset, conata est Theseum, Ægei filium, e medio tollere, veneno dato; sed deprehenso scelere, fugit in eam Asiæ partem, quæ ab ejus filio Media est nominata (*Metam.*, lib. 7). Argonautarum expeditionem chronologi assignant anno post conditum Ilium sexagesimo quarto, ante ejus ruinam septuagesimo nono.

Caput XIX. Cadmus.

Jupiter, in taurum conversus, Europen, Agenoris Phœnicum regis filiam, abduxerat in Cretam (*Metam.*, lib. 2). Agenor ejus investigandæ negotium Cadmo filio dedit, eumque, nisi reperta sorore, domum redire vetuit. Cadmus, pererratis frustra variis

orbis terrarum partibus, oraculo delphico jussus est in eo Græciæ loco consistere, ubi obvium haberet bovem, ibique urbem condere (*Metam.*, lib. 3). Regionem, Bœotiam; urbem, Thebas appellavit.

In ea plures regnavit annos, domesticis tamen calamitatibus graviter conflictatus. Ex ejus quippe liberis Semele, quum Jovem, ex quo Bacchum edidit, videre fulminantem exoptasset, ambusta fulmine periit. Ino, furentem virum suum Athamantem fugiens, in mare se præcipitem dedit (*Metam.*, lib. 4). Agave, Penthei mater, filium discerpsit (*Metam.*, lib. 3). Cadmus ipse, Thebis pulsus ab Amphione, concessit ad Illyrios, cum conjuge, ubi tædio calamitatum affecti, diis miserantibus, in serpentes ambo mutati sunt (*Metam.*, lib. 4).

Amphion thebanæ civitatis muros condidit, convenientibus ad sonitum lyræ saxis, septemque in ea portas aperuit. Hanc Alexander delevit, Pindari tamen familiæ ac domicilio parcitum uni voluit. Alia fuit urbs ejusdem nominis in Ægypto, centum portis patens, a qua regio vicina cognomen Thebaidis habuit: alia in Cilicia, Andromaches patria, quam Græci, trojanum ad bellum proficiscentes, vastarunt.

Caput XX. Œdipus.

Laius, Thebarum rex, quum audivisset se periturum a filio, Jocastæ uxori præcepit, ut natum infantem jugularet. Aversata facinus mater occidendum puerum tradidit militi: miles pueruli lacrimis et liberali forma motus, eum ex arbore suspendit pedibus, quos fune, seu vimine in calces indito, trajecerat. Suspensum vidit magister armentorum Polybii, Corinthiorum regis, et reginæ, liberis carenti, obtulit, quæ puerum aluit pro suo, Œdipumque dixit a pedum tumore, quos inflatos et tumentes retinebat.

Ætate provectus comperit nequaquam Polybii se esse filium; oraculum consulit, ab eoque didicit futurum ut patrem in Phocide reperiret. Illuc profectus Laium, in seditione populari sedanda laborantem, imprudens peremit, ac Thebas rediit. Erat non procul ab urbe Sphinx, monstrum ingeniosum, virgineo capite, corpore canino, alis draconis et cauda, pedibus leonis et unguibus, insigne. Prætereuntibus ænigma proponebat, eosque, nisi objectum nodum solverent, devorabat. Hinc regionis vastitas, et urbis solitudo, ad quam nemo poterat adspirare. Creon, Jocastæ frater, qui Laio mortuo regnum thebanum occupaverat, præconis voce per universam Græciam edixit fore ut regnum et Jocastam, Laii uxorem, illi traderet, quicumque propositum ænigma posset explicare. *Quodnam animal est*, inquiebat Sphinx, *mane quadrupes, sub meridiem bipes, et vespere tripes?* Œdipus, tanto præmio invitatus, respondit animal istud hominem ipsum esse, qui pedibus manibusque reptat in infantia; binis pedibus nititur vir; senex, baculo, quasi tertio pede, fulcitur (*Metam.*, lib. 7). Hoc responso victa Sphinx præcipi

se in mare projecit, et regnum metu liberatum ac Jocastam Œdipo reliquit. Ex ea Eteoclem et Polynicem, itemque Antigonen et Ismenam tulit; nec prius matrem esse suam cognovit, quam, orta pestilentia, vates pronuntiassent immissam pestem a superis Laii necem vindicantibus, nec desituram, nisi exsularet is, a quo Laius cæsus fuisset. Compertum denique fuit cædis auctorem Œdipum esse, eumdemque matrem habere in matrimonio. His attonitus infelix oculos eruit sibi, et in voluntarium exsilium discedens regnum Eteocli et Polynici administrandum reliquit.

Caput XXI. Eteocles et Polynices.

Eteocles et Polynices, Œdipi filii, ne paternum regum dividendo debilitarent, satius duxerunt illud integrum, sed alternis annis, possidere. Eteocles, ut major natu, primus regnavit anno suo : sed, eo elapso, fratrem, contra quam convenerat, solio exclusit (*Metam.*, lib. 9). Hæc belli thebani, a poetis, præsertim a Statio, decantati, causa. Polynices enim omnem Græciam in arma excivit, adscito in fœdus Adrasto, Argivorum rege. Tiresias fausta omnia Thebanis promittebat, si Menœceus, Creontis filius, ultimus Cadmi posterorum, se pro patria devoveret. Nec dubitavit fortis adolescens, invito patre, procurrere in conspectum hostium, et cruore suo, voluntaria victima, litare.

Hinc secunda omnia Thebanis cesserunt. Multi hostium duces, et potissimum Tydeus, Parthænopus, Capaneus, Amphiaraus, maximis jactati periculis, periere. Ad extremum ambo fratres, crudeli bello finem imponere singulari certamine aggressi, alter alterius manu ceciderunt. Nec ipsa mors odium illorum internecinum exstinxit. In eumdem quippe rogum conjectis cadaveribus, flamma, sponte divisa, vivere in ipsis mortuorum fratrum cineribus inimicitias demonstravit. Creon, exstinctis Œdipo ejusque filiis, regnum, quod ipsi sponte concesserat, recepit. Ereptum rogo Polynicis corpus et inhumatum projecit. Antigonem, fratris ossa conatam sepelire, vivam humo jussit infodi : sed ipsa supplicium, elisis faucibus, antevertit. At Hæmon, Creontis filius, qui Antigonem sponsam optaverat, ensem sibi adegit in pectus; Eurydice, Creontis uxor, tantum filii obitu luctum hausit, ut mortem sibi consciverit. Hanc regiæ familiæ cladem Sophocles in scenam quum protulisset, tam suavi commiseratione affecit spectatores, ut insulæ Sami præfectura donatus fuerit.

Caput XXII. Tantalus.

Non levioribus infortuniis familia Tantali, regis Phrygiæ, concidit. Prima calamitatum origo, impietas ipsius Tantali fuit. Jovem, a quo genus ducebat, cum ceteris diis domi suæ acceperat. Eorum divinitatem ut probaret, Pelopem suum filium, in frusta concisum, et elixum, illis apposuit (*Metam.*, lib. 6). Ceres, paulo reliquis avidior, humerum Pelopis absumpsit; alii, ferales

epulas detestati, Tantalum in Tartara detruserunt, ubi mediis in undis sitit, et, alludentibus ori pomis, fame cruciatur (*Metam.*, lib. 4). Pelopem deinde in vitam revocarunt, educta ex inferis per Mercurium ejus anima, et membris ita reparatis, ut humerus eburneus, in ejus locum, qui a Cerere comesus fuerat, substitueretur (*Metam.*, lib. 6). Niobe, Tantali filia, paternam impietatem imitata, dum Latonam contemnit, numerosam amisit sobolem, telis Apollinis ac Dianæ confixam, et ipsa, dolore amens, in saxum diriguit (*Metam.*, lib. 6). Pelops, Phrygiam tot cladibus suorum funestam deserens, venit in Elidem, et Hippodamiam, Œnomai regis filiam, uxorem ab ejus patre postulavit. Œnomaus, mortem sibi a genero afferendam admonitus, eam filiæ procis conditionem proposuerat, ut curuli certamine secum decertarent, ea potituri, si vincerent; perituri, si vincerentur.

Accepit conditionem Pelops, et regem vinci aliter, quam dolo, non posse intelligens, egit cum Myrtilo, ejus auriga, ut ferrum tolleret, quod axi extremo, rotarum modiolis inserto, infigitur, easque, ne effluant, continet. Excussus hunc in modum curru Œnomaus, fractis cervicibus, cum vita victoriam et regnum amisit. Pelops, regno dotali potitus, Peloponneso nomen dedit, felix si concordes habere filios, Atreum et Thyesten, potuisset! Sed fratrum discordia tanto solet esse gravior, quanto sanctior amicitia esse debet. Thyestes uxorem fratris temeravit: Atreus Thyestæ filios, inscio patre interfectos, eidem epulandos præbuit. Supererat Thyestæ filius nothus, qui, perire statim ab ortu jussus, a pastoribus tamen servatus et lacte caprino nutritus fuerat, unde illi nomen Ægisthus factum. Hic Atreum obtruncavit: Agamemnonem, Atrei filium, e trojano reversum bello, sustulit, conscia et adjuvante, quam sibi male devinxerat, Clytemnestra, conjuge Agamemnonis. Hinc fecunda tragœdiarum seges.

Caput XXIII. Trojani reges.

In ea Phrygiæ parte, quæ Bosphorum thracium respicit, Trojam Dardanus, Jovis et Electræ filius, condidit, e Tuscia fugiens, occiso fratre, quicum in hac Italiæ parte regnabat. Rerum in Troade tunc potiebatur Teucer, qui Dardanum generum adscivit, cumque illo Trojæ fundamenta jecit, annis ante natam Romam fere septingentis. Dardano successit Erichthonius filius, Erichthonio Tros, qui Trojam de suo appellavit nomine. Trois filius fuit Ganymedes, a Jove raptus (*Metam.*, lib. 10). Item Assaracus, ex quo genitus est Capys, Anchisæ pater: demum Ilus, qui, paternum adeptus regnum, Trojam Ilium vocari jussit.

Ilo successit filius Laomedon, quem Hercules vita regnoque spoliavit, abducto ejus filio (*Metam.*, lib. 11), qui, a Trojanis redemptus, inde Priami nomen consecutus est, quum antea Podarces diceretur. Priamus, patri suffectus, turribus arcibusque munivit urbem, quæ tunc Pergama vocabatur, unde ipsa Tro-

nomen quoque sumpsit. Priami uxor, Hecuba; filii præcipui, Deiphobus, Helenus, et Paris, sive Alexander, funesta patriæ fax. Talem sibi visa fuerat parere mater, ejusque somnio cognito, Priamus necari puerum jusserat. Hecuba clam inter pastores educandum curavit; ubi quum regias dotes ostenderet in conditionis humilitate, originem probavit, ipsisque superis dignus est visus, qui ortam inter Junonem, Palladem, et Venerem controversiam dirimeret. Intererant epulo geniali, quum Thetis Peleo nuberet. Discordia in medium jecit fatale pomum, cum hac inscriptione: *Detur pulchriori*. Paris, arbiter duræ litis sumptus, eam Veneri adjudicavit, et sibi suisque Junonis ac Minervæ conflavit odia.

Interim Priamus certamen ludicrum nobilitati trojanæ proposuit. Adfuit Paris adhuc incognitus, et, ceteris, qui congressi fuerant, victis, ipsum Hectorem superavit. Hector, quum pugilem ignotum ferro persequeretur, ut ignominiam ejus sanguine elueret, agnovit fratrem, conspectis certis insignibus et gemmis, quæ Hecuba pastori, ejus educatori, tradiderat. Priamus, fatorum immemor, filium lætus amplectitur, et in regiæ partem accipit.

Caput XXIV. Trojani belli causa.

Quum Hercules Trojam vastaret, Hesionem, Laomedontis filiam, Telamoni, græco duci, conjugem dederat (*Metam.*, lib. 11). Paris, amitam suam repetiturus, classem instruxit, Priamo non invito, qui opibus et gloria pollens, imminebat in omnem injurias a Græcis toties acceptas vindicandi occasionem. Paris recta Spartam contendit ad Menelaum, Spartæ regem, filium Atrei et Agamemnonis fratrem. Exceptus humanitate summa, et domi relictus est a Menelao, cui erat iter in Cretam necessarium.

Helenam, uxorem Menelai, Venus ita Paridi conciliavit, ut cum eo Trojam profugerit, probante Priamo, qui Hesionem, sororem suam, ita redditum iri facile sperabat, si cum Helena permutaretur. Contra ac speraverat, accidit. Nam Græci Hesionem reddere negarunt, Helenamque junctis viribus et armis repetentes, Trojam, per annos decem obsessam, solo demum æquarunt. Quo pacto Ulysses et Achilles ad hoc bellum perducti fuerint exponit Ovidius (*Metam.*, lib. 3).

Idem explicat, quemadmodum Græcorum exercitus Aulidem convenerit, ibique ventis adversis tandiu retentus fuerit, dum Agamemnon filiam Iphigeniam Dianæ immolare constitueret. Cervam tamen ejus in locum Diana substituit, eamque in Tauricam Chersonesum deportavit (*Metam.*, lib. 12 et 13). Diana placata, solvit Græcorum classis, mille ducentarum nonaginta navium, sub ducibus quinque et nonaginta, et ad Trojam castra posuit. Diuturnam bello moram attulit Asia fere universa, ad urbis unius auxilium concurrens, tum Hectoris fortitudo, denique discordia Achillem inter et Agamemnonem coorta. Hic puellam quamdam, sacerdoti Apollinis ereptam, penes se habebat.

Apollo, a virginis patre oratus, immissa peste Græcorum exercitum populabatur, quam ut Achilles averteret, Agamemnonem coegit puellam parenti reddere. Agamemnon, iracundia elatus, Briseidem vicissim Achilli eripuit. Achilles, injuriam non ferens, inclusit se tentorio, Græcosque Trojanis profligandos permisit : arma sua duntaxat concessit Patroclo, quibus ille indutus, et Hectorem ausus lacessere, ab illo sternitur (*Metam.*, lib. 13). Tum vero Achilles ulciscendi amici causa bellum repetiit, Hectoremque cæsum ter circa muros urbis raptavit.

Caput XXV. Trojæ excidium.

Hectoris necem clades fortissimorum e Trojanis ducum est consecuta. Priamo et Hecubæ in desperationem actis, promisit Paris necem Achillis, quo uno maxime Græci stabant. Comperit eum Polyxenæ, Priami filiæ, amore captum : adduxit in spem conjugii, et, pactis paucorum dierum induciis, in templum Apollinis invitat, colloquii uberioris causa. Venit Achilles, nihil a Paridis perfidia metuens, a quo sagitta percussus interiit. Cæsum in acie canit Ovidius (*Metam.*, lib. 12). De illius armis certatum Ajacem inter et Ulyssem (*Metam.*, lib. 13). At Græci, dolo pariter et proditione ulciscendos proditores arbitrati, reditum in patriam, velut fessi bello, simulant, et equum ingentem fabricantur, quasi donum placandæ Minervæ, cujus numen a se violatum dictitabant, rapto ex arce trojana Palladio, seu Minervæ sacra statua, qua Trojæ fatum et felicitas contineri putabatur. Equum in littore relictum, Græcis ad insulam Tenedum profectis, Trojani in urbem inducunt, diruta murorum parte, per quam Græci, noctu e vicina insula Tenedo reversi, subierunt, et civitatem somno ac vino sepultam incenderunt. Hanc illis ab Ænea et Antenore proditam fuisse fama est. Pyrrhus, Achillis filius, Priamum ad Jovis aram jugulavit; immolavit Polyxenam ad Achillis, qui ejus nuptias ambierat, tumulum (*Metam.*, lib. 13). Andromacham, Hectoris conjugem, abduxit in Græciam. Paris sagitta Herculis a Philoctete confossus est. Menelaus Helenam a Deiphobo, cui post Paridem occisum nupserat, recepit. Ulysses Astyanactem, Hectoris filium, e summa turri dejiciendum curavit (*Metam.*, lib. 13). Ajax, Oilei filius, Cassandra, Priami filia, temerata, Palladis, cujus ad statuam veluti ad asylum illa confugerat, iram in se concitavit : quare, facto naufragio, fulmine conflagravit. Classis Græcorum ad Caphareos scopulos, insulæ Eubœæ, allisa (*Metam.*, lib. 14), magnam partem periit, Nauplii scelere, qui, dolens filium suum Palamedem ab Ulysse falso crimine accusatum, et a Græcis damnatum, ignes nocturnos e cautibus extulit, ad quas classis, portum rata, per tenebras temere appulit. Contigit Trojæ excidium anno mundi bis millesimo octingentesimo septuagesimo, quum Ailon Hebræis jus diceret. Cæsa esse perhibentur in eo bello Græcorum octingenta octoginta sex millia : Trojanorum vero, ante captam urbem, sexcenta septuaginta sex millia.

Caput XXVI. Agamemnon et Orestes.

Agamemnon, domum redux, Clytemnestræ et Ægisthi, ejus adulteri, ferro cecidit. Orestes ultus est patris mortem, perempta matre : quam quum obversari sibi semper crederet tædis et serpentibus armatam, oraculum consuluit. Eo jubente, in Tauricam Chersonesum contendit, comite Pylade, regis Strophii filio ; cujus amicitiam quum in maximis antea periculis, tum in hoc præcipue loco est expertus. Mos erat ut hospites ac peregrini comprehenderentur, Dianæ, quæ ibi colebatur, immolandi. Capti Pylades et Orestes adducuntur ad Thoantem, summum sacerdotem. Is, novorum hospitum nobilitate permotus, et indole liberali, quum utrumque servare, salvis patriæ legibus, non posset, alterum, ducta sorte, incolumem fore pronunciat. Hic vero celebris orta est inter Pyladen et Oresten contentio, dum alter alterius perire loco certat. Sors Oresten addixit neci. Præerat Dianæ sacris Iphigenia, Orestæ soror, illuc per Dianam ex Aulide translata, quum cervam in illius mactandæ locum supposuit, ut Ovidius narrat (*Metam.*, lib. 12). Iphigenia, quum ferrum libraret in fratris caput, eum agnovit. Occiso Thoante, Orestes cum sorore, Pylade, et Dianæ statua, rediit in Græciam ubi expiatus, et Furiarum tetro adspectu liberatus, paternum regnum feliciter administravit. Eadem statua Dianæ in Italiam postremo delata est, et in Aricino collocata nemore. Templi æditaus, et sacerdos istius Dianæ Aricinæ, rex nemorum vocabatur, ac vulgo servus erat fugitivus, qui tandiu regnum obtinebat, dum ab alio fugitivo commissa pugna victus necaretur.

Caput XXVII. Ulysses.

Decem annos Ulysses erravit post excisam Trojam, prius quam paternos lares reviseret. Vix ingressus navim in Thraciam tempestate delatus est. Ibi regnabat Polymnestor, cujus fidei ac tutelæ Priamus filium Polydorum et regales thesauros, ne venirent in Græcorum manus, tradiderat custodiendos. Polydorum rex avarus, ut auro potiretur, trucidaverat. Hecuba, id quum rescivisset (nam Ulyssi in trojana præda dividenda obvenerat), Polymnestorem adiit, velut ignara, ostentansque spem thesauri alterius, eum seduxit a regio comitatu ; mox involans in vultum, oculos illi unguibus eruit. Quo facto lapidibus a populo superveniente appetita, in canem rabidam mutata fuit (*Metam.*, lib. 13). Ulysses, repetita navigatione, abripitur in Africam ad Lotophagos, ita vocatos a loto arbore, cujus fructus tam suaves habebat illecebras, ut advenis oblivionem patriæ afferret, ejusque suavitate captos e sociis suis nonnullos Ulysses amiserit. Alii, redintegrato cursu, Siciliam cum eo tenuerunt. Sex eorum Polyphemus, Cyclopum teterrimus, devoravit (*Metam.*, lib. 14). Ulysses vino gravem invasit, eique unum, quem in fronte media gerebat, oculum exsculpsit. Inde ad Æolum propere fugit, qui ventos adversos utribus inclusos in ejus navim congessit, ne

nocerent. Utres tumidos socii male curiosi reclusere. Ventis solutis, novæ tempestates excitatæ, nova pericula. Iis jactatum Ulyssem, et a Læstrygonibus, formianum littus incolentibus atque humana carne vesci solitis, pæne oppressum, insidiosa benignitate excepit Circe, famosa venefica. Hæc socios Ulyssis in ferarum varia monstra transformavit : ipse artes magicas elusit, instructus herba Moly, sapientiæ symbolo, a Mercurio sibi donata (*Metam.*, lib. 14). Eadem Circe adjuvante, adiit inferos, ubi a Tiresia vate multa de rebus aliquando sibi eventuris cognovit. Pari felicitate ac prudentia Sirenum dolosos cantus in eodem tyrrheno littore effugit, sociorum auribus cera obturatis, ipse ad malum alligatus. Inde Siciliam rursum tenuit. Solis boves Phaethusa nympha pascebat. Præceperat enixe sociis Ulysses, ut sacris armentis temperarent. Auditus non est : itaque Sole irato, naves cum sociis amisit, vixque in fractæ ratis tabula enatavit ad Ogygiam insulam, ubi, recenti navigio instructus a nympha Calypso, mari se commisit. Facto iterum naufragio, cujus auctor Neptunus, Polyphemum filium ab Ulysse excæcatum ægre ferens, evasit ope Leucothoæ in insulam Corcyram, et, acceptis ab Alcinoo, Phæacum rege, navibus, Ithacam attigit. Domum suam rustici cultu ingressus cognoscendum se Telemacho filio et fidis aliquot famulis dedit, quorum opera procis deletis, fortunas uxoremque Penelopem recuperavit. Re bene gesta, lætum tacitus angebat metus, ne a filio interficeretur ; id enim Tiresias prædixerat; ac, ne tristi vaticinio fidem faceret, cogitabat secedere in aliquam solitudinem, quum Telegonus, quem e Circe genuerat, audito felici patris in Ithacam adventu, accessit gratulaturus. Dum ut ignotus repellitur, nonnihil tumultus ortum est ad fores. Procurrit Ulysses, ut rem cognosceret, interque confusos tumultuantium clamores sagitta vulneratur a Telegono. Fieri medicina plagæ non potuit, quia jaculum veneno infectum erat.

Caput XXVIII. Æneas.

Æneas, Veneris et Anchisæ filius, Creusam, Priami natarum unam, duxerat. E patriæ incendio elapsus ope matris septem annos erravit incerto mari, ob iram Junonis, nomini trojano semper infensæ. His transactis, Carthaginem venit, ubi, quemadmodum canunt Virgilius et Ovidius, Dido novam condebat urbem, ab eaque mensibus aliquot retardatus, monente demum Jove, perrexit in Italiam, ac, victo Rutulorum rege Turno, Laviniam, regis Latini filiam, cum dotali regno accepit, et romani imperii fundamenta jecit (*Metam.*, lib. 13 et 14).

Caput XXIX. Utilitas e fabulis capienda.

Quum poetæ ac doctores profanæ antiquitatis plurima, quæ ad explicandam rerum naturam, aut instruendos mores pertinent, simulacris deorum et fabularum tegumine involverint, dispiciendum est quid veri bonive sub istis integumentis lateat. Ita Cœlum finxerunt Saturni sive Temporis patrem, quia Cœlum

diurna et annua conversione tempus efficit. Quum vero temporis par vetustati sit velocitas, idemque finem rebus quas produxit, afferat, descripsere Saturnum habitu senis alati et falce armati, qui liberos suos devoraret. Saturnum excepit Janus, Latii rex prudentissimus, qui prospiceret futura, præterita meminisset : eum bifrontem idcirco pinxerunt. Rudes et incultos homines Prometheus a ferino victu abductos excoluit, ac mentem veluti corporibus brutis addidit : hæc fuit causa cur homines dictus sit e luto finxisse. Idem usum ignis edocuit, ac reperit quo pacto e solis radiis, puta concavo speculo exceptis, eliceretur. Hinc nata multa vitæ commoda, et e commodis incommoda, nimirum morbi, febres. Deucalion urbes condidit, invenit artes, vitam moribus ornavit : hinc saxa in homines mutasse prædicatur. Amphion devinctos concordia Thebanos ad urbem ædificandam adduxit : lapides lyræ sono movisse narratur. Atlas vero in montem conversus cœlum humeris ferre, quia ut astra specula173retur, in editiorem ascendebat locum, et cœlestem excogitavit sphæram, quam fere semper præ manibus habebat. Alas Dædalo dederunt, ut e labyrintho evolaret, quia navigandi et utendi velis artem reperit. Icarum audaci volatu sublimia captantem in mare dejecerunt, ut juvenilem notarent imprudentiam, quæ medium iter ac tutum tenere nescit. In Tantalo avaros, in Lycaone crudeles, in Gigantibus superbos, in aliis alia flagitia descripserunt. In Medusa, muliere libidinosa, indolem malæ libidinis adumbratam, voluere, cujus ea vis labesque est, ut homines omni rationis, pietatis et humanitatis sensu spoliatos, in saxa transformare videatur. Quis in Narcisso non agnoscit hominem sui amantiorem? Quis in Marsya, quem Apollo cute spoliat, arrogantem; in Persei Pegaso celeritatem rebus gerendis necessariam; in ejusdem speculo polito, quod instar clypei gestabat, sapientiam non intelligit?

Caput XXX. Quomodo explicandæ fabulæ.

Erit igitur christiani præceptoris videre quid lateat sub illo cortice fabuloso, et veritatem istis involutam umbris evolvere. Sic impiæ vetustatis venena vertentur in antidota, et suus virtuti honor, improborum errore ad vitia traductus, jure merito restituetur. Quamvis autem hæc una caperetur utilitas ex historia fabulosa; quamvis hæc una legeretur e tot flagitiorum, quibus religio profana sordet, sterquilinio gemma, nimirum commendatio christianæ religionis, quæ Deum moresque, tanto veteribus illis dissimiles, tradit, satis magnus pateret ad juventutem non pie solum, sed festive ac eleganter instituendam, campus.



Q. HORATII FLACCI
CARMINA.

ODARUM
LIBER PRIMUS.

ODE I.

Ad Mæcenatem.

Alios aliis rebus delectari; Horatium lyrici vatis gloriam ambire, unius Mæcenatis judicio obtinendam.

Mæcenas, atavis edite regibus,
O et præsidium, et dulce decus meum!
Sunt quos curriculo pulverem olympicum
Collegisse juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis,
Terrarum dominos evehit ad deos :

Ode. Vox hæc est græca : ᾠδὴ significat *cantilenam* quamdam, qualis plerumque ad lyram cani solebat. Unde lyrica poesis appellatur.

1. *Atavis.* Atavus proprie avi non pater, sed proavus est. Peculiare autem est auctoribus, ut avos atavosque pro majoribus ponant. — *Edite regibus.* Ab etruscis regibus oriunde. Mæcenas enim fuit ortus e gente Cilnia, cujus atavi fuerunt inter Etruriæ reges.

3. *Sunt quos, etc.* Reperias quosdam quos delectat excitare pulverem olympicum, hoc est, qui alia re nulla magis oblectantur, quam certaminibus olympicis, in quibus per campum pulverulentum currus agitantur. — *Pulverem olympicum* Est autem Olympia Græciæ civitas, quem Pisam quoque vocatam fuisse aliqui tradunt. In vicinis huic urbi campis, prope Alpheum fluvium, certamina curulia incredibili totius Græciæ concursu celebrabantur, quinto quoque anno ineunte, seu post annos quatuor exactos. — *Curriculo.* Curriculum accipe pro spatio ad currendum apto, id est, stadio in quo currus incitantur.

4. *Metaque.* Terminus ad quem dirigitur cursus.

5. *Fervidis rotis.* Rotæ enim currendo fervent. — *Evitata.* Hoc enim aurigariæ artis summum erat, ut currus, quam rapidissime invectus, circa metam flecteret, nec tamen eam vel levissime tangeret.

6. *Evehit, etc.* Dicuntur ad deos evehi, cœlum tangere, in cœlo esse, quibus aliquid bene ac feliciter evenit, qui honorem eximium aliquem consequuntur. —*Terrarum dominos.* Ad *deos* referendum est.

Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub jove frigido

7. *Hunc*. Scilicet juvat. — *Mobilium*. Mobiles Quirites appellat Horatius, propter comitiorum inconstantiam et varietatem, populique romani in suffragiis ferendis levitatem.

8. *Tergeminis*. Tergeminus idem est ac triplex. Triplices autem honores vel sunt honores maximi (numerus enim ternarius perfectionem rei alicujus sæpe significat), vel tres maxime insignes, nempe ædilitas major, prætura, et consulatus.

9. *Illum*. Scilicet juvat. — *Condidit*. Conditum servat, possidet.

10. *Libycis areis*. Africa dicta quoque est Libya: frumenti ferax erat. *Area* est locus ubi teritur et verritur frumentum.

11. *Sarculo*. Sarculum est rusticum instrumentum, genus rastri, quo segetes novellæ purgantur, atque herbæ inutiles scalpendo eliduntur.

12. *Attalicis conditionibus*. Promissis opibus attalicis, scilicet maximis. Fuit Attalus rex Pergami ditissimus, qui populum romanum fecit heredem.

13. *Dimoveas*. Abducas ab agro patrio. — *Trabe cypria*. Navi e trabibus, in insula Cypro sectis, facta; id est, solida ac tutissima.

14. *Myrtoum*. Est pars Ægæi maris: nomen ei factum ab insula Myrto: alii volunt a Myrtoo, OEnomai, regis Arcadiæ, auriga, quem ille in hoc mare præcipitem dejecit.

15. *Icariis*. Mare Icarium est pars Ægæi maris, inter Cretam et Icariam insulas, ab hac sic dicta; alii volunt ab Icaro, Dædali filio, qui, solutis a sole pennis, in eam decidisse fertur. — *Africum*. Vehementior est ac procellosus ventus flans ab Africa et occasu hiberno.

18. *Indocilis pati*. Qui nullis periculis ac tempestatibus doceri potest, ut patiatur paupertatem, et careat lucro licet periculoso.

19. *Est qui nec spernit, etc.* Hoc est non recusat partem aliquam de solido, id est, integro die resecare, quam scilicet epulis tribuat. — *Massici*. Massicus mons est in Campania, ubi vites optimæ.

21. *Viridi sub arbuto*. Sub arbuto amœna et convivils idonea. — *Membra stratus*. Phrasis græca: habens membra strata.

22. *Caput*. Aquæ caput et origo, est ipse fons: sacri autem erant fontes apud antiquos, et numen aliquod iis inesse putabatur.

23. *Multos, etc.* Multis bellum placet. — *Lituo*. Lituus, buccina longior et incurva, sonum acutiorem edens, fuit equitum; tuba autem directa et sono gravi, peditum.

25. *Detestata*. Passive: quæ matres detestantur. — *Manet*. Pernoctat. — *Sub jove*. Sub aere frigido: sub dio. Jupiter apud poetas sumitur pro cœlo, aere, et vento.

Venator, teneræ conjugis immemor;
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes marsus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis; me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt populo; si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

27. *Seu visa, etc.* Sive canes fideles viderint cervam; seu aper in plagas et retia inciderit, e quibus ruptis se extricaverit.

28. *Teretes.* Levi et rotundo filo contextas. — *Marsus.* Propter saltuosam Marsorum regionem.

29. *Hederæ.* Hedera coronabantur poetæ, quia erant in tutela Bacchi, cui sacra hedera.

31. *Satyris.* Satyri sunt agrestes dii, caprinis pedibus, saltationi chorisque dediti. Chorus autem est canentium et saltantium multitudo.

32. *Secernunt.* Separant a plebe; supra vulgus profanum me attollunt; reliquis hominibus præstantiorem faciunt et excelsiorem. — *Si neque, etc.* Si quidem Euterpe libenter patiatur me tibiis, quarum est inventrix, uti; modo eas mihi non prohibeat; modo Polyhymnia (una etiam e Musis odarum et hymnorum auctor), non vetet, me barbiti fila contendere, eaque pulsare, id est si mihi faveant Musæ.

33. *Euterpe, Polyhymnia.* Pro omnibus Musis. — *Cohibet.* Denegat.

34. *Lesboum.* Lesbos est insula maris Ægæi, ex qua oriundi Alcæus et Sappho, insignes lyrico carmine. — *Tendere.* Temperare. — *Barbiton.* Est barbitos, seu barbitus, lyræ quoddam genus multarum chordarum.

35. *Inseres.* Adnumeres, adscribas.

36. *Sublimi, etc.* Ero similis superis, beatissimum esse me arbitrabor. Hanc metaphoram frequenter poetæ usurpaverunt, ut summum gloriæ fastigium significarent.

ODE II.

Ad Augustum.

Deos Romanis iratos esse ob Cæsaris cædem; omnem reipublicæ spem in Augusto sitam esse.

Jam satis terris nivis atque diræ
Grandinis misit pater, et, rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem.
Terruit gentes, grave ne rediret

2. *Pater.* Jupiter, hominum deumque pater a poetis vocatus. — *Rubente dextera.* Corusca ob fulmen.

3. *Sacras arces.* Templa in locis editis collocata, et præsertim Capitolium. — *Jaculatus.* Conjecto fulmine demolitus.

5. *Terruit gentes, etc.* Fecit ut gen-

Sæculum Pyrrhæ, nova monstra questæ,
Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere montes;
Piscium et summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis,
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis,
Templaque Vestæ:
Iliæ dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Jove non probante,
Uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctæ minus audientem

tes timerent ne rediret diluvium, quo tempore Pyrrha, Deucalionis uxor, conquesta est de prodigiis et monstris antea inauditis, quæ tum contingebant.

7. *Proteus*. Marinus deus, Neptuni filius, qui belluas marinas, quas phocas poetæ vocant, pascit. — *Egit visere*. Græca locutio; id est, duxit ad visendos montes.

11. *Superjecto*. Super terras effuso; vel ipsis natantibus superinjecto.

13. *Flavum*. Propter arenas turbidas quas volvebat. — *Retortis, etc.* Undas suas retorquentem ab etrusco littore, seu mari Tyrrheno in quod defluebat, et eas retro in suum fontem, Romam versus, adverso flumine réferentem, ut Romam dejiceret, auctus et intumescens undis refluentibus.

15. *Ire dejectum. Dejectum*, est hic in supino, ut, *ire lusum*.—*Monumenta regis*. Sepulcrum Numæ Pompilii, Romanorum regis secundi.

16. *Templaque Vestæ*. Ædem Vestæ conditam et consecratam ab eodem Pompilio. Vesta dea igni præsidebat; perpetuus in ejus templo servabatur et alebatur a Vestalibus virginibus.

17. *Iliæ*. Ilia, Romuli mater, ex qua Julius Cæsar ortus, eadem Rhea quoque et Silvia nuncupata, Tiberis uxor fuisse dicitur, quia in Tiberi, Amulii jussu, submersa est; alii projectam in Anienem volunt. — *Querenti*. Scilicet necem Cæsaris. — *Nimium*. Alii jungunt *nimium querenti*, alii *nimium ultorem*: melius est jungere *nimium se jactat*.

18. *Vagus*. Errans extra alveum. *Sinistra*. Proprie; nam in sinistra Tiberis ripa Roma sita fuit.

19. *Non probante*. Volente Romam plecti, non perire, et scelus hoc ab Augusto tandem expiari; vel, non probante templa averti.

20. *Uxorius*. Uxori nimium obsequens.

22. *Graves*. Bellicosi, infensi Romanis. — *Persæ*. Id est, Parthi, qui Crassi exercitum deleverant. — *Melius perirent*. Rectius, justius.

23. *Audiet pugnas, etc*. Bellum civile describit, quasi præcipuam pœnam, quæ ob Cæsarem interfectum divinitus imposita fuerit; et ingeniose Octavio adulatur, qui Cæsaris nepos et heres. — *Vitio parentum*. Culpa parentum qui furore civilium bellorum correpti sese mutuis cædibus interfecerunt.

25. *Quem, etc*. Quem e superis populus implorabit, ad fulciendam rempublicam ruentem?

27. *Virgines sanctæ*. Vestales. — *Minus audientem*. Quia dolebat Julium

Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo:
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat, et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis auctor,
Heu! nimis longo satiate ludo,
Quem juvat clamor, galeæque læves,
Acer et marsi peditis cruentum
Vultus in hostem;
Sive mutata juvenem figura
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris ultor.
Serus in cœlum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat: hic magnos potius triumphos,

Cæsarem, suum sacerdotem, indigna peremptum nece.

29. *Cui dabit, etc.* Cuinam Jupiter dabit munus et provinciam expiandi scelus a Romanis susceptum in Cæsaris nece? Expiare autem scelus, est delere illud ac purgare: porro expiavit necem Cæsaris Octavius, interfectis ejus percussoribus, etc.

31. *Candentes, etc.* Nube tectos habens humeros candidos. Locutio græca.

32. *Augur.* Augur ab avium garritu dictus est; ex quo Augurium. Augures proprie ex avium cantu, interdum etiam e pastu et volatu futura prædicebant, ac voluntatem deorum scrutabantur.

33. *Erycina.* Venus, sic dicta ab Eryce, monte Siciliæ, ubi præcipue colebatur. — *Mavis.* Scilicet venire ad nostra scelera expianda.

35. *Sive neglectum, etc.* Seu tu, o Mars, auctor et parens Romanorum, quia pater es Romuli, unde illi orti sunt, respicis et curas gentem tuam, quam videris neglexisse, quippe qui tam diuturno bello civili eam vexasti, ut cruento isto ludo possis esse jam satiatus.

38. *Quem juvat, etc.* Qui delectaris clamoribus bellicis, etc. — *Læves.* Politæ, tersæ.

39. *Marsi.* Marsi enim Romanorum milites fuerunt longe fortissimi. — *Acer.* Virilis, interritus.

41. *Sive mutata, etc.* Sive tu, o Mercuri, qui Maiæ filius es, exuta dei figura quam in Olympo geris, imitaris in terris juvenem Octavium, hoc est, ejus humanam figuram induis, et sub ejus vultu nobis appares.

42. *Ales.* Alatus. Dantur alæ sive talaria Mercurio, quia deorum nuncius est ac interpres.

43. *Patiens.* Volens, probans. Dederat operam Octavius ut lex ferretur de Cæsaris nece vindicanda, eamque in se provinciam præcipue susceperat, ab eo videlicet in familiam et nomen adoptatus.

45. *Redeas.* Mercurium alloquitur, quem e cœlo delapsum sub Augusti apparere vultu fingit ingeniose et more poetico.

46. *Intersis.* Diu verseris in populo romano. Quirinus nomen est Romuli.

47. *Iniquum.* Inimicum, ægre nostra vitia ferentem.

48. *Ocior aura.* Ne citius avoles; nec te repentinus aliquis turbo e terris in cœlum revehat.

49. *Hic magnos, etc.* Amа potius hic triumphare, quam in cœlo feriari.

Hic ames dici pater atque princeps;
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

50. *Pater*. Augustus postea senatusconsulto pater patriæ appellatus est.

51. *Inultos*. Non vindictam nostram expertos. Parthos intelligit, qui Medi hic vocantur, quia hæc regio primum a Medis, deinde a Persis, postremo ab ipsis Parthis occupata fuit. — *Equitare*. Parthi maxime ex equis pugnabant.

52. *Te duce*. Te rempublicam administrante. Ex illis facile potest intelligi quo anno scripta fuerit hæc ode : nimirum paulo post pugnam philippensem, in qua, cæsis Bruto et Cassio, rerum summa Octavium spectare videbatur.

ODE III.

Virgilio faustam navigationem Horatius precatur : artem nauticam et hominum audaciam detestatur.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium; finibus atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.
Illi robur, et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum

1. *Sic te, etc.* Navim, qua Virgilius vehitur, alloquitur. — *Sic*. Ut hoc ex animo opto : solenne in obtestationibus verbum. — *Diva potens Cypri*. Venus Cypri domina. Cyprus est insula maris Mediterranei, e regione Siciliæ; in ea maxime Venus colebatur.

2. *Fratres Helenæ*. Castor et Pollux, navigantibus propitii. Apparent sæpe in locis palustribus, et in mari, quidam ignes erratici et fatui, quorum alii sursum feruntur, alii deorsum : eos Castorem et Pollucem appellabant, et credebant esse nautis salutares, si gemini simul apparerent.

3. *Ventorum pater*. Æolus.

4. *Obstrictis*. Inclusis et alligatis. — *Aliis*. Hoc est, ceteris. — *Iapyga*. Iapyx est ventus ex Apulia flans, opportunus navibus ex Italia in Græciam solventibus, ab incolis Apuliæ, qui Iapyges vocantur, ita dictus.

5. *Quæ tibi creditum*. Tanquam pignus vel depositum aliquod.

7. *Reddas incolumem*. Animadvertat lector quam significantibus et ad rem accommodatis verbis utatur Horatius. Antecedit vox *creditum* : sequitur deinceps *debes*. Postremo, *reddas*. Neque vox ipsa *incolumem* otiosa est. Nam quæ nobis *credita* sunt, ea sacra et integra *reddere* debemus.

8. *Dimidium, etc.* Ad vim amoris significandam, dicuntur amici unam et eamdem habere animam, quæ in duobus corporibus veluti dimidia versetur.

9. *Robur*. Dura quercus. Habebat ille pectus conflatum e ligno durissimo, aut ærea lorica munitum, id est, erat audacissimus et fortissimus.

12. *Præcipitem, etc.* Africus ventus est procellosus, flans ab occasu hiberno : Aquilo est vehemens item ventus flans a

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequidquam deus abscidit
Prudens oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætherea domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis.

septentrione; illi duo venti oppositi decertant ac tempestates movent.

14. *Hyadas.* Hyades sunt stellæ in fronte Tauri, quarum ortus et occasus pluvias ac tempestatem prædicere credebatur. — *Noti.* Notus est ventus flans a meridie; Auster etiam dicitur.

15. *Quo non, etc.* Quo nullus potentior arbiter et dominus Adriæ, seu fluctus et procellas attollere velit, seu componere et sedare; interdum enim est lenis et placidus hic ventus. — *Adriæ.* Adriaticum mare, quod inter Illyriam et Italiam continebatur, sic dictum ab Adria, Venetorum urbe.

17. *Gradum.* Genus mortis, quod aliud alio quasi gradatim acerbius et gravius est; vel, incursionem et impetum mortis.

18. *Siccis oculis.* Absque lacrimis. — *Monstra natantia.* Cete; pisces monstrosos.

20. *Acroceraunia.* Montes in Epiro ita dictos, quod ea altitudine sint, ut sæpenumero fulmine petantur. — *Infames.* Propter naufragia.

22. *Dissociabili.* Activo sensu; qui dissociaret, separaret.

23. *Impiæ.* Impias dicit hominum naves, quia dei consilium negligere et aspernari videantur.

24. *Vada.* Loca in mari periculosissima.

25. *Omnia perpeti.* Adire pericula omnia et perferre. — *Audax perpeti.* Ex græca loquendi ratione pro : ad omnia perpetienda.

26. *Nefas.* Proprie id est, quod non licet facere, vel quod fieri non potest. Præceps fertur ad omnia scelerata et difficilia.

27. *Iapeti genus.* Prometheus, Iapeti filius, qui, quum ope Minervæ cœlum conscendisset, affixa tæda rotis currus solaris, ignem furatus, eum hominibus impertivit.

30. *Subductum.* Furto sublatum. — *Nova.* Antea inaudita, nondum visa.

31. *Terris incubuit cohors.* Terras occupavit, obsedit atque oppressit.

32. *Semoti.* Tardius et quasi ex longinquo venientis. — *Necessitas leti.* Fatum, necessitas quæ nos leto subjecit.

33. *Corripuit gradum.* Acceleravit: citius homines, quam antea, mortem obiere.

34. *Vacuum.* Vastum et desertum, vel hominibus infrequentem. — *Dædalus.* Insignis faber qui e labyrintho cretensi evolavit.

Perrupit Acheronta herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est :
Cœlum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

36. *Acheronta*. Acheron est inferorum fluvius. Sensus est : Hercules ad ipsos usque inferos penetravit, non sine labore, ut inde Cerberum extraheret.

38. *Petimus, etc*. Cœlum oppugnarunt olim Gigantes, et superos impii omnes lacessunt peccando, ac provocant.—*Stultitia*. Propter nostram amentiam : tanta est hominum insania.

39. *Per nostrum, etc*. Impedimus nostris sceleribus, quominus iratus nobis Jupiter deponat fulmina, in nostrum caput vibranda.

ODE IV.

Ad Sextium.

Adventu veris, et vitæ brevitate proposita, Sextium hortatur ut genio indulgeat.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas :
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente luna;
Junctæque nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto :
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

1. *Solvitur*. Relaxatur, mitescit. — *Acris hiems*. Hiems mordax et aspera. — *Grata vice veris*. Vere in vicem redeunte, quæ vicissitudo post asperam hiemem grata est. — *Vice*. Successione, reditu. — *Favoni*. Favonius, idem est ac Zephyrus : flat ab occasu.

2. *Trahunt*. Naves per hiemem in portu quiescunt, vel etiam in sicco littore sedent : exacta hieme, machinis et funibus e littore in aquam trahuntur, ut navigatio repetatur. Carina, pars navis infima.

3. *Gaudet, etc*. Non amplius pecora in stabulis continentur, ut fit hieme.

4. *Albicant pruinis*. Albescunt.

5. *Cytherea*. Venus : ita vocatur ab insula, quæ adjacet Peloponneso, contra Cretam : ea nunc *Cerigo* dicitur, olim Cythera ibi Venus colebatur. — *Choros*. Nymphas in orbem saltantes ducit. — *Imminente luna*. Incumbente ipsarum capiti, supra caput lucente : noctu.

6. *Gratiæ*. Tres numerantur, Aglaia, Euphrosyna, et Thalia. — *Junctæ nymphis*. Per manus, nempe in saltatione.

7. *Alterno*. Nunc hoc, nunc illo ; ut fit a saltantibus. — *Graves*. Ob graves Cyclopibus obeundos labores.

9. *Nitidum*. Unguentis et aromatibus delibutum. — *Impedire*. Implicare, coronare.

10. *Solutæ*. Laxatæ ob vernum calorem : frigus terram constringit ; calor contra solvit, atque aperit.

Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit hœdo.
Pallida Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis plutonia : quo simul mearis,
Non regna vini sortiere talis.

11. *Fauno*. Faunus fuit rusticorum deus; idem forte ac Pan.

12. *Agna, hœdo*. Scilicet sibi immolari.

13. *Pallida mors*. Redeunt in mentem percelebres lyrici nostratis versus, quibus locum hunc tam feliciter æmulatus est Malherbius.

14. *Regumque turres*. Excelsa nobilium et beatiorum ædificia. — *Tabernas*. Humiles casas.

15. *Summa*. Spatium, mora vitæ : numerus brevis dierum et annorum, quibus vivimus, prohibet nos ea suscipere, et sperare, quæ nisi longo tempore perfici non possunt, ampla et vasta moliri consilia.

16. *Jam te, etc*. Brevi te mors, quæ tota tenebrosa et nocti similis est, opprimet, ac inferi, qui meræ sunt fabulæ, vel, de quibus tam multæ fabulæ narrantur. Manes autem sunt proprie hominum animæ, quas ad inferos descendere putabant, ibique vel detrudi in Tartarum (erat is infimus ac teterrimus inferorum locus) cruciandas; vel in Elysium (qui locus erat in iisdem inferis amœnissimus), beandas abduci; aliquas etiam inde ad cœlum transferri, deorum in numerum reponendas.

17. *Domus exilis plutonia*. Arcta et angusta, frequenti animarum concursu; vel sic dicta ob exilem levium umbrarum formam.

18. *Non regna, etc*. Non sorte et talorum jactu, eligeris in convivio rex vini. Romani aliquem in conviviis statuebant velut regem et arbitrum convivii, qui præciperet quoties et quantum quisque biberet. Hunc autem regem sortiebantur alea missa. — *Talis*. Talorum jactu.

ODE V.

Ad Agrippam.

Bella ab Agrippa gesta a Vario celebratum iri; sibi argumentum jam grave minus convenire.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, mæonii carminis aliti,
Quam rem cumque ferox, navibus aut equis,

1. *Scriberis, etc*. Varius (erat ille poeta nobilis ea tempestate, Horatii et Virgilii amicus) te fortem scribet, hoc est, laudabit res a te fortiter gestas. — *Vario*. Pro scriberis a Vario. Locutio est Græcorum propria, qui dandi casum usurpant pro casu auferendi cum præpositione, post verbum passivum. — *Hostium*. Sexti Pompeii; erat ille Pompeii Magni filius, quem Octavius in freto Siculo vicit, anno U. C. 718, ope maxime et consiliis Agrippæ.

2. *Mæonii carminis*. Mæonium carmen idem ac homericum, ob patrem Mæonem seu patriam Mæoniam. — *Aliti*. Qui Varius est ales, id est, cycnus homerici carminis, seu, qui instar cycni est inter poetas heroicos, quorum princeps Homerus.

3. *Quam rem cumque*. Quamcumque rem. Ista vox, *quicumque*, solet a poetis dividi. Vocatur hæc figura Τμῆσις, *Tmesis*, id est sectio. — *Navibus aut equis*. Aut mari aut terra.

Miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Pelidæ stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
Nec sævam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia : dum pudor,
Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregii Cæsaris, et tuas,
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit ? aut pulvere troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydiden superis parem ?

5. *Agrippa*. Fuit amicus Augusti, et ejus gener; vir bello strenuus, et ob modestiam Augusto percarus.

6. *Pelidæ*. Achillis, qui Pelei et Thetidis filius. — *Stomachum*. Iram.

7. *Cursus*. Navigationem, errores. — *Duplicis*. Callidi, subdoli, aliud dicentis, aliud sentientis. — *Ulyssei*, A nominativo Ulysseus, qui derivatus est a græca voce 'Οδυσσεύς, tertiæ declinationis contractorum. *Ulyssei* est hic trissyllabum.

8. *Sævam*. Cædibus et parricidiis infamem.

9. *Conamur, etc.* Non conamur hæc dicere, quæ sunt a te præclare gesta, ut neque alia grandia carminum argumenta; quum adeo tenues poetæ simus. — *Pudor*. Verecundia, et meæ tenuitatis conscientia.

10. *Potens*. Musa domina et moderatrix meæ imbellis lyræ.

12. *Deterere*. Corrumpere et imminuere. — *Culpa*. Propter imbecilitatem et imperitiam meam.

13. *Martem*. Id est, viros bellicosos. — *Adamantina*. Dura, solida, impenetrabili, instar adamantis, quod est genus ferri durissimum.

15. *Merionem*. Meriones fuit Idomenei, Cretensium regis, socius, dux fortissimus, et in bello trojano clarissimus. — *Nigrum*. Conspersum.

16. *Tydiden*. Diomedem, Tydei filium, qui Martem ipsum in eodem bello vulnerasse ab Homero scribitur, et Venerem, Palladis ope in primis fretus.

ODE VI.

Ad Plancum.

Alii alias laudent civitates : Horatius vero reliquis anteponit Tibur, et Plancum hortatur ad diluendas vino curas.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi

1. *Rhodon*. Rhodus, *Rhodes*, insula, et civitas maris Mediterranei, vicina Cypro, e regione Siciliæ. — *Claram*. Clara certe pridem, tum ob Colossum, sive statuam solis, inter orbis miracula repositam; tum propter mercaturam, luxum et artes. — *Mitylenen*. Urbs primariæ insulæ Lesbi, nunc *Metelin*.

2. *Ephesum*. Urbs est minoris Asiæ, Dianæ templo celebris. *Ephèse*. — *Corinthi*. Corinthus est urbs Achaiæ in Græcia, posita fere in medio isthmi pe-

Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut thessala Tempe.
Sunt, quibus unum opus est intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, et
Undique decerptam fronti præponere olivam.
Plurimus, in Junonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, et Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos; sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores,
Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque

loponnesiaci, hinc Ionium, inde Ægæum mare prospiciens; unde *bimaris* appellatur, quasi utrinque mari cincta.

3. *Thebas*. Thebæ, nunc *Stives*, urbs Bœotiæ in Græcia (alia enim est ejusdem nominis in Ægypto), Bacchi patria. — *Delphos*. Delphi, nunc *Delpho*, urbs Phocidis prope Parnassum: in ea celeberrimum Apollinis templum fuit.

4. *Tempe*. Neutro genere, et plurali numero hæc vox dicitur: locum in Thessalia significat, vallibus, silvis, et hortis amœnissimis inclytum.

5. *Urbem*. Athenas, cujus urbis præses Pallas.

6. *Carmine perpetuo*. Cyclico quidem, quod perpetua serie Athenarum laudes complectatur.

7. *Undique, etc*. Coronare semper suam frontem oliva vulgo a poetis decerpta; id est argumento undequaque exhausto poeticam laudem quærere. Nonnulli legunt *decerptæ frondi*, hoc est anteponere olivam ceteris frondibus.

8. *Plurimus, etc*. Multi poetæ.

9. *Argos*. Neutrius generis est in singulari; masculini vero in plurali. Urbs clarissima Peloponnesi, ubi Juno maxime colebatur. — *Mycenas*. Mycenæ urbs est Peloponnesi, prope Argos, ubi regnavit Agamemnon.

10. *Lacedæmon*. Civitas in Peloponneso amplissima, alio nomine Sparta nuncupata, ubi regnavit Menelaus, Lycurgus floruit, et cives severissimis legibus instituit, ad omnem laborum in civili pariter ac militari vita patientiam.

11. *Larissæ*. Civitatis in Thessalia, unde Achilles oriundus. — *Percussit*. Movit, affecit; non tam mihi placuit.

12. *Albuneæ*. Nomen est fontis et silvæ, in Italia, prope fluvium Anienem: Tiburtinum agrum transit fluvius Albula, qui ex fonte Albunea oritur.

13. *Anio*. Flumen Italiæ: in agro tiburtino, qui præceps ex edito loco defluit in subjectam vallem: ab indigenis *Teverone* dicitur. — *Tiburni*. Viri nomen est, qui Tibur (*Tivoli*) civitatem Italiæ condidit in amœnissimo loco, ubi luci, et pomaria rivis errantibus rigata. Porro lucus Tiburni, est lucus ab ipso Tiburno consitus, et in Tiburni herois memoriam de more consecratus.

15. *Albus*. Cœlum serenum et candidum efficiens.

19. *Plance*. Plancus iste ab Antonio, quem secutus fuerat, rediit ad Augustum, circa ann. U. C. 722; a quo quum negligeretur, et a rebus gerendis amoveretur, eum Horatius in Tiburtina sua villa degentem consolatur. — *Molli*. Miti: vinum vetustum dicitur molle.

21. *Teucer*. Telamonis filius, Ajacis frater, quum, Troja capta, rediret in patriam Salamina, indignatus Telamon quod Teucer, Ajacis fratris sui, qui inimicorum injuriis exagitatus, et in furorem versus sibi violentas manus attulerat, necem non ultus esset, eum Salamine expulit; unde in Cyprum navigans ibi consedit, urbemque condidit, quam Sa-

Quum fugeret, tamen uda lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos :
« Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus. O socii comitesque,
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro ;
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi
Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas :
Cras ingens iterabimus æquor. »

lamina etiam appellavit. — *Salamina.* Salamin, sive Salamina, est insula et urbs maris Ægæi, e regione Atticæ, Telamonis regia.

22. *Lyæo.* Bacchus dictus est Lyæus, quia solvit curas, a verbo Græco λύειν, quod *solvere* significat. Hic pro vino ponitur.

23. *Tempora.* Caput. — *Populea.* E frondibus populi (*peuplier*) arboris contexta ; quæ arbor Herculi sacra.

25. *Quo nos.* Me. — *Melior.* Mihi amicior, et æquior, quam ipse pater, a quo pellor patria. — *Ibimus.* Ibo.

27. *Auspice.* Auspex ille dicebatur a Romanis, qui sumebat auspicia, vel cujus ductu, nomine, auspiciis, aliquid gerebatur.

28. *Certus.* Verax, qui certa et ventura promittit.

29. *Ambiguam, etc.* Ambigua, quia nomen idem habebit, atque illa, ubi pater meus regnat. — *Tellure.* In Cypro.

30. *Pejora.* Graviora pericula.

32. *Iterabimus, etc.* Iterum nos æquori committemus ; navigationem repetemus.

ODE VII.

Ad Lydiam.

Lydiæ exprobrat quod juvenem quemdam, quem Sybarin nominat, ab honestis exercitationibus avocet.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis ?
Cur neque militaris
Inter æquales equitat; gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?

3. *Perdere.* Ab honestis occupationibus avertere. — *Apricum, etc.* Soli expositum. — *Campum.* Significatur campus Martius, ubi juventus se exercebat.

4. *Oderit.* Non vacet exercitationibus usitatis in isto campo. — *Patiens, etc.* Qui pati potest solem et pulverem, vel, qui deberet pati, ob ætatem et robur.

5. *Militaris, etc.* Militum in morem, ut hominem militarem decet.

6. *Æquales.* Ejusdem ætatis adolescentes. — *Gallica, etc.* Nec equorum gallicorum (erant illi præstantissimi) ora habenis flectit ac regit. — *Lupatis.* Lupatum, vel lupatus, est frenum asperrimum, ab lupinorum dentium similitudine dictum, qui acuti sunt et inæquales.

Cur timet flavum Tiberim tangere ? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia, sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito ?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojæ
Funera, ne virilis
Cultus in cædem et lycias proriperet catervas ?

8. *Flavum Tiberim tangere*. Cur se ad natationem non exercet? Hoc fuit in moribus Romanorum, ut, post Campi Martii exercitationes, in Tiberim adhuc sudantes se immitterent. — *Olivum*. Luctaturi nuda corpora oleo tingebant, vel unguento quodam ex oleo et cera facto, ut essent robustiores, nitidiores, et minus idonei captantibus.

10. *Livida*, *etc*. Livor est color pallidum inter et sanguineum; sensus est: cur non gestas arma, id est discum et jaculum, quorum pondere brachia essent illi trita et livida?

11. *Disco*. Discus (*un disque, un palet*) erat circulus quidam solidus e plumbo, ære, ferro; quem juvenes in exercitationibus ad certam metam projiciebant.

13. *Quid latet*, *etc*. Cur abditus domi sedet, ut Achilles, qui sub, id est, paulo ante bellum trojanum, delituit muliebri veste occultatus, in aula Lycomedis, regis insulæ Scyri, ne virilis vestis eum proderet, atque ita protraheretur ad bellum trojanum. Detexit autem Achillem Ulysses.

16. *Lycias*. Lycia est regio Asiæ minoris; cujus populi opem tulere Trojanis contra Achillem et Græcos. Lyciorum duces erant Sarpedon et Glaucus, ab Homero celebrati.

ODE VIII.

Ad Thaliarchum.

Thaliarchum hortatur ad hiemem hilare transigendam.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jam sustineant onus
Silvæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.
Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum sabina,
O Thaliarche, merum diota.

1. *Stet*, *etc*. Totum sit candidum multa nive, vel, totum sit opertum nive, et quasi rigescat.

2. *Soracte*. Mons est non procul Roma, in agro Faliscorum : nunc *monte San Silvestro*. — *Onus*, *etc*. Nivis, pruinæ : ut arborum rami præ nive deprimantur ac frangantur.

4. *Constiterint*. Immota sint, gelu constricta non fluant.

5. *Dissolve frigus*. Mitiga, repelle et quasi laxa multo igne frigus, quod quasi contractum et constrictum est : calor laxat omnia; frigus adstringit.

6 *Benignius*. Largius, liberalius. Large apponi ligna jubet, largius vina; facete pro suo more.

7. *Quadrimum*. Quatuor annos natum, ideoque jam satis vetustum. — *Sabina*. Vasa fictilia maxime fabricabantur apud Sabinos.

8. *O Thaliarche*. Quis iste Thaliarchus

Permitte divis cetera; qui simul
Stravere ventos æquore fervido
Deprælantes, nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere; et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone: nec dulces Camenas
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus, et areæ,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora.

fuerit, et quare amicus Horatii, obscurum est. — *Diota*. Vas duabus ansis, quasi duabus auribus instructum.

9. *Permitte, etc.* Relinque alia negotia superum curæ : tu id unum cura, quomodo beatus et hilaris vivas. — *Qui simul, etc.* Qui statim atque compressere, composuere ventos antea decertantes inter se in mari turbido; alta quoque pax terras tenet, et silvarum arbores agitari desinunt : ita providentiam notat.

13. *Fuge quærere*. Noli sciscitari.

14. *Quem fors, etc.* Quicumque dies dabitur tibi a fortuna, hunc numera in lucro, et ad summam aliorum vitæ dierum appone, adde.

15. *Camenas*. Musæ et studia litterarum poni possunt inter oblectationes honestæ juventutis.

17. *Virenti*. Tibi adhuc juveni, et viridem ætatem agenti.

18. *Campus*. Martius. — *Areæ*. Urbis plateæ : aprica loca et patentia.

19. *Susurri*. Intellige confabulationes vespertinas cum amicis.

20. *Composita*. Præfinita, condicta, et constituta. — *Repetantur*. Iterentur, frequententur.

ODE IX.

Ad Mercurium.

Mercurii laudes celebrat.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decoræ
More palæstræ:
Te canam, magni Jovis et deorum
Nuncium, curvæque lyræ parentem,

1. *Mercuri*. Erat Mercurius filius Jovis et Maiæ, Atlantis filiæ; eloquentiæ, commercii, et furum præses.

2. *Cultus*. Mores barbaros hominum recens natorum, in mundi primordiis.

3. *Voce*. Eloquentiæ arte, quæ est ars vocis et sermonis. — *Catus*. Ingeniosus, vafer, cautus.

4. *More palæstræ*. Inducendo consuetudinem palæstræ, quæ fingit corpora ad motus decoros et habiles. — *Palæstræ*. Est palæstra exercitatio quælibet corporis, in cursu, luctatione, etc.; vel locus, ejusmodi exercitationi addictus.

5. *Deorum nuncium*. Reliquorum deorum interpretem.

6. *Curvæque, etc.* Qui lyram primo confecit Mercurius ex incurvo testudinis

Callidum, quidquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra,
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos,
Ilio, dives Priamus, relicto,
Thessalosque ignes, et iniqua Trojæ
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis.

tergo et testa. — *Parentem*. Auctorem, inventorem.

7. *Callidum condere*. Græca locutio : qui callidus es ad abscondendum quidquid libuit furari per jocum. — *Jocoso*. Non quia indiges rebus quas furaris; sed quia sic ingenium et calliditatem ostendis.

9. *Te, etc*. Apollo, quum olim te puerum asperioribus verbis terrere conaretur, minitans aliquid mali, nisi sibi redderes vaccas quas ipsi furto abdideras, non potuit risum continere, quum se quoque vidit exutum sagittis et pharetra sua, quam ipsi clam surripueras. — *Boves*. Apollo iratum Jovem fugiens in terras venit, ubi quum premeretur inopia, coactus est boves Admeti, regis Thessaliæ, mercede pascere.

10. *Amotas*. Abactas et furtim ademptas. — *Puerum*. Quum adhuc puerulus esses.

11. *Viduus*. Privatus pharetra.

13. *Atridas*. Menelaum et Agamemnonem, Atrei filios. — *Duce te, etc*. Priamus, ut Hectoris filii sui, ab Achille cæsi, corpus pretio redimeret, duce Mercurio, qui eum obscura nebula sepsit, profectus est in Græcorum castra, et per medias excubias ad Achillis tentorium penetrans, eum precibus inflexit, eodemque duce quo venerat, Trojam incolumis se recepit : Vide Homerum, lib. *Iliad*. ultimo.

14. *Ilio*. Troja. — *Dives*. Currum auro et muneribus onustum agens.

15. *Thessalos, etc*. Græcos excubitores. — *Iniqua*. Inimica Trojanis.

16. *Fefellit*. Latuit; græco more, *fallere*, sumitur pro *ignorari*.

17. *Pias*. Animas piorum corpore solutas, morte obita. — *Lætis, etc*. In Elysiis campis collocas; huc eas deducis.

18. *Virga*. Caduceo : est bacillus quidam, medius inter duos angues hinc inde implexos, et sibi obversos : insigne est pacis. — *Levem*. Scilicet umbrarum. — *Coerces*. Cogis et compellis in eumdem quasi gregem; ut oves pastor pedo congregat.

19. *Superis, etc*. Id est diis superis et inferis gratus : superis, ut Jovi; imis, ut Plutoni, etc.

ODE X.

Ad Leuconoen.

Missa futurorum cura, hodie vivendum.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoe; nec babylonios

1. *Tu ne quæsieris*. Cave ne curiose inquiras. — *Scire nefas*. Legendæ sunt hæ duæ voces intra parenthesim : hoc enim, inquit, nefas est scire, sciri nequit.

2. *Finem*. Vitæ metam. — *Babylo-*

Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Ætas; carpe diem, quam minimum credula postero.

nios numeros. Chaldæi, seu Babylonii, erant astrologiæ peritissimi; porro scientia illa divinandi maxime continetur numeris, sive computationibus, quibus astrorum cursus et motus numerat, etc.

3. *Ut melius, etc.* Ut melius patiaris quidquid eveniet. Quidam sic explicant eas voces : ut melius pati, id est, quandoquidem est melius et consultius pati quidquid erit, id est, ferre animo æquo quidquid eveniat.

4. *Hiemes, etc.* Plures annos ad vivendum dederit.

5. *Quæ nunc, etc.* Id est, hanc hiemem quæ nunc frangit, repercutit maris fluctus, oppositis pumicibus. Per pumices intellige scopulos marinis fluctibus exesos, instar pumicis, et excavatos.

6. *Sapias. Sapere* vocat, quod et vivere vulgo dicimus. — *Liques*. Percoles. Percolare vina, est ea per colum, hoc est sacculum, seu tenue linum, transmittere, ut quidquid est crassius secernatur; ita fiebant vina leniora et delicatiora. — *Et spatio, etc.* Cogitatione tam brevis spatii ad vivendum nobis concessi, amputa spem longioris vitæ et felicitatis : vel, in tam brevi spatio vitæ noli sperare quæ ob hanc vitæ brevitatem assequi nequis.

7. *Dum loquimur*. Eamdem sententiam sic expressit Persius : *fugit hora; hoc, quod loquor, inde est.* Egregie hanc temporis fugam ante oculos ponit Bolæus, et quasi motu ipso versus depingit.

8. *Carpe*. Hoc die præsenti, nulla interposita mora, fruere; parum fidens diei crastinæ, quæ incerta. Metaphora ducitur a floribus, aut fructibus, qui non omnes simul, sed paulatim singuli leguntur.

ODE XI.

Ad Augustum.

Deos et heroas clarosque viros primum, dein Augustum laudat.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumes celebrare, Clio?
Quem deum, cujus rĕcinēt jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Hĕlicōnis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo:
Unde vocalem temĕre insecutæ
Orphea silvæ,

1. *Quem virum, etc.* Ordo est : o Clio, quem virum, quem heroa, quem deum, tibi celebrandum sumes lyra, vel tibia, etc. — *Virum*. Rerum præclare gestarum gloria nempe conspicuum. — — *Acri*. Cujus sonus est acutior.

2. *Celebrare*. Græce, pro celebrandum. — *Clio*. Una e musis, quæ gravioris argumenti carminibus præest.

3. *Recinet*. Canendo iterabit.

4. *Imago*. Echo, quæ imago quædam vocis est. — *Jocosa*. Quia quasi ludentis more voci respondet.

5. *Heliconis*. Helicon est mons Bœotiæ in Græcia, Musis sacer, ut Pindus et Hæmus, ille in Thessalia, hic in Thracia.

7. *Unde vocalem, etc.* Quo ex Hæmo voce suavissima canentem Orpheum

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus?
Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus, qui res hominum ac deorum,
Qui mare et terras, variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
Præliis audax. Neque te silebo,
Liber, et sævis inimica virgo
Belluis; nec te, metuende certa
Phœbe sagitta.
Dicam et Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax (quod sic voluere) ponto

silvæ certatim et ordine nullo sunt secutæ.

9. *Arte materna*. Musica. Erat filius Calliopes, unius e musis quæ canendi peritissima. — *Morantem*. Sistentem.

11. *Blandum ducere*. — Græcum idioma; id est, potentem ducere blanda voce, et canoræ citharæ nervis, quercus *auritas*, hoc est, sentientes vocis suavitatem, quasi fuissent auribus præditæ.

13. *Parentis*. Jovis, qui deum hominumque pater vocabatur. *Solitis*, id est, notis et pervulgatis.

16. *Temperat*. Moderatur. — *Horis*. Horæ sæpe significant quatuor anni tempestates.

17. *Unde*. Ex quo Jove: nullus ipsius liberorum est patri æqualis.

18. *Viget*. Exsistit, vivit. — *Secundum*. Prope par.

19. *Occupavit*, *etc*. Etsi omnia infinito prope intervallo distent a Jove, tamen post illum proxime et maxime laudatur Pallas. Nonnulli legunt *occupabit*.

21 *Præliis audax*. Hæ voces melius conveniunt Palladi quam Baccho: plerique ad Bacchum referunt, non bene.

22. *Liber*. Sic vocatur Bacchus, quod animum curis liberet. — *Virgo*. Diana, quæ venatione ferarum delectatur.

23. *Certa*. Quæ semper scopum ferit.

25. *Alciden*. Herculem, Alcæi nepotem. — *Pueros Ledæ*. Castorem et Pollucem, Ledæ Tyndari uxoris filios. — *Hunc*. Castorem. — *Illum*. Pollucem. — *Superare*. Superando. — *Equis*. In certamine equestri. — *Pugnis*. In certamine cæstuum.

27. *Quorum*, *etc*. Castor et Pollux inter astra relati a Jove fuerunt, et nunc *Gemini* dicuntur ab astrologis, estque illud signum e duodecim zodiaci signis tertium. Nautis favere, et præesse mari putabantur, ideoque apparere sub figura stellarum duarum, seu potius erraticorum ignium, qui e marinis vaporibus concreti, apparent aliquando navigantibus, et serenitatem portendere creduntur. — *Simul*. Simul atque. — *Alba*. Serenitatis index: prospera et felix.

29. *Defluit*, *etc*., Aqua, vi tempestatis agitata, et scopulis injecta, ex illis defluit.

31. *Minax*. Intumescens, ac tempestatem, naufragiumque veluti minitans unda residet, sternitur, ac in mare recidit. — *Voluere*. Id est Gemini. — *Ponto*. Pro in pontum.

Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum, et Scauros, animæque magnæ
Prodigum Paulum, superante Pœno,
Gratus insigni referam camena,
Fabriciumque.
Hunc, et incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, et Camillum
Sæva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto, velut arbor, ævo
Fama Marcelli; micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni

34. *Pompili*. Numa Pompilius rex secundus Romanorum fuit, pacis et religionis amans.

35. *Tarquini*. Duo fuerunt Tarquinii, reges romani, alter Priscus, sive senior dictus : alter Superbus et regum romanorum ultimus. De Prisco igitur hic sermo est — *Superbos*. Splendidos. — *Fasces*. Sunt collecti in fasciculum bacilli, in quibus mediis exstat securis (*des faisceaux*). Romanis regibus, ac postea consulibus, prætoribusque præferebantur a lictore. — *Catonis*. Catonem Uticensem intelligit, M. Porcii Catonis nepotem, ita dictum ab Utica, urbe Africæ; ubi manus ipsi sibi violentas attulit, ne veniret in manus Cæsaris, postquam audivit Pompeianos ab eo profligatos.

37. *Regulum*. Dux fuit Romanorum, qui, captus a Carthaginiensibus, et Romam de captivis permutandis missus, suasit ne id fieret, ipseque, ut promiserat, rediit ad Pœnos, qui eum crudelissimis suppliciis necaverunt. — *Scauros*. Illustres illi fuerunt ob magna in rempublicam merita. Præ ceteris eminet M. Æmilius Scaurus.

38. *Paulum*. Æmilius Paulus, consul romanus, ad Cannas cum Hannibale pugnavit, et vitam pro patria deponendam magno animo contemnens profudit. — *Pœno*. Hannibale victore.

39. *Gratus*. Memor illorum virtutis.

40. *Fabriciumque*. Ille ter consul fuit; insigni frugalitate, et abstinentia, bella gravia cum Pyrrho gessit.

41. *Hunc*. Fabricium. — *Incomptis*. Neglectis et impexis, ut viros militares decet. — *Curium*. Unus e priscis Romanis fuit, insigni abstinentia et frugalitate : aurum a Samnitibus oblatum repudiavit, quum diceret malle se divitibus imperare, quam divitem esse.

42. *Tulit*. Protulit, eduxit ad reipublicæ gloriam, educavit.— *Camillum*. Is Gallos, incensa Roma, Capitolium obsidentes, fugavit, eosdem Romam redeuntes magna strage ad fluvium Anienem cecidit; quintum dictator fuit.

43. *Sæva*. Aspera; fortis et laboriosa. — *Avitus*. Ab avis et majoribus relictus. — *Apto*. Qui conveniret exiguo fundo, avis frugalibus et parcis, minime sumptuosa domo.

44. *Lare*. Domo : Lar proprie est deus domesticus, custos domus. — *Fundus*. Prædium, villa.

45. *Ævo*. Temporis progressu : nemine sentiente crescit arbor.

46. *Marcelli*. Hic agitur de Claudio Marcello qui adversus Annibalem pugnavit; quinquies consul fuit.

47. *Julium sidus*. Splendide dictum pro gente Julia.—*Inter omnes*. Scilicet ignes, hoc est, familias, gentes romanas. — *Ignes*. Stellas.

49. *Pater*. Jovem intelligit, Saturni filium, etc.

Cæsaris fatis data; tu, secundo
Cæsare, regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oræ
Seras et Indos,
Te minor latum reget æquus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

51. *Fatis data.* A fatis commissa. — *Secundo.* Secundum a te locum obtinente: ita ut tu primus orbis moderator sis, ille sit subjectus uni tibi et secundus, te solo minor, major ceteris regibus, etc.

53. *Latio.* Romano imperio, cujus prima sedes Roma, in Latio. Parthi autem diuturna cum Romanis bella gessere.

54. *Egerit.* In triumpho duxerit. — *Justo.* Quo vindicentur injuriæ romano imperio a Parthis illatæ.

56. *Seras et Indos.* Extremos Asiæ populos.— *Subjectos Orientis oræ.* Habitantes sub plaga orientali.

57. *Equus.* Mitis, propitius; vel sorte sua contentus, non tibi invidens.

58. *Quaties.* Fulminabis et tonabis.

60. *Lucis.* Silvis sacris, quas impii profanas fecerint.

ODE XII.

Sub allégoria navis, rempublicam alloquitur, et eam a bello civili renovando deterret.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus! O quid agis? fortiter occupa
Portum: Nonne vides ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? Non tibi sunt integra lintea;
Non di, quos iterum pressa voces malo;

2. *Novi fluctus.* Nova bella civilia. Ergone, o Romani, de instaurando bello cogitatis? Cæsis Bruto et Cassio in Macedonia, nondum penitus exstinctum fuit civile bellum.

3. *Portum.* Pacem, concordiam; Augusti clementiam.

4. *Nudum, etc.* Destituti estis militibus, ut navis remigibus.

6. *Gemant.* Laborent ac fatiscant, venti vim non ferentes.

7. *Durare.* Perferre diutius. — *Carinæ.* Trabes, e quibus ima pars navis conficitur, pro ipsis navibus sumuntur.

8. *Imperiosius.* Impotentius, gravius agitatum, et navim pro arbitrio huc illuc trahens jactansque.

9. *Integra lintea.* Integra vela, id est, integri exercitus.

10. *Non di, etc.* Non tibi sunt dii, seu integri dii, qui in puppi vulgo picti, navis tutela erant. Alii intelligunt deos tutelares quorum simulacra in puppi cum ara collocari solebant.

Quamvis pontica pinus,
Silvæ filia nobilis,
Jactes et genus, et nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas!

11. *Pontica*. Pontus est regio Asiæ minoris, in qua optimæ arbores ad naves construendas nascebantur.

12. *Silvæ filia nobilis*. Arbor in silva nobili prognata.

14. *Nihil pictis, etc*. Nihil juvat in tempestate navis nobilitas, nihil externus navis splendor, nihil, inquam, securitatis hæc inania ornamenta afferunt timidis nautis. — *Pictis*. Ad externum enim navium splendorem pertinebant picturæ, quibus puppes inprimis decorari solebant.

16. *Debes ludibrium*. Locutio est græca : nisi velis esse ventis ludibrio.

17. *Nuper sollicitum*. O navis, quæ eras nuper mihi sollicitudini atque tædio quum priore tempestate deprensa es, priore civili bello. — *Nunc desiderium*. Nunc voluptati et magnæ curæ es, et te cupio quietam in portu manere, pacem sub Augusto fovere : fuge, quæso, arma et civiles motus, ut scopulos maris et Cycladas nautæ fugiunt.

19. *Interfusa, etc*. Æquora fusa et currentia inter nitentes Cycladas. Cyclades insulæ sunt maris Ægæi. — *Nitentes*. Ob scopulos.

20. *Vites, etc*. Suadeo ut fugias periculorum angustias, quibus te facile extricare non possis.

ODE XIII.

Nerei vaticinium de Trojæ excidio.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata : « Mala ducis avi domum,

1. *Pastor*. Paris : ita vocatus, quia Priamus eum in silvis exponi jusserat, quum admonitus fuisset ipsum aliquando patriæ exitialem fore : tamen Hecuba, ejus mater, illum clam inter pastores educari et servari jussit. — *Traheret*. Trojam abduceret.

2. *Idæis*. Fabricatis in Ida, monte prope Trojam. — *Helenam*. Tyndari et Ledæ filia fuit, Menelai Græcorum regis uxor, a Paride rapta, et Trojam abducta. — *Perfidus*. Violata hospitii fide et sanctitate. — *Hospitam*. Paris, in Græciam Spartam missus ut Hesionem sororem suam repeteret, Menelai hospes fuit.

3. *Ingrato otio*. Id est, otio molesto ipsis ventis, qui gaudent perpetuo motu. — *Obruit otio*. Silere invitos jussit et quiescere.

4. *Fera*. Luctuosa, feralia.

5. *Nereus*. Deus maris præses, Oceani et Tethyos filius, Doridis maritus, pater nympharum maris, quæ ab eo Nereides vocantur. — *Mala avi*. Malis auspiciis.

7. *Conjurata, etc*. Solenni sacramento se obligatura ad Helenam a te

Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera dardanæ
Genti! Jam galeam Pallas et ægida
Currusque et rabiem parat.
Nequidquam, Veneris præsidio ferox,
Pectes cæsariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides :
Nequidquam thalamo graves
Hastas, et calami spicula gnossii
Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
Ajacem : tamen, heu! serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laertiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnæ, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Nosces : ecce furit te reperire atrox

divellendam, et evertendam Trojam (ubi Priamus jamdiu regnat), nisi eam reddas.

9. *Adest, etc.* Instat, imminet.

10. *Moves.* Paras, machinaris. — *Dardanæ.* Trojanæ, a rege Dardano sic appellatæ.

11. *Pallas.* Minerva eadem et scientiarum et belli præses. Græcis præcipue favebat, ut Venus Trojanis. — *Ægida.* Ægis erat scutum, caprinis pellibus tectum : cujus in medio videbatur Medusæ caput horridum anguibus. Diis vulgo tribuitur, maxime Jovi, et Palladi.

12. *Rabiem parat.* Concipit bellicum furorem.

13. *Veneris præsidio.* Orta inter deas Junonem, Palladem, et Venerem, controversia de præstantia formæ, Paris, adhuc inter pastores degens, judex adhibitus, causam Veneri adjudicavit. Hinc odium Junonis et Palladis in Trojam, et Veneris favor. — *Ferox.* Audax, fidens.

15. *Divides.* Aliud carmen uni feminæ, aliud canes alteri: vel, nunc voce, nunc lyra canes.

16. *Thalamo.* Cubiculo inclusus. — *Graves.* Timendas, funestas.

17. *Calami.* Arundinis, sagittæ. — *Gnossii.* Cretensis. Gnossus est urbs in Creta (*Candie*) insula : erant autem Cretenses periti jaculandi.

18. *Strepitum.* Belli tumultum. — *Sequi.* In te persequendo.

19. *Ajacem.* Duplex Ajax fuit : alter a patre Telamone, dictus Telamonius; alter, ob Oileo patre, Oileus cognominatus est. — *Heu!* Hæc exclamatio ad verbum *serus*, non autem ad verbum *collines* referenda est.

20. *Collines.* Fœdabis. — *Adulteros* crines vocat, nempe comptos cultosque studiosius, ut parum casti solent : vel, tuos adulteri. Paris a Pyrrho Achillis filio interfectus est.

21. *Laertiaden.* Ulyssem, Laertæ filium, qui ad expugnandam Trojam momenti plurimum attulit suis consiliis et dolis; ut Nestor, sapientia.

22. *Pylium.* Oriundum ex Pylo, urbe Peloponnesi.

23. *Salaminius.* Oriundus e Salamine, insula et urbe prope Athenas.

24. *Sthenelus.* Capanei filius, dux unus Græcorum, Diomedis socius, vir fortissimus. — *Sciens pugnæ, etc.* Pugnabant Græci vulgo e curribus, alter in curru stans, alter equos flectens ac regens : utrumque a Sthenelo egregie fieri Nereus dicit, sive pugnandum e curru sit, sive equis imperitandum.

27. *Furit, etc.* Ardet, vehementer cupit.

Tydides, melior patre;
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei.
Post certas hiemes uret achaicus
Ignis iliacas domos.

28. *Tydides, etc.* Diomedes, Tydeo patre fortior.

30. *Immemor.* Omittens gramen, lupum fugit.

31. *Sublimi, etc.* Anhelitum ex alto pectore vix trahens, præ metu, et identidem caput, ut fit, attollens.

32. *Hoc.* Hanc animi mollitiem et ignaviam. — *Tuæ.* Helenæ.

33. *Iracunda, etc.* Achillis classis, quæ ob iram sui ducis ab Agamemnone dissidentis, recusabit pugnare contra Trojanos, in causa erit cur Ilii ruina, et Iliadum differatur. — *Diem.* Fatalem exscidii diem. — *Proferet.* Differet.

35. *Post certas.* Post certum annorum numerum. — *Achaicus.* Græcus, a Græcis immissus; Achaia pars est Græciæ.

ODE XIV.

Palinodia.

Tyndaridem quam maledictis versibus laceraverat Horatius, lenire aggreditur, iracundiæ impotentiam causando.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis, sive flamma,
Sive mari libet adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola pythius,
Non Liber æque, non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Tristes ut iræ: quas neque noricus

2. *Quem, etc.* Abolebis, quacumque voles pœna, scriptos in te iambos; eos tolles e medio quocumque modo libuerit; statues de illis ut libebit. — *Criminosis.* Maledicis (*satiriques, médisants*). — *Modum pones.* Finem, exitum.

4. *Libet, etc.* Subaudi, eos punire et mulctare : seu in ignem, seu in aquam libet conjicere.

5. *Non, etc.* Excusat se, quia elatus iracundia scripsit istos versus; offensus forte ab ipsa Tyndaride. Sententia est : non ita suos sacerdotes Cybele, Apollo, Bacchus, agitant, ut iracundia homines quatit. — *Dindymene.* Cybele; sic dicta a Dindymo, Phrygiæ monte, ubi colebatur a Corybantibus. — *Adytis.* In Adytis. Adyta, ἄδυτα, sunt templi penetralia, quo profanis hominibus adire non licet. — *Apollo*, Pythius dictus, a serpente Pythone quem interemerat. — *Quatit.* In furorem agit.

7. *Liber.* Bacchus. — *Æque.* Similiter, tanto furore.

8. *Geminant.* Ictu repetito quatiunt.

9. *Noricus.* Noricum regio est Germa-

Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec sævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus, particulam undique
Desectam, et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere; et altis urbibus ultimæ
Stetere causæ cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem : me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, et in celeres iambos
Misit furentem. Nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia; dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

nis, ubi nunc fere Bavaria ; in ea regione procudebantur enses optimi, ob præstantis ferri venas uberes.

10. *Deterret.* Exterret : sistit ac retinet.

12. *Tumultu.* Quem tonitru excitat.

13. *Fertur, etc.* Dicitur Prometheus, quum homines e limo fingeret, coactus fuisse addere ad lutum illud princeps, sive primigenium, unde illorum corpora compegerat, particulam ab omnibus animalibus desectam et decisam, et a leone sumpsisse vim, hoc est, iracundiam et rabiem, eamque in hominis stomacho posuisse. — *Principi limo.* Vel nobiliori, vel meliori et exquisitiori.

14. *Coactus.* Quia dotes omnes naturæ in fingendis animalibus consumpserat : itaque coactus est ab iisdem animalibus aliquid veluti resecare, quod homini tribueret.

15. *Insani.* Furiosi, præter modum iracundi.

16. *Stomacho, etc.* Hinc dicunt Latini, stomachum movere, pro iratum facere, et stomachari, pro irasci.

17. *Iræ Thyesten, etc.* Ira fratris Atrei exitio fuit Thyestæ, cui filius epulandus appositus est.

18. *Et altis, etc.* Eadem iracundia fuit causa postrema et gravissima, cur celeberrimæ urbes penitus everterentur. Ita eversæ sunt Troja, Numantia, Carthago, etc. Idcirco autem urbis eversæ solum jubebant arari, ut intelligeretur ibi non amplius fore urbem, sed agrum; ut spes omnis restituendæ urbis tolleretur.

22. *Compesce, etc.* Iram mitiga. — *Me quoque, etc.* Æstus iracundiæ me, utpote juvenem, impulit, etc.

24. *In celeres iambos.* Celeres vocat, quia iambus ex brevi et longa constat, atque ideo celeriter pronunciatur.

26. *Mutare, etc.* Loco tristium versuum et maledicorum, placidos et mites cupio scribere.

27. *Recantatis.* Retractatis, revocatis. *Recantare* interdum est contraria cantare, et prius dicta condemnare. — *Amica.* Benevola, placata.

28. *Animum reddas.* Spem scilicet, in gratiam me tecum esse rediturum.

ODE XV.

Ad Tyndaridem.

Tyndaridem invitat in suam villam, in Lucretili monte sitam.

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, et igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, et thyma deviæ
Olentis uxores mariti :
Nec virides metuunt colubros,
Nec martiales hœduleæ lupos;
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles, et Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Di me tuentur : dis pietas mea,
Et musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle, caniculæ
Vitabis æstus; et fide teia
Dices laborantes in uno

1. *Velox, etc.* Faunus sæpe, relicto monte Arcadiæ Lycæo, venit in Lucretilem, Sabinorum in Italia montem.

2. *Faunus.* Idem ac Pan, Satyrorum ac deorum rusticorum princeps.

3. *Defendit.* Arcet, prohibet ne æstas immodico æstu meas capellas vexet.

4. *Usque.* Semper.

5. *Impune.* Sine luporum, aut rei alterius noxiæ metu.

6. *Deviæ.* Huc illuc temere vagantes.

7. *Olentis mariti.* Capri, qui vir gregis a Virgilio vocatur. — *Uxores.* Capellæ.

9. *Martiales.* Audaces, crudeles, ideoque in Martis fide ac tutela. — *Hœduleæ.* Teneræ ac recentes capellæ.

10. *Utcumque.* Quotiescumque, ubicumque. — *Fistula.* Fauni.

11. *Usticæ.* Mons, seu collis Lucretili vicinus : cubans dicitur, hoc est, leniter declivis, et fere jacens. Altissimi enim montes videntur stare; humiles et demissi jacere.

12. *Lævia.* Polita, atque ideo ad vocem fistulæ geminandam idonea.

13. *Pietas.* Quia colit deos.

14. *Hic, etc.* In hoc loco fluet tibi ad plenum, id est, ad satietatem, copia et abundantia omnium frugum et fructuum (qui sunt honores opulenti ruris et ornamenta), veluti ex uberrimo Amaltheæ cornu.

16. *Cornu.* Capræ scilicet Amaltheæ.

17. *Reducta.* Separata tantisper a reliqua villa, secretiori, et solitaria. — *Canicula.* Canicula, seu canis minor, est sidus quo oriente graviores æstus sæviunt : appellatur etiam Sirius.

18. *Fide, etc.* Fides aliquando significat citharæ chordam et nervum; estque tunc declinationis tertiæ. — *Teia.* Id est, anacreontica. Nam Anacreon oriundus Teo, insula Ioniæ.

19. *Laborantes in uno.* Viri unius, nempe Ulyssis, amore implicatas, Circen, quæ illum retinere frustra conata est, et Penelopen, ejusdem uxorem, castitatis fama notam.

Penelopen, vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula lesbii
Duces sub umbra ; nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia, nec metues protervos.

20. *Vitream*. Pulchram et pellucidam, instar vitri. — *Circen*. Veneficarum crudelissimam, quæ Ulyssem tempestate jactatum excepit in Italia, ejusque socios in porcos transformavit.

21. *Innocentis*. Quod sine periculo ebrietatis largius potatur. — *Lesbii*. Vini ab insula maris ægæi Lesbo.

22. *Duces*. Hauries, ex amphora educes. — *Nec Semeleius, etc*. Bacchus vocatur Semeleius, quia ejus mater fuit Semele; Thyoneus, quia ipse furorem ebrietate provocat; græca enim ea vox est, et significat furentem ac præcipitem.

24. *Protervos*. Viros parum modestos et continentes.

ODE XVI.

Ad Varum.

Usum vini moderatum commendat.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem,
Circa mite solum Tiburis, et mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura deus proposuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius,
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum

1. *Vare*. Quintilius Varus Horatii Virgiliique amicus fuit. — *Sacra*. Baccho nempe consecrata. — *Prius*. Potius plantaveris.

2. *Mœnia Catili*. Hoc est, circa Tibur (*Tivoli*). Catilus enim, Amphiarai Thebani filius, hanc Italiæ urbem fundavit, cum fratribus Tiburno, vel Tibure, et Corace : Tiburnus, natu maximus, nomen urbi dedit : in ea Varus habitabat, aut villam habebat non procul.

3. *Siccis*. Qui vino non utuntur : dii jusserunt omnia illis male succedere.

4. *Aliter*. Quam vino.

5. *Crepat*. Queritur; cum dolore commemorat.

6. *Quis non te, etc*. Subaudi, *crepat*. Crepare aliquid, est de illa re loqui cum vehementiori cupiditate et affectu, seu doloris, seu lætitiæ.

7. *At, ne, etc*. Verum admonet homines pugna Centaurorum cum Lapithis, commissa in vino et ebrietate, ne quis transiliat modum in Liberi seu Bacchi muneribus sumendis, hoc est, in vino potando; ne quis immodice bibat et justo largius.

8. *Lapithis*. Lapithæ et Centauri erant populi Thessaliæ. — *Super mero*. Inter vina et pocula.

9. *Debellata*. Pugnata, confecta. — *Monet, etc*. Docet etiam nos modice vino utendum esse Evius, id est Bacchus. — *Non levis*, hoc est, gravis, noxius, exitialis Sithoniis, Thraciæ populis.

10. *Quum fas, etc*. Quum illi Sithonii, sive Thraces, ebrii et avidi explendarum libidinum, discernunt exiguo fine fas et nefas, hoc est, ponunt exiguum limitem et discrimen inter fas, seu quod licitum est, et nefas, seu quod illicitum.

Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam : sæva tene cum berecynthio
Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, pellucidior vitro.

11. *Non ego te, etc.* O Bacche, non movebo tuas statuas, ac deripiam e suo loco, te invito ac repugnante. — *Bassareu.* Bacchi est nomen a voce hebræa, quæ vindemiam sonat. Candidus appellatur, id est liber, sincerus, verax.

12. *Quatiam.* Quatere, movere, commovere sacra, est statuas deorum e templis proferre, et alia quibus opus erat in sacrificando. — *Obsita.* Tecta, obducta, plena; subaudi, sacra mysteria.

13. *Tene, etc.* Comprime, cohibe : noli me ad furorem et ebrietatem incitare pulsando tua cornua et tympana : quæ tympana, quam ebrietatem, sequitur amor sui cæcus, inanis gloria sublime caput attollens, et temeritas in prodendis arcanis. — *Berecynthio.* Simili cornibus, quæ inflant sacerdotes Cybeles. Cybele colebatur in monte Phrygiæ Berecyntho : in Cybeles autem sacris pulsabantur incondito strepitu gravia cornua, seu tubæ corneæ, a sacerdotibus furiosis.

15. *Vacuum.* Levem, arrogantem, prudentiæ expertem. — *Plus nimio.* Plus justo. — *Gloria.* Arrogantia — *Verticem.* Caput.

16. *Fides, etc.* Fides arcani prodiga, quæ temere arcanum effutit; id est infidelitas, quæ perspicua est magis quam vitrum, quod res ita non tegit, quin trans illud appareant.

ODE XVII.

Ad Mæcenatem.

Frugale Mæcenati spondet convivium.

Vile potabis modicis sabinum
Cantharis, græca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
    Quum tibi plausus,
Care Mæcenas eques, ut paterni
Fluminis ripæ, simul et jocosa

1. *Sabinum.* Subaudi, vinum. Sabina regio non procul Roma erat, ubi vinum leve ac vile nascebatur : ibi villam habebat Horatius.

2. *Cantharis.* Scyphis, poculis minoribus. — *Græca testa.* Romani condere vinum solebant in vasis fictilibus, quorum præstantissima fuere græca.

3. *Levi.* Præteritum est verbi *lino.* Solebant Romani suas amphoras oblinere et inducere pice, vel cera, in eaque imprimere nomen consulis, et anni quo vinum in dolia vel amphoras fundebant. — *Datus, etc.* Eo tempore vinum meum condidi in amphoris, quo tibi applausit populus in theatro, nempe post gravem morbum.

5. *Eques.* Gaudebat hac appellatione Mæcenas, quæ ipsius modestiam significabat : in equestri enim ordine constiterat, quum ad altiorem ordinem ascendere facile potuisset. — *Ut.* Ita ut. — *Paterni fluminis.* Tiberis, qui fluit ex Etruria, Mæcenatis patria.

6. *Jocosa imago.* Echo, quæ laudes tibi a populo plaudente, quum in theatrum subires, datas reddebat ac geminabat.

Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, et prælo domitam caleno
Tu bibes uvam : mea nec falernæ
Temperant vites, neque formiani
Pocula colles.

7. *Vaticani*. Mons Vaticanus (*le Vatican*) complectitur varios colles perpetuo jugo porrectos a Janiculo ad Milvium pontem. Theatrum Pompeii fere contra ipsum Janiculum erat ; ex quo et vicinis collibus plausus resultavit.

9. *Cæcubum*. Vinum optimum, a cognomine loci dictum in Campania, prope Romam. — *Domitam*. Pressam, calcatam. — *Caleno*. Cales seu Calenum urbs.

10. *Falernæ*. Falernus ager in Campania est, ubi vites optimæ ; Formiæ, ejusdem Italiæ oppidum, vino suo nobile, quod in vicinis collibus erat laudatissimum. — *Tu bibes*. Scilicet domi, apud te. — *Mea nec temperant, etc.* At vinum meum sabinum ne temperatur quidem admixto vino quod dant falernæ vites vel formiani colles.

ODE XVIII.

Laudes Apollinis ac Dianæ.

Dianam teneræ dicite virgines ;
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis, et nemorum coma,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi ;
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

2. *Cynthium*. Sic vocatur Apollo, a monte Cyntho, in Delo insula. — *Intonsum*. Intonsus etiam semper pingebatur, imberbis, ac juveni similis.

3. *Latonam*. Matrem Dianæ et Apollinis.

4. *Penitus*. Valde, vel familiariter.

5. *Lætam*. Dianam significat, quæ gaudet silvis et amnibus.

6. *Quæcumque, etc.* Quæcumque coma, quæcumque frondes arborum prominent, germinant ex arboribus ac prodeunt, sive in Algido, sive in Crago, etc. — *Algido*. Algidus est silva, et mons, paucis leucis Roma distans, Dianæ sacer.

7. *Nigris*. Umbrosis, propter arborum densitatem. — *Erymanthi, etc.* — Erymanthus est mons Arcadiæ in Græcia : Cragus Lyciæ, in Asia minori ; ambo celebres poetarum figmentis, et Dianæ sacri.

9. *Tempe*. Vallis erat amœnissima in Thessalia, Apollini sacra ; quia post occisum Pythonem serpentem, eo secessit, ac sacrificia piacularia fecit.

10. *Natalem*. Terram natalem : patriam. — *Mares*. Id est, vos pueri. — *Delon*. Delus est insula maris Ægæi : Cycladum clarissima.

12. *Humerum, etc.* Apollinis humerum laudate, insignem pharetra et lyra,

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, et principe Cæsare, in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

seu, Apollinem pharetram humero gestantem, et lyram. — *Fraterna*. Quam ipsi Mercurius frater, lyræ inventor et artifex, dedit.

13. *Hic*. Apollo a vobis rogatus. — *Lacrimosum*. Exitiosum.

15. *Persas*. Parthos, Romanis infestos. — *Britannos*. Britanniam, hodie Angliam, nondum a Romanis domitam.

16. *Aget*. A populo romano et Cæsare avertet, convertetque in hostes romani nominis, Parthos nempe, et Britannos.

ODE XIX.

Ad Aristium Fuscum.

Vir probus ubique tutus.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in sabina,
Dum sequor calles dubios, et ultra
Terminum, curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris

1. *Integer vitæ*. Cujus vita et mores integri, et sine crimine sunt

2. *Non eget*. Non opus habet. — *Mauris*. Mauri populi sunt Africæ, in mittendis jaculis exercitatissimi.

3. *Venenatis*. Solebant ferrum sagittæ et acumen imbuere veneno. — *Gravida*. Plena, referta.

4. *Fusce*. Scribit hanc oden ad Aristium Fuscum, amicum suum, poetam et oratorem egregium.

5. *Syrtes*. Loca adjacentia Syrtibus, id est vadis arenosis in mari ad extremæ Africæ littus. — *Æstuosas*. Arentes, arenosas; vel procellosas, agitatas.

6. *Inhospitalem*. Nullis hospitibus habitabilem, ob frigus, et asperitatem cautium.

7. *Caucasum*. Est mons Scythiæ, ubi Prometheus religatus fuisse dicitur.

8. *Hydaspes*. Indiæ fluvius, de quo multa fabulosa narrantur. — *Lambit*. Alluit, rigat.

9. *Silva sabina*. Id est, quæ adjacebat villæ suæ sabinæ.

10. *Ultra terminum*. Ultra fines mihi notos, ac vias tritas: ultra terminum solitæ deambulationis.

11. *Expeditus*. Liber ab omni cura et solutus.

13. *Quale*, etc. Qualem lupum, monstri et portenti similem, neque Daunia (pars est Apuliæ) in silvis quercuum plenis nutrire solet: nec Mauritania in qua Juba regnavit. — *Militaris*. Bellicosa.

Daunias latis alit æsculetis,
Nec Jubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ, malusque
Jupiter urget;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Sola me virtus dabit usque tutum,
Sola beatum.

14. *Daunias*. Scilicet terra. — *Æsculetis*. Locus æsculis frequens. Æsculus est species quercus.

15. *Jubæ*. Juba fuit rex Mauritaniæ, pompeianis partibus addictissimus : superato Pompeio, sibi necem conscivit : de eo Jul. Cæsar triumphavit.

16. *Arida*. Æstuosa, siticulosa.

17. *Pigris*. Ubi omnia inerti frigore constringuntur, et ne levis quidem aura calidior adspirat.

19. *Latus mundi*. Zonæ enim frigidæ nobis extremæ partes terræ videntur, ideoque quasi latera mundi.

20. *Jupiter malus*. Aer inclemens, frigidus, nebulosus. — *Urget*. Vexat, contristat.

21. *Sub curru, etc*. Sub zona torrida.

22. *Domibus negata*. Inhabitabili, ut falso arbitrabantur veteres.

23. *Sola me virtus*. Vera vox ; ad eam totius odæ sententia collineat.

ODE XX.

Ad Virgilium.

Ut Quintilii mortem æquo ferat animo Virgilium adhortatur.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis ? Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget! cui Pudor, et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,

1. *Quis desiderio, etc*. Cui dedecori sit desiderium quo tam dilectus amicus efflagitatur, vel quis modum in eo tenere valeat. Desiderium proprie est, luctus de alicujus absentia, vel morte conceptus.

2. *Præcipe*. Doce me. — *Lugubres, etc*. Querulos cantus.

3. *Melpomene*. Una Musarum. — *Liquidam*. Claram, canoram. — *Pater*. Jupiter, Musarum parens.

5. *Sopor*. Somnus æternus; ita mortem poetæ appellabant. — *Quintilium*. Quintilius Varo, de quo supra, od. 16.

6. *Urget*. Premit, occupat, constructum tenet.

7. *Fides*. Fidelitas, quæ precibus et pretio corrumpi non potest. — *Nuda* Sine fuco, doli expers.

8. *Quando*. Raro aut nunquam.

9. *Flebilis*. Deplorandus.

Nulli flebilior, quam tibi, Virgili:
Tu frustra pius, heu! non ita creditum,
Poscis Quintilium deos.
Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

11. *Frustra*. Quia eum non revocabis ab interitu. — *Non ita creditum*. Non ita commissum tibi a diis et veluti depositum, ut nunquam repeteretur, ut nunquam moreretur.

12. *Poscis deos*. Rogas ut eum vitæ, ac tibi reddant.

13. *Quod si, etc.* Atque licet caneres suavius Orpheo, Thraciæ vate, quem ipsæ arbores canentem audierunt ac secutæ sunt, non tamen reddes vitam umbræ inani.

14. *Arboribus*. Ab arboribus. — *Fidem*. Lyram, citharam.

15. *Sanguis*. Vita. Ponebant veteres vitam in sanguine. — *Imagini*. Umbræ, sive animæ suo corpore solutæ, quam cogitamus ut formam, et imaginem quamdam hominis viventis, sed tenuem, et vento ac fumo similem, vitam sine corpore.

16. *Virga*. Caduceo. — *Horrida*. Horrorem incutiente.

17. *Non lenis, etc.* Non facile exorabilis ad recludenda fata, id est, ad exsolvenda et resignanda, quæ fatorum lege ac decretis veluti clausa et obserata sunt; vel aliter, non facile vitam rursus aperiens.

18. *Compulerit, etc.* Addiderit nigro gregi; conjecerit in turbam umbrarum et mortuorum. Mercurius umbras mortuorum ad inferos ducebat.

19. *Durum, etc.* Est certe durum quod dico, et quod pateris: sed quod mutari non potest, patientia est mitigandum. — *Patientia*. Moderate illud ferendo.

20. *Est nefas*. Non licet; quod corrigi non potest.

ODE XXI.

De Ælio Lamia.

Musas laudat, et ut Lamiam celebrent rogat.

Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare creticum
Portare ventis; quis sub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,

1. *Musis, etc.* Dum ero Musis carus, deponam omnem tristitiam, et metus meos dabo ventis deportandos in mare, etc.

2. *Tradam portare, etc.* Tradere ventis, est oblivioni tradere, perinde ac si diceret, ego omnes curas ex animo rejiciam. — *Protervis*. Improbis, inquietis. — *Creticum*. Pro quovis alio mari. Creta (*Candie*) insula in mari Mediterraneo.

3. *Arcto*. Arctos, Ἄρκτος; vox est græca, *ursam* significans. Est autem Ursa sidus septentrionale.

4. *Gelidæ oræ*. Regionis Arcturæ, borealis.

Quid Tiridaten terreat, unice
Securus. O, quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplei dulcis : nil sine te mei
Prosunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc lesbio sacrare plectro,
Teque tuasque decet sorores.

5. *Tiridaten*. Tiridates, Armeniæ rex, Parthorum regnum invaserat, expulso Phraate, qui ad Scythas confugit. Paulo post Scythis adventantibus ut Phraatem in regnum restituerent, Tiridates novis terrebatur periculis, ne ipse solio dejiceretur. — *Unice*. Maxime.

7. *Gaudes, etc*. Quæ amas fontes integros, id est, e quibus nondum quisquam libavit; vel, plenos et puros. — *Apricos*. Soli expositos: nocet umbra floribus.

8. *Lamiæ*. Ælius Lamia nobilis Romanus erat.

9. *Pimplei*. Voc. a Pimpleis, idos, Græciæ seu Thraciæ, ut alii volunt, fontis, Musis consecrati.

10. *Hunc*. Lamiam. — *Fidibus novis*. Lyricis versibus latinis, quos a se primum Italis monstratos gloriatur sæpe Horatius.

11. *Lesbio plectro*. Carmine lyrico alcaico : ejus enim repertor fuit Alcæus, oriundus a Lesbo, ægæi maris insula. — *Sacrare*. Immortalitati consecrare.

12. *Sorores*. Musas.

ODE XXII.

Ad sodales convivas, ne inter vina rixentur et pugnent.

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est. Tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibite rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat! Impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

1. *Natis, etc*. Convenit tantum barbaris, quales sunt Thraces, uti scyphis, hoc est, cyathis et poculis, tanquam armis ad pugnam committendam : nata enim sunt pocula et instituta ad hilaritatem, non ad bellum.

3. *Verecundum*. Modestum, alienum a rixa et tumultu; modice sumendum.

4. *Prohibete*. Defendite, vel, per hypallagen, prohibete rixas, et removete a Baccho verecundo.

5. *Vino, etc*. Mirum quantum est discrimen inter vinum et enses Medorum recurvos, inter convivium et certamen : non bene ista conveniunt inter se. — *Lucernis*. Bibebant epulabanturque ferme noctu, et accensis lucernis. — *Acinaces*. Gladius incurvus et latior : eo utebantur Persæ et Medi.

6. *Immane, etc*. Incredibile dictu est quantum discrepet.

8. *Presso*. Impresso vel innixo scilicet pulvillis substratis. Jacebant in lectulis Romani, quum accumberent mensæ et lævo cubito, ac sinistra manu nitebantur, caputque sustentabant; altera manu cibos ori admovebant.

ODE XXIII.

Archytas Tarentinus, cujus cadaver insepultum nauta quidam in littore deprehenderat, fingitur cum eo loqui, et illum rogare ut sibi terram injiciat.

NAUTA.

Te maris, et terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

ARCHYTAS.

Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admissus; habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum, quamvis clypeo trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos, atque cutem morti concesserat atræ:
Judice te, non sordidus auctor

1. *Te maris, etc.* Sunt hæc verba nautæ quasi subsistentis ad adspectum cadaveris Archytæ, et præ commiseratione exclamantis.

2. *Mensorem, etc.* Sic geometram vocat, cujus est terram, maria et littora metiri. — *Cohibent, etc.* Negatum sepulturæ munus prohibet ne Stygem transmittas: insepulti enim in Charontis cymbam non admittebantur.— *Archyta.* Fuit Archytas patria Tarentinus, celeberrimus philosophus et mathematicus.

3. *Matinum.* Matina est regio et ora Italiæ, ad mare; sic dicta a Matino monte, Calabriæ vicino.

5. *Aerias, etc.* Cœlum quasi penetrasse mente.

6. *Morituro.* Siquidem eras moriturus.

7. *Occidit, etc.* Respondere fingitur iste Archytas. — *Pelopis genitor* Tantalus, rex Lydiæ, qui deos convivio excepit.

8. *Tithonus, etc.* Auroræ maritus, qui uxoris arte vitam longissimam vixit, ac demum senio exsiccatus, in cicadam mutatus est, ut narrant fabulæ. — *Remotus in auras.* In cœlum, in ætherias auras raptus, scilicet ab Aurora.

9. *Minos.* Cretæ rex fuit, ac Jovis filius; judex inferorum creatus, ob summam æquitatem et severitatem.

10. *Panthoiden.* Pythagoram, olim Panthoi filium, ut ipse dicebat: licet enim Mnesarchi filius esset, tamen narrabat se, annis antequam esset Pythagoras, fere 700, fuisse Euphorbum Panthoi filium, qui trojano in bello perierat: idque ut probaret, refixerat, id est, detraxerat e templo Junonis Argivæ clypeum, quem Menelaus Euphorbo, a se interfecto, ereptum in eo fixerat ac suspenderat, et quem a se, tunc Euphorbo, gestatum trojani belli temporibus idem Pythagoras agnoscebat.—*Iterum.* Nempe primo quum esset Euphorbus, secundo quum esset Pythagoras. — *Orco demissum.* Mortuum.

12. *Nihil ultra, etc.* Corpore solo mortuus veluti erat, anima superstite, et in aliud corpus transeunte.

14. *Judice te, etc.* Tuo quidem judi-

Naturæ verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti;
Exitio est avidum mare nautis;
Mixta senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare. Sic, quodcumque minabitur Eurus,
Fluctibus hesperiis, venusinæ
Plectantur silvæ, te sospite; multaque merces,
Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita jura, vicesque superbæ,
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla resolvent.
Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

cio, auctor non spernendus in indagatione veri et rerum naturalium.

15. *Manet*. Exspectat, omnibus imminet. — *Nox*. Mors, tenebrosa tota.

17. *Dant alios*, *etc*. Alii moriuntur in bello, in quo eos Furiæ præbent quasi ludibrium et speculum Marti, qui cruenta ista tragœdia gaudet.

18. *Avidum*. Omnia absorbens.

19. *Densantur*. Cumulantur, coacervantur.

20. *Proserpina*. Plutonis uxor, quæ jus quoddam habet in mortuos ut pote inferorum regina, et mortuorum. — *Fugit*. Præterit; excipit.

21. *Devexi*, *etc*. Proni, cadentis, ad polum vergentis. — *Orion* est sidus in fronte Tauri, quod quum oritur et occidit, ventos et procellas excitat.

22. *Illyricis undis*. Fluctibus maris adriatici. Illyria est regio opposita Italiæ orientali.

23. *Vagæ*. Quæ huc et illuc volvitur. — *Parce*. Ne omitte. — *Malignus*. Avarus, parcus.

25. *Dare*. Ingerere. — *Sic*, *etc*. Particula ista precantis est. Ita faxint superi, inquit Archytas, ut, etc.

26. *Hesperiis*. Italia vocata est Hesperia magna, a quodam Hespero. — *Venusinæ*. Venusium est civitas Apuliæ.

27. *Merces*. Lucrum; laboris fructus et industriæ.

28. *Unde potest*. A quo, scilicet Jove vel Neptuno. — *Potest*. Scilicet defluere. — *Æquo*. Favente.

29. *Custode*. Patrono: ibi colebatur; est autem Tarentum civitas Italiæ in Calabria.

30. *Negligis*, *etc*. An tu parum curas, pro nihilo habes scelus committere quod in tuos nepotes recidet, si negligis arenam meo corpori injicere?

31. *Fors et*, *etc*. Fortasse tu ipse solves præmia ista tuæ crudelitati jure debita. *Jura* vocat *debita*: quia jus est ut ita cuique eveniat, uti de aliis est meritus, et suo ipse exemplo puniatur.

32. *Vices superbæ*. Pœna facinori superbo et crudeli vicissim debita.

33. *Precibus*, *etc*. Eveniet illud quod imprecor; me superi ulciscentur.

34. *Piacula*, *etc*. Nulla sacrificia te resolvent, te liberabunt a pœna.

35. *Licebit*, *etc*. Poteris navigationem institutam absolvere; et quamvis festinas, id te non diu morabitur, si ter pulverem meo cadaveri injeceris. Erat autem numerus ternarius sacer, et in hac cærimonia injiciendæ mortuis terræ solitus adhiberi.

ODE XXIV.

Ad Iccium.

Iccium juvenem e philosopho militem ridet.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus ; horribilique Medo
Nectis catenas! Quæ tibi virginum,
Sponso necato, barbara serviet ?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere sericas
Arcu paterno ? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;
Quum tu coemptos undique nobiles
Libros Panæti, socraticam et domum,
Mutare loricis iberis,
Pollicitus meliora, tendis ?

1. ***Arabum***. Est Arabia regio Asiæ, ad mare rubrum : ejus pars remotior, quæ Sabæa vocatur, nondum domita fuerat a Romanis : itaque anno U. C. 730 eo cum exercitu profectus est Ælius Largus : Iccius illum secutus est.

2. *Gazis, etc*. Persica vox, thesauris, opibus. — *Beatis*. Quibus te beatum efficere possis.

4. *Horribili*. Feroci, bellicoso.

6. *Serviet*. Captivas mulieres sibi famulas jubebant esse.

7. *Ex aula*. Medorum, aut Arabum.

8. *Ad cyathum*. Ut vina tibi in poculum fundat.— *Unctis*. Delibutis odorato unguento.

9. *Sericas*. Seres sunt Indiæ populi, ad mittendas sagittas egregie instituti.

11. *Pronos relabi, etc*. Qui ante proni et præcipites decurrebant e montibus arduis, nunc mutato cursu, retro posse labi ad ipsa montium cacumina.

14. *Panæti*. Fuit Panætius stoicus philosophus celeberrimus, Scipionis et Lælii præceptor. — *Domum*. Scholam, philosophiam Socratis.

15. *Iberis*. In Hispania fabricatis, ubi ferrum præstans.

16. *Meliora*. Qui te melioribus studiis addixeras, nempe philosophiæ. — *Tendis*. Cogitas, paras.

ODE XXV.

Ad Venerem.

Rogat Venerem ut sacrificanti Glyceræ adsit.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Ture te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, et solutis
Gratiæ zonis, properentque nymphæ,
Et parum comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

1. *Cnidi.* Cnidus, urbs Cariæ, duplici portu, et cultu Veneris insignis. — *Paphique.* Paphus, in insula Cypro.

2. *Sperne, etc.* Desere; et veni in sacellum elegans, seu domum Glyceræ te vocantis, multo ture incenso.

6. *Gratiæ.* Pingebantur veste discincta.

7. *Comis.* Hilaris. — *Juventus.* Dea præses juventutis. Hebe quoque vocabatur.

8. *Mercurius.* Deus est eloquentiæ.

ODE XXVI.

Ad Apollinem.

Quid petat ab Apolline explicat : scilicet, corporis animique sanitatem, cum poeseos studio conjunctam, ceteris vitæ bonis antecelleri docet.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ segetes feracis;
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur indicum;
Non rura, quæ Liris quieta

1. *Dedicatum Apollinem.* Nova æde in monte Palatino consecratum.

2. *Vates.* Horatius. — *Novum.* Recens haustum e dolio; vel, recens ex uvis pressum.

3. *Liquorem.* Vinum hoc effundebant, vel in aram, vel in humum, ac veluti sacrificabant.

4. *Sardiniæ.* Est insula prope Siciliam, frumenti ferax.

5. *Calabriæ.* Est Italiæ regio, prope Siciliam.

6. *Indicum.* Ex Indiis deportari solitum in Europam.

7. *Liris.* Campaniæ in Italia fluvius, altus et quietus : nunc *Garigliano*.

Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant calenam falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina syra reparata merce,
Dis carus ipsis : quippe ter et quater
Anno revisens æquor atlanticum
Impune. Me pascunt olivæ,
Me cichorea, levesque malvæ.
Frui paratis, et valido mihi,
Latoe, dones, et, precor, integra
Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

8. *Mordet*. Alluit, lambit.

9. *Premant*. Amputent vitis ramos inutiles. — *Calenam*. *Cales* oppidum est Sabinorum in Italia, cujus in agro vina erant optima.

10. *Dives*, *etc*. Patior etiam ut mercator dives exhauriat aureis poculis vina quæ comparavit, sive emit, mercibus syris, e Syria ab ipso advectis. *Syria* est regio Asiæ, continens Phœniciam, Palæstinam, Judæam, Idumæam, etc., omnium rerum ferax.

11. *Culullis*. Cyathis.

12. *Reparata*. Permutata, vicissim parata; vel, quia singulis annis, quum priora vina consumpta sunt, nova emit.

13. *Carus*. Mercator; felix, ita ut appareat ipsos deos ejus curam gerere.

14. *Anno*. Per annum, in anni unius spatio.—*Revisens*. Navigando.—*Atlanticum*. Ad designandum mare remotissimum. In Africa, ubi mons Atlas; ibi ferme orbis fines Romani ponebant, versus occidentem.

15. *Impune*. Sine periculo, secura et felici navigatione.

16. *Levesque*. Quæ gravem alvum levant ac solvunt.

17. *Paratis*, *etc*. Opibus et bonis quæ paravi. — *Valido*. Valenti, sano.

18. *Latoe*. Apollo, Latonæ filius. — *Integra*. Rationis compote, sana.

19. *Turpem*. Deformem, tristitia deturpatam.

20. *Nec carentem cithara*. In qua possim lyricis versibus me oblectare.

ODE XXVII.

Ad Lyram, ut sibi adsit canenti.

Poscimur : si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures, age, dic latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi;

1. *Poscimur*, *etc*. Id est, ad canendum nunc ego evocor et impellor. Utrum Augustus, an Mæcenas, an amicus quidam poetam impulerit, haud liquet.— *Vacui*. Soluti omni cura.

2. *Lusimus*. Cecinimus.

3. *Vivat*. Duret, laudetur.

5. *Lesbio civi*. Alcæo, qui poeta lyricus fuit, e Lesbo insula oriundus. — *Modulate*. Pulsate. Tu, quem pulsavit, et modulis certis temperavit Alcæus.

Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum et Musas, Veneremque, et illi
Semper hærentem puerum canebat,
Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
Rite vocanti!

6. *Qui ferox, etc.* Qui, quamvis esset bello assuetus, quod homines feroces, et a musis alienos reddere solet, tamen, sive inter arma degeret, sive post longam et periculosam navigationem versaretur in otio et pace, barbito utebatur. Omissum est ab Horatio, hic ut alias; primum *sive*, sive esset inter arma.

7. *Religarat.* In littore, in portu post tempestatem ligaverat.

9. *Liberum.* Bacchum.

10. *Puerum.* Cupidinem. — *Hærentem illi.* Veneri affixum, perpetuum ejus comitem.

11. *Lycum.* Alcæi amicum.

13. *Decus Phœbi.* Insigne et ornamentum Apollinis. — *Dapibus, etc.* Apta conviviis quæ Jupiter celebrat.

14. *Testudo.* Lyra. Primam enim lyram e squama et dorso testudinis, et chordis aliquot, compegisse fertur Mercurius.

15. *Cumque, etc.* Semper, ubicumque. Salve mihi, adsis mihi quocumque loco et tempore te invocavero : vel *mihi salve* est formula bene precantis, id est, te semper venerabor, rite vocans.

ODE XXVIII.

Suam impietatem pristinam detestatur.

Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes

1. *Parcus, etc.* Negligens et parum assiduus in colendis superis, dum errores epicureorum philosophorum insanientium sequerer, nunc, etc.

2. *Sapientiæ.* Philosophiæ.

3. *Consultus.* Peritus, et quasi doctor ac magister. — *Retrorsum, etc.* Mutare sententiam; aliam viam inire; deos colere. Ducta est metaphora a re nautica.

4. *Cursus.* Iter, navigationem.

5. *Relictos.* Referre me ad pristinam pietatem, quam profitebar, quum stoicos sequerer. — *Diespiter.* Jupiter, diei pater.

6. *Igni.* Fulmine. — *Nubila dividens, etc.* Jupiter, qui plerumque dividit nubila, quum tonat, id est, qui solet tonare cœlo nubilo, idem ille per serenum cœlum equos tonantes aliquando egit : ex quo intellexi deum aliquem revera esse, et mihi malum, ni resipiscerem, impendere.

7. *Per purum.* Per cœlum serenum.

Egit equos, volucremque currum,
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Tænari
Sedes, atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

8. *Volucrem*. Rapidum, celerem.

9. *Bruta*. Gravis, stupida, sensus et motus expers.

10. *Styx*. Inferorum palus. — *Tænari sedes*. Inferi. Est Tænarus promontorium, et antrum quoddam in Laconia.

11. *Finis*. Non totam Africam norant veteres, sed orbem finiri putabant paulo post Mauritaniam, ubi est mons Atlas.

12. *Valet*. Potest. Est omnino deus aliquis, qui humana gubernat. — *Ima*. Res et homines infimos ponere in summorum loco.

13. *Attenuat*. Abjicit: tenuem ei contemptum facit. — *Insignem*. Scilicet imperio, honoribus.

14. *Obscura*, *etc*. Homines obscuros et ignotos in luce honorum collocat, e tenebris educit. — *Hinc*, *etc*. Ex hoc regno, ex hac domo, fortuna tollit apicem, id est, opes et honores, quæ sunt quasi fastigia humanarum rerum; eaque hic ponit, id est, in hoc regnum, in aliam domum transfert.

15. *Fortuna*. Videtur hic illam Horatius cum deo confundere. — *Stridore*. Alarum agitatione gravem stridorem edens.

ODE XXIX.

Ad Fortunam.

Fortunam pro Cæsare, aperto Britannos marte petituro, deprecatur.

O diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos;
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam æquoris,
Quicumque bithyna lacessit

1. *Antium*. Urbs est Latii maritima, ubi templum erat Fortunæ celeberrimum.

2. *Præsens*, *etc*. Potens, quæ hanc vim habes, ut tollas, etc. — *Imo de gradu*. Hominem ex infimo statu attollere ad summum.

3. *Mortale corpus*. Hominem.

4. *Vertere*, *etc*. Mutare in funera.

5. *Ambit*. Ambire precibus, est rogare blandiendo, supplicando, etc., ut solebant candidati, qui honores ambiebant.

6. *Colonus*. Agricola. — *Te dominam*. Refer ad *ambit*, vel ad *metuunt*, quod sequitur.

7. *Quicumque*, *etc*. Omnes nautæ. — *Bithyna navis*, est navis, vel bithyni

Carpathium pelagus carina;
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni,
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam; neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit sæva Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans ahena; nec severus
Uncus abest, liquidumve plumbum.
Te Spes, et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, et meretrix retro
Perjura cedit; diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,

mercatoris, vel facta in Bithynia, regione Asiæ minoris.

8. *Carpathium, etc.* Est maris mediterranei pars ad Ægyptum vergens : ita dicitur ab insula Carpatho, inter Rhodum et Cretam sita.

9. *Dacus.* Gens bellicosa, ubi nunc Moldavia, Servia, et Bulgaria. — *Scythæ.* Populi septentrionales, quorum plaustra vagas rite trahunt domos, ut ait lib. 3, od. 18, in sua patria velut exsules et profugi.

11. *Matres.* Quæ liberis timere solent.

12. *Purpurei.* Vestiti purpura. — *Tyranni.* Interdum ea vox reges significat.

13. *Ne proruas, etc.* Metuunt ne evertas suum imperium et rempublicam florentem, ac instar columnæ firmæ stantem.

14. *Neu populus, etc.* Neu fiat aliqua seditio, in qua populus congregatus cives otiosos et quietos arma sumenda impellat.

17. *Sæva necessitas.* Inexorabilis. Quæ, ut Fortunæ ministra, cum instrumentis ad res maxima firmitate muniendas validissimis, præcedere fingitur.

18. *Trabales.* Clavi trabales sunt, quibus trabes compinguntur, ac proinde majores et crassiores. — *Cuneos.* Cuneus est ferrum in acumen latum desinens, quo immisso, lignum finditur.

19. *Ahena.* Forti, dura æris instar. — *Severus.* Tenax, premens.

20. *Uncus, etc.* Uncus, plumbum, serviunt rebus inter se jungendis et committendis. Pertinent hic ad exprimendam necessitatis vim ac potentiam, vel potius ad significandam firmitatem ac stabilitatem, quippe quæ moveri, labefactari, ac refigi nequit.

21. *Te spes, etc.* Spes additur Fortunæ, quia homines in adversa fortuna sola spe sustentantur : Fides, quia veri ac fideles amici, ne fortuna quidem reflante, deserunt amicos. — *Albo, etc.* Candidis induta vestibus : fides enim pura et simplex debet esse. — *Rara.* Quia paucorum est — *Colit.* Amat, ac sequi gaudet.

22. *Comitem abnegat.* Te comitem non aspernatur; una ire non recusat.

23. *Utcumque.* Quandocumque. — *Mutata.* Fortuna felix, albis : adversa, nigris vestibus induitur. — *Potentes.* Florentes, opulentas.

24. *Linquis.* Per Fortunam abeuntem et avolantem, significantur adversa; per manentem, secunda.

25. *At vulgus, etc.* Id est, ceteri, qui non sunt veri amici, sed qui solam utilitatem suam spectant, discedunt.

26. *Cadis siccatis.* Ubi vident exhaustos ad imam usque fæcem cados, id est exhaustis opibus, postquam omnes opes devorarunt.

Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen, eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.
Eheu! cicatricum et sceleris pudet,
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manum juventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

28. *Jugum*. Adversam fortunam prementem. — *Dolosi ferre*. Dolosi in ferendo jugo et societate bonarum rerum et malarum, quia socii et participes bonarum volunt esse, non malarum. — *Pariter*. Omnes similiter.

29. *Serves*. Serva igitur, o Fortuna, Cæsarem. — *Ultimos, etc*. Angliam, et vicinas quasdam Angliæ insulas, esse orbis finem a septentrione veteres putaverunt.

31. *Examen*. Exercitum e recentibus copiis collectum: ab apibus ducta metaphora. — *Eois*. Orientalibus.

32. *Rubro*. Erythræo, Arabico.

33. *Eheu, etc*. Ex eo quod Cæsar ducat exercitum in barbaros et disjunctos populos, occasionem sumit belli civilis deflendi, et externi belli laudandi. — *Sceleris*. Belli civilis scelerati; quod ante annos 12 ortum sub Julio Cæsare, vixdum bene sopitum erat.

34. *Fratrumque*. In civili bello a fratribus occisorum. — *Quid nos, etc*. Quid sceleris non suscepimus, nos ætate hac dira et prope ferrea nati?

35. *Nefasti*. Nefarii.

36. *Juventus*. Milites; a quo scelere nostros exercitus religio deterruit?

37. *Metu deorum*. Pietate ac religione adversus deos.

39. *Diffingas*. Recudas, reformes. — *Retusum*. Hebetatos enses in bello civili, et attritos.

40. *Massagetas*. Sunt Scythiæ populi ultra mare Caspium; Arabes vero Asiæ.

ODE XXX.

Faustum ex Hispania reditum Numidæ gratulatur.

Et ture, et fidibus juvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidæ deos;
Qui nunc, Hesperia sospes ab ultima,
Caris multa sodalibus,

1. *Fidibus*. Carminibus lyricis.

2 *Placare*. Diis satisfacere, quibus sacrificium vovi, si amicus rediret. — *Debito*. Votivo.

4. *Hesperia ultima*. Hispania, quæ appellatur ultima Hesperia, id est, in ultimo orbe posita ad occidentem versa, ut distinguatur ab Italia, quæ vocatur etiam Hesperia. — *Sospes*. Reversus incolumis.

5. *Multa, etc*. Quamvis amicos de ejus reditu lætos amplectatur omnes suavissime ac deosculetur, nullum ex iis tamen suavius quam Lamiam, quippe

Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.
Cressa ne careat pulchra dies nota;
Neu promptæ modus amphoræ,
Neu morem in salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum threicia vincat amystide:
Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

meminit se eodem rege pueritiam egisse, sub quo eam egit Lamia.

8. *Rege*. Moderatore, magistro gubernatore. Reges enim vocabant Romani puerorum magistros.

9. *Mutatæ*. Togam prætextam, id est, purpureo cinctam limbo, exuebant anno ætatis 17, quo sumebant virilem togam, ac moderatores pueritiæ dimittebant.

10. *Cressa nota*. Id est albo lapillo, quia creta seu alba terra in Creta insula effodiebatur. Hunc morem fuisse apud Romanos satis notum est, felices dies albo lapillo, infelices autem nigro notare.

11. *Neu*, *etc*. Id est, bibatur sine modo, saltetur sine requie, large utrumque et effatim fiat. — *Promptæ*. Quæ cito et sine mora petenti detur: vel, deprompta et eductæ e cella vinaria.

12. *Salium in morem*. Ut solent saltare Salii, Martis sacerdotes; qui certis diebus saltationem quamdam exercebant in honorem Martis, ter pede terram percutientes agilitate summa.

13. *Multi meri*. Ebriosa mulier.

14. *Bassum*. Potorem egregium. — *Amystide*. Poculum est capax, ita dictum a græca voce, quod sine interspiratione hauriendum erat. Sententia est, caveat Bassus, ne ipsum vincat Damalis, potans amystidem totam. — *Threiciam* vocat, vel quia revera erat threissa, vel quia Thraces ebriosi ferebantur, et ejusmodi calices uno haustu siccabant.

16. *Apium*. Herba diu virens et vivens. — *Breve*. Cito marcescens.

ODE XXXI.

Ob victoriam actiacam et Cleopatræ mortem sodales hortatur ad cœnandum.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere cæcubum

1. *Pede*, *etc*. Saltandum est libere ac temere.

2. *Saliaribus dapibus*. Exquisitis dapidus, qualibus Salii solebant vesci, qui magnifice et opipare epulabantur.

3. *Pulvinar*. Post victoriam insignem aliquam solebant Romani diis suis quasi epulum præbere. Itaque mensas in templis struebant, ac dapibus cumulabant; circa mensas sternebant lectulos cum pulvinaribus, iisque deorum, quasi convivarum, statuas imponebant.

4. *Tempus erat*. Tempus est; imperfectum pro præsenti, græco more.

5. *Antehac*. Antequam victa, imo exstincta fuisset Cleopatra. — *Cæcubum*.

Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus :
Mentemque lymphatam mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens; accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ; daret ut catenis
Fatale monstrum : quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras.
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,

Vinum generosum, natum in Cæcubo, Campaniæ monte.

6. *Avitis*. In quibus illud avi majoresque nostri condiderant. — *Dum, etc.* Interea dum regina Cleopatra dementi et irrito conatu pararet evertere Capitolium, et imperium Romanorum exstinguere.

7. *Dementes*. Dementiam et insanum furorem ejus, qui eas parat, prodentes.

8. *Funus*. Exitium.

9. *Turpium virorum*. Cum grege nautarum et militum quos turpis morbus, scilicet scabies, deturpaverat.

10. *Impotens sperare*. Adeo demens et vecors, ut auderet omnia sperare, etiam illa quæ fieri nulla ratione poterant, videlicet Romanorum imperium delere.

13. *Vix una sospes navis*. Sed ejus furor in delirium desiit, quum vidit omnes naves incensas, præter unam. Cleopatræ naves, aliæ statim post actiacam victoriam, sunt a Cæsarianis incensæ, aliæ ab Arabibus, qui in erythræo sinu erant.

14. *Lymphatam*. Furiosam. — *Mareotico*. Mareotis est palus et regio Ægypti, ubi optimum vinum nascebatur.

15. *In veros timores*. Sensus est : et Augustus celeri cursu fugientem Cleopatram persecutus, vanum ejus timorem, quo pugnæ se subduxerat, in verum ad Alexandriam mutavit.

16. *Volantem*. Fugientem ab Græcia, quæ non longe abest ab Italia.

17. *Adurgens*. Celerrime persequens.

20. *Æmoniæ*. Thessaliæ; ita dicta est ab rege quodam suo Æmone.

21. *Monstrum*. Cleopatram furentem instar belluæ. — *Fatale* vocat, id est, fato quodam et ira superum exortum; exitiale. — *Generosius*. Quam in catenis, et in triumpho.

2. *Nec expavit ensem*. Voluit sibi ferro vitam adimere, neque dubitavit enses nudos suorum custodum petere, qui mortem illi tamen negarunt.

23. *Nec, etc.* Non ivit Cleopatra classe cita et properante in oras Ægypti latentes, et ultimos regni sui fines, ut eos repararet ac muniret ad bellum instaurandum. — *Latentes oras*. Ægypti recessus, et urbes intimas.

25. *Jacentem*. Profligatam et mœrentem.

26. *Fortis, etc.* Impavida ad apponendos suo corpori serpentes.

27. *Atrum*. Mortiferum. — *Corpore combiberet venenum*. Inficeret corpus veneno.

Deliberata morte ferocior :
Sævis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

29. *Deliberata*. Quam sibi inferre statuerat : ideo *ferox*, quia mori certa.

30. *Liburnis*. Navibus angustioribus in Liburnia, Illyrici regione, factis. — *Invidens*, *etc*. Indignata, et nolens, ob superbiam, hunc honorem navibus liburnis, a quibus victa erat, et quæ ideo *sæva* appellantur, tribuere, ut in iis Romam duceretur.

31. *Deduci*, *etc*. Duci ex Ægypto in Italiam, ut privata mulier, ipsa quæ non obscura, et infimo loco nata, sed nobilis et regina erat.

32. *Non humilis*. Generosæ indolis, ut reginam decebat.

ODE XXXII.

Ad puerum.

Apparatum convivii sumptuosum sibi minime placere.

Persicos odi, puer, apparatus ;
Displicent nexæ philyra coronæ :
Mitte sectari rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curæ : neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

1. *Persicos*. Magnificos. Persæ in conviviis erant inprimis sumptuosi, et multarum deliciarum. — *Puer*. Servule.

2. *Philyra*. Est cortex interior ac tenuissimus ex arbore tilia decerptus, qui ductus in tænias, nectendis floribus servit.

3. *Mitte*. Omitte, noli investigare, ubi nascantur rosæ tardiores.

5. *Simplici*, *etc*. Nihil nisi coronas e myrto volo. *Myrtus* erat arbuscula Veneri sacra; adhibebatur in conviviis, boni odoris causa, et quia fumos vini discutere credebatur.

6. *Curæ*. Id est, puer cujus cura est tam sedula.

7. *Arcta*. Densa, umbrosa.

LIBER SECUNDUS.

ODE I.

Ad Asinium Pollionem.

Monet ut, omissis quas scribebat tragœdiis, inchoatam bellorum civilium historiam absolvat. Inde bellum civile deplorat.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos,
Ludumque fortunæ, gravesque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severæ Musa tragœdiæ
Desit theatris : mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

1. *Motum, etc.* Ordo est : Pollio, insigne mœstis præsidium reis, etc., tractas, sive scribis motum civilem, belli civilis varios ac turbidos eventus, ex Metello consule, id est, ab eo tempore quo Q. Cæcilius Metellus Celer fuit consul, qui est annus ab U. C. 694, quo Cæsar, Crassus et Pompeius inter se de invadenda republica fœdus inierunt.

2. *Vitia.* Consilia temere capta, ducum errores. — *Modos.* Omnem rationem qua bellum pro cujusque partis consilio et viribus gestum est.

3. *Ludum fortunæ.* Fortuitos rerum eventus, varios casus, quibus romanam rem, ut pilam, jactare fortuna videbatur. *Graves.* Exitiosas.

4. *Principum.* Cæsaris, Pompeii et Crassi, qui societatem junxerant reipublicæ funestam. — *Arma, etc.* Arma uncta, id est delibuta, et adhuc stillantia civium cruore, qui nondum expiatus est. —*Expiare* autem est, rem aliquam aut personam, ex impia et contaminata, piam et scelere solutam efficere, aliqua religiosa cærimonia.

6. *Plenum opus, etc.* De multorum enim sceleribus, qui jam rerum potiuntur, scribi tuto et impune vix potest. —*Alea*, est proprie ludus talorum, qui periculosus et incertus vulgo est : unde ad significandum casum quemlibet periculosum, ea vox adhibetur.

7. *Incedis, etc.* Idem facis, ac si incederes per cineres, qui tegerent ignem suppositum : quod nempe sine gravi periculo fieri nequit.

9. *Paulum, etc.* Omitte paululum res adeo tragicas theatro et scenæ committere.

10. *Publicas, etc.* Ubi res, quæ ad bella civilia spectant ex ordine conscripseris.

11. *Grande munus.* Grande opus tragœdiæ faciendæ.

12. *Cecropio cothurno.* Tragico more ac stylo. *Cothurnus* erat genus calceamenti altioris, quo actores tragœdiarum utebantur. Cecropius appellatur, id est, Atheniensis, a Cecrope, rege Athenarum primo; quia tragœdia maxime Athenis viguit, ubi Sophocles, Euripides, etc. floruerunt.

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiæ;
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures; jam litui strepunt;
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jam videor duces,
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Juno, et deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non, latino sanguine pinguior,
Campus sepulcris impia prælia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Quis gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare dauniæ
Non decoloravere cædes?

13. *Insigne præsidium reis*. Reus, illum significat, quicumque causam dicit, sive sit nocens, sive innocens.

14. *Curiæ*. Senatui. — *Consulenti*. De rebus gravissimis deliberanti.

15. *Cui laurus, etc*. Qui de Dalmatis triumphasti.

17. *Jam nunc, etc*. Laudat Horatius carmina Pollionis de bello civili, tam graphice et ornate ab eo scribi cœpta, ut in iis res ipsæ geri et cerni, non narrari et audiri viderentur. — *Cornuum*. Buccinarum, quæ olim e cornu, postea ex ære facta sunt.

18. *Perstringis*. Feris, tundis.

22. *Non indecoro*. Glorioso pulvere; quem scilicet in militari campo collegerunt.

23. *Cuncta terrarum*. Cunctas terras. — *Subacta*. A Cæsare domita.

24. *Catonis*. Dictus est ille Cato Uticensis, ab Utica, urbe Africæ, in quam, quum se post pugnam pharsalicam conjecisset, audiretque appropinquare Cæsarem, mortem afferre sibi maluit quam se illi dedere. — *Atrocem*. Pervicacem, invictum.

25. *Juno, etc*. Juno Carthagini et Africæ impense favebat.

26. *Cesserat*. Loca vastata vel captas urbes dii deserere putabantur. — *Impotens*. Quia fati necessitati resistere non poterat.

28. *Inferias*. Erant inferiæ sacrificia quæ fiebant mortuis et inferorum umbris. — *Jugurtha*. Fuit Jugurtha rex Numidiæ in Africa. Is grave bellum gessit cum Metello primum, mox cum Mario; demum a Boccho, Mauritaniæ rege, ad quem confugerat, proditus, in Marii potestatem venit, a quo Romam ductus, et ostentatus in triumpho, in carcere necatus est, anno U. C. 648.

31. *Testatur*. Ostendit, sepulcrorum multitudine, quam sæva fuerint illa bella, impietatis et crudelitatis plena, nempe civilia. — *Auditumque Medis, etc*. Cladem et ruinam Italiæ, quæ olim Hesperia magna dicta est, tantam, ut a Medis, remotissimis videlicet Orientis populis, et Romanorum hostibus, audita cum gaudio sit.

33. *Gurges*. Qui lacus, quæ freta?

34. *Dauniæ cædes*. Italæ, id est sanguis cæsorum civium romanorum. Daunia versus Apuliam hic ponitur pro tota Italia.

35. *Decoloravere*. Sanguine infecerunt.

Quæ caret ora cruore nostro ?
Sed ne, relictis, musa procax, jocis,
Ceæ retractes munera næniæ ;
Mecum dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

37. *Sed ne, etc.* Sed, o mea musa audacior, noli, relictis quæ te decent amœnioribus argumentis, canere nænias, id est carmina lugubria, qualia olim cecinit Simonides Ceus (insula Cea oriundus).

40. *Dionæo.* Veneri sacro.

40. *Modos.* Carmina.—*Leviore, etc.* Jocosa nempe argumenta levioribus modis et numeris canenda : tragica, severioribus et fortioribus.

ODE II.

Ad Crispum Sallustium.

Eum qui bene divitiis utatur solum divitem, qui cupiditatibus imperet solum beatum esse cantat.

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius ævo,
Notus in fratres animi paterni ;
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis

1. *Nullus argento color est.* Splendore suo hoc est pretio caret argentum. — *Avaris.* Avara terra dicitur ea in qua argentum defoditur, quia illud celat, ut avari factitant.

2. *Inimice lamnæ.* Qui nihil curas, parvi facis lamnam argenti. — *Lamnæ.* Pro *laminæ.* Est autem lamina bractea metalli : sumitur hic pro ipso argento, vel auro.

3. *Crispe Sallusti.* Fuit iste Crispi Sallustii historici ex sorore nepos. — *Nisi temperato, etc.* Nisi illi splendorem moderatus usus addat : id est, nihil juvat pecunia, nisi utaris.

5. *Extento ævo.* Longo tempore producto usque ad seram posteritatem : immortalis erit Proculeii fama et memoria. — *Proculeius.* Fuit eques romanus, Augusto carus : ejus fratres, Scipio et Muræna, quum ob arma in bello civili contra Augustum gesta patrimonio suo spoliati fuissent, Proculeius bona sua de integro æquis partibus cum ipsis divisit instar patris amantissimi.

6. *Notus.* Nobilis, celebris. — *Animi.* Propter animum : græca locutio.

7. *Aget.* Vehet, tollet. — *Metuente solvi.* Defatigari nescia ; semper volante et vigente.

8. *Superstes.* Post illius mortem, adhuc vivens et superans.

9. *Regnes.* Regnabis, regnare possis. Rex est qui sibi imperat. — *Avidum spiritum.* Avaritiam, cupiditatem majorum opum.

10. *Libyam.* Regionem Africæ. — *Remotis.* A Libya dissitis.

Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

11. *Gadibus*. Gades insula et urbs est in ultima Hispania ad meridiem: *Cadix*. — *Uterque Pœnus*. Tum qui est in Africa, tum qui in Hispania. Nam Carthaginienses Hispaniæ partem diu obtinuerunt, urbemque nomine Carthaginem in ea condiderunt, quæ Carthago nova dicta est: *Carthagène*.

13. *Crescit*. Morbum auget. — *Indulgens sibi*. Obsequens bibendi cupiditati. — *Hydrops*. Morbus crudelis; morbo adeo tribuit poeta quod ægroti id est hydropici proprium erat.

14. *Causa morbi*. Aqua intercus, qua corpus tam pallore quam languore afficitur.

17. *Phraaten*. Phraates, rex Parthorum, quum insolentius et crudelius se gessisset, a suis expulsus; sed idem deinde, Scytharum auxilio, in regnum restitutus est. — *Cyri solio*. Imperio persico, quod a Cyro conditum fuit.

18. *Beatorum*. In hac dictione ultima syllaba eliditur ob vocalem positam in sequenti versu ad quem ista syllaba pertinet.

20. *Dedocet uti*. Docet non uti falsis vocibus, eum felicem vocando, qui felix revera non sit.

22. *Deferens uni*. Illa autem virtus defert, tribuit nomen regis, felicitatem et gloriam illi uni qui spectat, etc. — *Propriam*. Perpetuam, quæ auferri non possit. — *Laurum*. Coronam, laudem, victoriam.

23. *Oculo irretorto*. Qui cumulos auri atque argenti ita prætereundo adspectat, ut ne oculos quidem reflectat ac retorqueat; vel qui non avertit oculos, ne auri fulgore perstringantur, et acervo invideat.

ODE III.

Ad Dellium.

Vitæ felicitatem in mentis æquabilitate esse positam.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Delli,
Seu mœstus omni tempore vixeris,

1. *Æquam, etc.* Ordo est: o Delli, memento servare in asperis et arduis rebus mentem æquam, id est, moderatam et æquabilem, eamdemque in rebus secundis ab insolenti lætitia temperatam.

4. *Moriture, etc.* O Delli, qui juxta moriturus es, seu, etc. — *Delli*. Dellius fuit historicus, et orator insignis.

Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota falerni.
Quo pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo,
Huc vina, et unguenta, et nimium brevis
Flores amœnos ferre jube rosæ,
Dum res, et ætas, et sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemptis saltibus, et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne, prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper, et infima
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur; omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura, et nos in æternum
Exsilium impositura cymbæ.

7. *Reclinatum*. Jacentem, resupinatum. — *Te bearis*. Te exhilaraveris, genium curaveris.

8. *Nota*. De cado notam sive titulum quale vinum contineat, præ se ferente. — *Interiore*. Quia vinum præstantius continebat, ideoque in interiore cellæ vinariæ parte reconditum fuit. — *Falerni*. Falernus, mons Campaniæ Italiæ; ab eo vinum falernum nomen invenit.

9. *Quo*. In locum ubi. — *Alba*. Populi frondes, aversa parte albicant, adversa virent.

10. *Umbram, etc*. Gaudent consociatis ramis umbram efficere, quæ gratum epulantibus hospitium præbeat.

11. *Laborat trepidare*. Cum labore trepidat, propter lapillos nimirum obstantes. — *Trepidare* autem est agitare se huc illuc, et anxie commovere; festinare ægre.

14. *Flores rosæ*. Rosas, quæ nimis cito marcescunt.

15. *Res*. Opes, vel idoneum tempus, opportunitas, occasio. — *Sororum trium*. Parcarum. Dum vita tibi suppeditat.

16. *Atra*. Funesta, quibus videlicet resectis, mors obeunda necessario sit.

17. *Cedes*. Discedes, demigrabis. — *Coemptis*. Undique, aut simul a te emptis.

18. *Flavus*. Pulcher, vel flavas arenas volvens. — *Lavit*. Est in indicativo, a verbo, *lavere*, quod olim usurpabatur pro *lavare*.

19. *Exstructis in altum*. In cumulum congestis.

21. *Divesne, etc*. Ordo est: nihil interest an sis dives, et ortus ab Inacho, an pauper et obscuro loco natus, ne tectum quidem et domum quo te recipias, habeas: quippe futurus es perinde victima Orci nil miserantis, divites æque ac pauperes damnantis leto. — *Inacho*. Fuit Inachus rex antiquissimus Argivorum.

23. *Gente*. Stirpe, familia. — *Sub dio*. Sub nudo et aperto cœlo. — *Moreris*. Habites, degas.

25. *Eodem cogimur*. Eumdem in locum compellimur, ad Orcum nempe.

26. *Versatur*. Agitatur. — *Versatur urna, etc*. Sors omnium, id est, moriendi fatalis hora, serius ocius exitura, versatur et movetur in urna, nempe Jovis, aut judicum trium apud inferos.

27. *Et nos in æternum, etc*. Et quæ nos impositura est cymbæ Charontis, ut in æternum exsilium ab eo deportemur, nempe ultra Stygem, in inferos.

ODE IV.

Ad Septimium.

Septimium invitat ad reliquum vitæ ruri degendum.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi maura semper
Æstuat unda :
Tibur, argeo positum colono,
Sit meæ sedes utinam senectæ!
Sit modus lasso maris, et viarum,
Militiæque !
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet; ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro ;
Ver ubi longum, tepidasque præbet
Jupiter brumas; et amicus Aulon
Fertili Baccho, minimum falernis

1. *Septimi.* Fuit ille romanus eques, idemque poeta bonus, Augusto carus, amicus Horatii. — *Aditure, etc.* Qui non dubitares adire meum, mei causa, loca remotissima et periculosissima.

2. *Cantabrum.* Cantabri sunt Hispaniæ populi, versus septentrionem. — *Indoctum, etc.* Qui parere Romanis nondum didicit.

3. *Syrtes.* Loca sunt arenosa, et periculosa, in Africæ littore. — *Maura unda.* — Mare africum.

5. *Tibur.* Est urbs Italiæ amœna (*Tivoli*), condita olim a Tibure, homine *græco*, qui Argis profectus in Italiam venit. — *Argeo.* Argivo. Argos est urbs primaria Peloponnesi. — *Colono positum.* A Tiburno, Catillo et Cora, fratribus, qui coloniam argivam eo deduxerunt, conditum.

7. *Lasso maris.* Fatigato maritimis itineribus.

9. *Unde, etc.* Quo ex loco, id est, a Tibure, si me Parcæ prohibent, arceantque, petam flumen Galesum, quod in agro tarentino est. — *Iniquæ.* Inclementes.

10. *Pellitis ovibus.* Oves tarentinæ, propter lanæ bonitatem, pellibus et quasi vestibus integebantur, ne ipsarum lana inquinaretur.

12. *Phalanto.* Lacedæmonius dux fuit, qui, cum Spartanis Italiam petens, Tarentum occupavit.

14. *Ridet.* Placet. — *Hymetto.* Mons est Græciæ, prope Athenas, ubi mel optimum, apes lectissimæ.

15. *Decedunt. Decedere*, est locum alteri, ut nobiliori, cedere, inferiorem se fateri.

16. *Bacca, etc.* Oliva. Venafrum, Campaniæ in Italia oppidum, ubi olivæ præstantes.

18. *Aulon.* Mons est agri tarentini, ubi vinum optimum nascebatur. — *Amicus Baccho.* Quem Bacchus amat.

19. *Minimum, etc.* Id est, uvas fert non deteriores iis quæ nascuntur in Falerno, monte Campaniæ.

Invidet uvis.
Ille te mecum locus, et beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

21. *Ille locus*. Ubi hæc omnia sunt.
22. *Arces*. Colles Tarenti. — *Beatæ*. Amœnitate et fertilitate sua beantes. — *Postulant*. Invitant.

23. *Calentem favillam*. Meos cineres adhuc tepidos.
Debita. Mihi, propter amicitiam.

ODE V.

Ad Pompeium Varum.

Amico in patriam reduci gratulatur.

O sæpe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, italoque cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro syrio capillos:
Tecum Philippos, et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
Quum fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aere:

1. *Tempus in ultimum deducte*. Qui in extremum vitæ discrimen adductus es. — *Bruto militiæ duce*. — Dum uterque sub Bruto militaremus.
3. *Redonavit*. Restituit. — *Quiritem*. In jus Quiritium restitutum, id est civem.
5. *Prime*. Princeps, vel amicissime meorum sodalium.
6. *Morantem*. Qui mihi tecum epulari cupienti longus videbatur. — *Mero fregi*. Ita divisi, ut meliorem partem vino tecum et poculis darem.
7. *Coronatus capillos*. Subauditur, secundum, ut sæpe fit apud poetas, græco more: habens caput floribus coronatum et nitens, sive delibutum unguento syrio.
8. *Malobathro*. Est malobathrum folium quoddam, sive frutex, referens nardi odorem, cujus magna copia in Syria: ex eo liquor, seu oleum odoratissimum.
9. *Tecum*, *etc*. Interfui tecum pugnæ commissæ ad Philippos, urbem Thessaliæ.
10. *Non bene*. Parum decore, turpiter.
11. *Fracta virtus*. Fracta fuit fortitudo. — *Minaces*. Qui cæsi adeo vultum torvum et minacem præ se ferebant.
12. *Solum tetigere mento*. Ad terram prostrati sunt. — *Turpe*. Sanguine turpiter pollutum.
13. *Mercurius*. Virorum doctorum patronus, poetarum custos.
14. *Denso aere*. Circumfusa nube tectum. Sic Homerus fingit servatum Æneam ab Apolline, Paridem a Venere, etc.

Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem;
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso lævia massico
Ciboria exple; funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

15. *Te rursus*, *etc*. Metaphora ducitur a tempestate, quæ naves in littore tranquillo et vado positas, aliquando in altum abripit. Sensus est : rursus bellum secutus es, quod Pompeii filius redintegravit.

17. *Dapem*. Epulum, Jovi, si redires in patriam, promissum : sacrificium.

18. *Latus*. Corpus · pars pro toto.

19. *Lauru mea*. Aliquam sui horti arborem indicat; vel, patrocinium Mæcenatis significat, quo protectus, ut lauru salutari, fulmen, id est, iram Augusti effugerat.

20. *Cadis destinatis*. Vasis vinariis ad tuum reditum reservatis.

21. *Lævia*. Attrita sæpe bibendo : tersa et nitida. — *Massico*. Vino Campaniæ generoso; *obliviosum* appellat, quia malorum oblivionem affert vinum.

22. *Ciboria*. Pocula capaciora. — *Exple*. Exhauri; vel, imple : utrumque enim vox ea significat.

23. *Conchis*. Vasculis e concha, vel in morem conchæ factis.

24. *Deproperare*, *etc*. Cito contexere. Vocat *apium udum* : vel, quia nascitur commodius in paludibus, vel, quia vini fumos caloremque mitigat.

25. *Quem Venus*, *etc*. Quis nostrum erit, quem jactus Veneris magistrum convivii creabit, qui regna vini tesseris sortiatur? Nam id moris erat, ut sortirentur tesseris, qui bibendi esset arbiter. *Venus* vocabatur tesserarum jactus felicissimus.

26. *Dicet*. Designabit, constituet. — *Sanius*. Moderatius.

27. *Bacchabor*. Bibam. — *Edonis*. Thraciæ populo, pro ipsis Thracibus, effrenata in compotationibus licentia satis notis. — *Recepto*, *etc*. Amico præter spem mihi reddito.

28. *Furere*. Largius potare, mero insanire.

ODE VI.

Ad Valgium.

Monet amicum ut mortem filii sui deflere aliquando desinat.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare caspium

1. *Nubibus manant*. E nubibus funduntur. — *Hispidos*. Squalentes, tristes, pluviis deformatos.

2. *Caspium*. Supra Persidem est, in Asia ad septentrionem.

Vexant inæquales procellæ
Usque; nec armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum; nec tibi, vespero
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non, ter ævo functus, amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes
Troilon, aut phrygiæ sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum; et potius nova
Cantemus Augusti tropæa
Cæsaris, et rigidum Niphaten,
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vortices;
Intraque præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

3. *Inæquales*. Inconstantes, modo atrociores, modo leniores.

4. *Usque*. Semper. — *Armeniis oris*. Armenia est regio Asiæ, circa Taurum montem.

5. *Iners*. Vel, quia glacies stat immobilis et catenata, vel, quia frigus facit inertes.

7. *Querceta*. Loca quercubus consita. — *Gargani*. Mons est Apuliæ. — *Laborant*. Vexantur, agitantur.

8. *Viduantur*. Spoliantur, orbantur.

9. *Urges*. Prosequeris, defles lugubri carmine. Erat autem iste T. Valgius poeta insignis, de quo Tibullus ita canit : *Valgius, æterno propior non alter Homero*.

10. *Mysten*. Proprium est nomen pueri. — *Noc tibi decedunt amores*. Non ex animo Mysten tuum, quem in deliciis habebas, dimittis. — *Vespero fugiente*. Stella dicta Vesper, sive Vesperus, sole surgente obscuratur.

13. *Ter ævo, etc*. Nestor, qui tres hominum ætates vixit, id est nonaginta annos.

14. *Antilochum*. Filium suum, a Memnone interfectum, in bello trojano.

15. *Impubem*. Juvenem, imberbem. — *Parentes*. Priamus et Hecuba.

16. *Sorores*. Cassandra, Polyxena, Trojanæ, sorores Troili.

17. *Mollium*. Mollioris animi dolorem exprimentium.

18. *Nova, etc*. Augustus, circa annum U. C. 733. Armeniam a Parthis vindicavit; qui eidem signa militaria, Marco Crasso et Antonio olim adempta, reddiderunt.

19. *Tropæa*. Tropæum, erat monumentum victoriæ, collocatum in eo loco ubi hostes fugere cœperant.

20. *Niphaten*. Armeniæ fluvium, et montem : *rigidus* vocatur, id est, gelu constrictus, nivibus abundans.

21. *Medumque flumen*. Euphratem. — *Gentibus, etc*. Victum et domitum pariter cum Parthis, Scythis, Armeniis.

22. *Volvere, etc*. Refer ad vocem quæ præcessit. — *Cantemus*. Dicamus illud flumen, quasi pudore suæ cladis et dolore affectum, lenius et minori cum pompa fluere, nec tantos undarum vortices volvere.

23. *Intraque præscriptum*. Subaudi spatium. — *Gelonos*. Scythiæ populum.

ODE VII.

Ad Licinium.

Animi æquabilitas in utraque fortuna retinenda.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; et celsæ graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus: informes hiemes reducit
Jupiter, idem
Submovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

1. *Rectius*. Prudentius adeoque tranquillius et felicius. Is fuit frater Terentiæ, uxoris Mæcenatis, et Proculei, de quo mentio fit ode 2 hujus libri. — *Altum urgendo*. Si navim in medium et profundum mare propellas, id est, excelsa et magnifica consecteris, honores ambias, etc.

2. *Procellas*. Id est, pericula, quibus honores obsepti sunt.

3. *Premendo*. Legendo, stringendo.

4. *Iniquum*. Asperum, periculosum, ob vada et saxa.

5. *Auream*. Pulchram, pretiosam.

6. *Tutus*. Scilicet ab egestate. — *Caret obsoleti, etc*. Ille domum non habet sordidam, et neglectam, neque altam et magnificam, cui invidere possit: sic ista sua sobrietate ac temperantia præstat, ut nec inopiam nec invidiam reformidet.

8. *Sobrius*. Sibi temperans. — *Aula*. Ædibus splendidis.

12. *Fulmina*. Alii legunt *fulgura*

13. *Sperat, etc*. Pectus bene præparatum, id est, animus, sive homo, ad utramque fortunam comparatus, moderatus et sapiens, in rebus infestis et adversis sperat alteram sortem, hoc est, fortunam prosperam, et in secundis, metuit alteram sortem, nempe fortunam adversam; eoque se metu ab insolenti lætitia temperat.

17. *Submovet*. Abigit, adducit, succedente vere. — *Non, si, etc*. Si est tibi male nunc; non sic, id est, non eodem modo, non item male erit olim, id est postea, in posterum.

18. *Quondam, etc*. Apollo non semper exitialem arcum tendit, ut hominibus pestem et calamitatem immittat; sed interdum cithara canit.

19. *Tacentem musam*. Intermissa carmina.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

23. *Contrahes, etc.* Collige vela, cum vento nimium secundo turgescent; id est, si sapis, te comprimes in rebus secundis, nec plus justo intumesces, ac faventi fortunæ non nimis credes.

ODE VIII.

Ad Q. Hirpinum.

Omittendæ curæ inutiles; genio tantisper indulgendum.

Quid bellicosus Cantaber, et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet, Adria
Divisus objecto, remittas
Quærere; nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca. Fugit retro
Lævis juventas, et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis; neque uno luna rubens nitet
Vultu. Quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, assyriaque nardo

1. *Cantaber.* Hispaniæ populus, ab Agrippa domitus, anno ab U. C. 734. Octo post annis circiter, Scythæ bellum agitarunt.—*Scythes.* Scythæ sunt populi Europæ, ad septentrionem.

2. *Cogitet.* Moliatur in Romanos; quæ bella meditetur.

3. *Objecto.* Mare adriaticum, quasi vallum est objectum Scythis ne impetum faciant in Italiam. — *Remittas.* Parcas, fugias : noli quærere.

4. *Nec trepides.* Ne trepide et anxie sis sollicitus. — *In usum, etc.* Id est, ad comparandas res utiles et necessarias vitæ et naturæ, quæ pauca poscit, exiguo contenta est.

7. *Lævis.* Nitida, tenera, imberbis. Alii legunt (sed malè) *levis*, id est inconstans, stare diu nescia. — *Arida.* Macilenta, rugosa.

8. *Canitie.* Senectute.

9. *Honos.* Pulchritudo.

11. *Quid æternis, etc.* Ordo est, quid fatigas et vexas animum tuum æternis consiliis, quibus minor et impar es.

14. *Sic temere.* Ut casus tulerit, ut cuique libuerit.

15. *Canos.* Erat enim jam senior Horatius, quum hæc scriberet. — *Odorati.* Habentes capillos rosis odoriferis coronatos.

17. *Dum licet.* Per valetudinem, per ætatem. — *Nardo.* Unguenti pretiosi genus est, confectum e nardo, planta indica, quæ in Syriam advecta, inde Romam deferebatur.

Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis falerni
Pocula prætereunte lympha?

17. *Evius*. Bacchus.
18. *Puer*. Servus.
19. *Restinguet pocula*. Vini falerni calorem restinguet, demersa in frigidam aquam amphora.
20. *Prætereunte*. Vicina et currente.

ODE IX.

Ad Mæcenatem.

Se celebrandis magnis rebus imparem profitetur. Ejus uxorem laudat.

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec durum Annibalem, nec siculum mare
Pœno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharæ modis:
Nec sævos Lapithas, et nimium mero
Hylæum; domitosque herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Tuque pedestribus
Dices historiis prælia Cæsaris,
Mæcenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominæ Musa Licymniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum

1. *Nolis, etc.* Ne me jubeas aptare modis citharæ, id est, lyricis modis et versibus canere, bellum numantinum, etc. — *Longa*. Quæ annos tenuere. — *Numantiæ*. Urbs erat Hispaniæ, a Scipione Africano excisa.

2. *Annibalem*. Qui causam et initium dedit bello punico secundo. — *Durum*. Reformidandum, vel laborum patientem. — *Siculum mare, etc.* Siculi a Romanis sæpe, imprimis bello primo punico, victi navalibus præliis fuere.

3. *Purpureum*. Rubens.

5. *Lapithas*. Thessaliæ populos. — *Nimium mero*. Vino largius hausto ferum et impotentem: erat *Hylæus* unus e Centauris. Alludit poeta ad Antonium, ebriosum imperatorem.

7. *Telluris juvenes*. Gigantes; maxime vero duos, Othum et Ephialten, ceteris audaciores. Videtur Brutum et Cassium istis verbis adumbrare. — *Unde*. A quibus Gigantibus.

8. *Domus Saturni*. Cœlum. Vetus dicitur Saturnus, quia deorum antiquissimus.

9. *Pedestribus historiis*. Prosa scriptis.

11. *Per vias*. Romæ: maxime per viam sacram, per quam in Capitolium triumphantes vehebantur. — *Minacium*. Qui antea erant minaces.

13. *Me, etc.* Ordo est: Musa me voluit dicere, et omissis bellicis argumentis, celebrare potius Licymniæ canoram vocem, formam, fidelitatem. — *Dominæ*. Uxores vocari solebant dominæ. — *Licymniæ*. Fictum nomen Terentiæ, quæ fuit uxor Mæcenatis.

14. *Lucidum*. Pro lucide, neutra enim adjectivorum apud Latinos, itidem ut apud Græcos, sæpe usurpantur pro

Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus.
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniæ,
Plenas aut Arabum domos?

adverbiis : sic, dulce ridens, pro dulciter : torva tuens, pro torve, etc.

17. *Quam, etc.* Quæ maxima cum dignitate saltat in choris, jocatur in circulis, cum virginibus movetur ad numerum, consertis in orbem brachiis, in Dianæ festis.

19. *Ludentem*. Saltantem.

21. *Num tu, etc.* An velles dare et permutare omnia, quæ Achæmenes, rex Persarum ditissimus, olim obtinuit et possedit, aut opes Mygdonis, regis Phrygiæ, aut Arabum divitias, pro uno Lycimniæ crine? Certe malles unum ejus crinem quam illa omnia. Phrygia, Arabia, regiones Asiæ.

ODE X.

In arborem, cujus casu pæne oppressus fuerat.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi:
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis : ille venena colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosphorum

1. *Ille, etc.* O arbos, quicumque te primum posuit, ille te posuit et die nefasto, et manu sacrilega produxit, etc. — *Posuit*. Plantavit. — *Nefasto die*. Infelici, funesto.

3. *Produxit*. Educavit, protulit.

5. *Illum et*. Istud *et* refertur ad primum *et*, positum in primo versu primæ strophæ.

6. *Fregisse cervicem*. Scilicet laqueo, strangulasse. — *Penetralia, etc.* Interiorem partem domus noctu inquinasse sanguine hospitis a se occisi.

8. *Colcha*. Colchis est Asiæ regio, prope Pontum, ubi venena præsentissima nascuntur.

11. *Caducum*. Quod cecidisti.

14. *Cautum est*. Provisum est. — *In horas*. Horis singulis. — *Bosphorum*. Est fretum angustum et periculosum, inter mare ægæum et Propontidem; Hellespontus alio nomine.

Pœnus perhorrescit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata.
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi ; catenas Parthus et Italum
Robur : sed improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam pæne furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus ;
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli !
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere ; sed magis
Pugnas, et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues ?
Quin et Prometheus, et Pelopis parens,

15. *Pœnus*. Carthaginiensis : pro quolibet ponitur navita. — *Ultra*. Præterea.

16. *Cæca*. Inexspectata, ignota.

17. *Fugam*. Simulabant fugam Parthi, et inter fugiendum arcu converso in hostem, ex humeris tela jaculabantur, quibus persequentes enecabant.

18. *Italum robur*. Vires romanas.

19. *Improvisa*. Quam nemo certe potest providere et prospicere.

21. *Quam pæne*, *etc*. Nihil propius factum est, quam ut istius arboris casu interirem. — *Proserpinæ*. Uxor Plutonis, Cereris filia.

22. *Æacum*. Tres erant apud inferos noti judices : Minos, Æacus, et Rhadamanthus.

23. *Sedes piorum*. Campos Elysios. — *Discretas*. Piis assignatas.

24. *Æoliis*. Sappho fuit poetria, oriunda e Lesbo insula, in qua urbes quædam æolicæ ditionis erant ; itaque idem est hic, *æoliis*, atque lesbiis. — *Querentem de puellis*. Ob probra in se jactata.

25. *Sappho*. Est accusativus græcus : Sapphonem. — *Popularibus*. Ejusdem populi et loci.

26. *Sonantem*. Canentem. — *Plenius*. Alcæus habet stylum grandiorem et pleniorem quam Sappho ; agit enim de rebus bellicis : et ipse gravia cum patriæ suæ tyrannis bella gesserat, interdum victor, coactus fugere, etc.

27. *Alcæe*. Fuit Alcæus poeta lyricus, ejusdem insulæ ac Sappho, et urbis Mitylenes civis, in eadem insula.

28. *Mala*. Quæ ipse vivus pertulerat.

29. *Utrumque*. Sapphonem, et Alcæum. — *Sacro*. Religioso, quali divinæ res et sacræ audiuntur.

31. *Exactos*, *etc*. Pulsos.

32. *Densum humeris*. Habens humeros densatos et pressos, ut fit in conferta multitudine. — *Bibit aure*. Audit avide.

33. *Quid mirum*, *etc*. Non est mirum illos audiri tam attente ab umbris inferorum ; siquidem ipse Cerberus, etc.

34. *Centiceps*. Tria vulgo capita Cerbero affingunt poetæ, interdum centena.

36. *Eumenidum*. Furiarum.

37. *Prometheus*. Japeti filius ; qui quod ignem hominibus a diis iratis ereptum restituisset, admota ad currum solis tæda, detrusus est ad inferos ; ubi vultur ejus jecur immortale rodit. — *Pelopis parens*. Tantalus, qui mediis in aquis sitit.

3.

Dulci laborum decipitur sono :
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

38. *Dulci, etc.* Ordo est : laborum decipitur, id est, obliviscitur, seu nullo suarum pœnarum sensu afficitur : *dulci sono*, hoc est, ob dulcia Alcæi carmina.

39. *Orion.* Venator, dum viveret, insignis, eamdem artem apud inferos agitare dicitur; quam tamen libenter omittit, ut Alcæum audiat.

40. *Lyncas.* Lynx fera est cervo similis, varia et maculosa pelle, oculis acutissimis.

ODE XI.

Ad Postumum.

Nec vitari mortem posse, nec retardari; divitiis, dum vivimus, liberaliter utendum.

Eheu! fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti;
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonem Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ;
Frustra per autumnos nocentem

2. *Labuntur anni.* Fluminis instar celeriter currunt. — *Pietas.* Deorum cultus, sacrificia. — *Nec pietas, etc.* Tua virtus et pietas senectutem et mortem non retardabit.

4. *Indomitæ.* Morti inexorabili vel inexpugnabili.

5. *Non, si, etc.* Non effugies mortem, vel si placare coneris Plutonem sacrificio quotidiano trecentorum boum.

6 *Illacrimabilem.* Activam ista vox habet hic significationem : nempe lacrimari nescium, indocilem flecti lacrimis.

8. *Geryonem.* Ab Hercule occisus fuit.—*Ter amplum.* Tricorporem.—*Tityon.* Fuit Tityus unus e Gigantibus; ejus præcordia semper renascentia aquila lancinare fingitur.

9. *Compescit.* Inclusos tenet, prohibetque ne ad superos emergant.— *Unda.* Nempe Styge.

10. *Terræ munere.* Pane, frugibus.

11. *Enaviganda.* Quam undam omnes debemus enavigare. — *Reges.* Divites, potentes.

12 *Coloni.* Agricolæ.

13. *Frustra, etc.* Frustra vel hoc vel illud periculum vitabimus ad vitam diu producendam, quandoquidem inopinato mortis genere nobis fortasse erit moriendum. — *Marte, etc.* A bello abstinebimus, et a navigatione.

14. *Fractis.* Agitati fluctus alliduntur et franguntur ad littora; unde ingens murmur.

15. *Nocentem Austrum.* Auster flat a

Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet heres cæcuba dignior,
Servata centum clavibus, et mero
Tinget pavimentum superbum,
Pontificum potiore cœnis.

meridie, et morbos humido calore ac febres affert.

16. *Metuemus.* Et quantum fieri potest, cavebimus ne noceat.

17. *Visendus Cocytus.* Id est, moriendum est. — *Flumine languido.* Id est, fluctu, motu lento.

18. *Cocytus.* Inferorum fluvius. — *Danai genus.* Danaides, filiæ Danai; quæ, quod suos sponsos, Ægypti patrui sui filios, interemissent, ea damnatæ pœna sunt, ut aquam immittant in dolium pertusum.

20. *Sisyphus.* Æoli filius, latrociniis infamis : in Tartaro saxum in cacumen montis propellit, quod semper sua sponte devolvitur, longo labore et irrito.

21. *Placens.* Dulcis, quam diligis.

23. *Cupressos.* Cupressini rami figebantur pro foribus ejus domus, in qua quis diem obiisset.—*Invisas.* Quia mortem significant. Eodem ligno cadavera cremabantur.

24. *Brevem.* Brevi tempore viventem.

25. *Absumet, etc.* Heres tuus effusissime consumet quæ tu nimis parce conquisivisti. — *Cæcuba.* Vina generosa, nata in Cæcubis, agris Campaniæ. — *Dignior.* Te dignior; quippe qui utatur bonis, quibus tu male parcis.

27. *Tinget, etc.* Effundet in pavimentum, et disperdet. — *Superbum.* Splendidum, magnificum. Alii legunt *superbo,* id est mero generoso.

28. *Potiore cœnis.* Præstantiore vino quam quod in cœnis pontificum apponitur.

ODE XII.

Antiquam parcimoniam recenti luxui opponit.

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent : undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs
Evincet ulmos : tum violaria, et

1. *Jam pauca, etc.* Ædificia superba et magnis molibus ac substructionibus, regiarum instar ædium, exstructa, relinquent brevi pauca, quæ arari possint, jugera.

2. *Undique visentur.* Ubique conspicere licebit. — *Stagna.* Piscinæ marinæ. — *Latius extenta Lucrino.* Latiora ipso Lucrino lacu.

3. *Lucrino lacu.* Erat in sinu baiano prope lacum Avernum.

4. *Cælebs.* Quæ vitibus non maritatur : sterilis.

5. *Evincet.* Emovebit, loco cedere

Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Præscriptum, et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla, decempedis
Metata, privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton;
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

coget; honore ac numero superabit ulmos. — *Violaria*. Loca violis consita.

6. *Copia narium*. Opes ac divitiæ narium, nempe flores, qui nares juvant suavi odore.

7. *Olivetis*. In locis quæ prius oleis erant consita, et fertilia, ac proinde utilia domino priori.

9. *Laurea*. Laurus.

10. *Ictus*. Solis radios ardentes.

11. *Intonsi*. Impexi et inculti, alieni ab omni luxu.

12. *Auspiciis*. Exemplis, auctoritate. — *Norma*. Consuetudine veterum et moribus, qui recta nobis vivendi norma et regula esse debent.

13. *Census*. Bona quæ censu æstimantur; res familiaris.

14. *Commune*. Publica res, ædes, opes publicæ et communes.—*Magnum*. Erat splendidum et amplum. — *Decempedis, etc.* Non habebant privati, ut nunc fit, porticus oppositas septentrioni, et decempedis metatas. Decempeda est mensura decem pedum. — *Privatis*. Apud privatos homines.

15. *Metata*. Emensa, mensurata. — *Opacam*. Id est, umbrosam: quia porticus septentrioni obversa erat, unde sol meridianus illam porticum non videbat.

16. *Arcton*. Significat ea vox proprie ursam, signum septentrionale. In hoc vero loco significat ventum frigidum, a septentrione et Arcto flantem, quo æstivi calores lenirentur; et cui obversa erat porticus, ut exciperet auram frigidam.

17. *Fortuitum*. Ubique forte obvium, vel a sorte assignatum. — *Cespitem*. Casam ex cespite factam.

18. *Oppida*. Publica oppidorum ædificia.

20. *Novo*. Aliunde quæsito et recens exciso, vel cujus non frequens usus erat.

ODE XIII.

Ad Grosphum.

Animi tranquillitatem, non opibus aut honoribus, sed eorum contemptu comparari.

Otium divos rogat in patenti
Prensus ægæo, simul atra nubes
Condidit lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:

2. *Prensus*. Homo nauta, tempestate subita deprehensus, in vasto mari. — *Ægæo*. Mare ægæum est inter Græciam, et minorem Asiam. — *Simul*. Simul atque, postquam.

3. *Certa*. Quæ illius cursum certo re-

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura ve-
nale, nec auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præsens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.

gere possint : quæ certo et constanter appareant.

5. *Otium, etc.* Subaudi, rogat deos. — *Thrace* autem idem est ac Thracia, Europæ regio, supra Græciam et ægæum mare sita, belli artibus clara.

6. *Medi.* Parthi.

7 *Venale.* Quod otium emi non potest gemmis, auro, etc.

9. *Gazæ.* Opes. Proprie vox ea significat Persarum thesauros.

10. *Lictor.* Erat publicus minister, qui magistratibus præibat, ac fasces præferebat, etc. Illius munus erat submovere populum, ut eunti consuli via pateret, tumultum cohibere, etc. — *Tumultus mentis.* Metus, sollicitudines.

11. *Laqueata.* Laquearibus pictis, aureis ornata, id est, domum divitum.

13. *Vivitur, etc.* Ille vivit felix, qui contentus est parvis opibus a parentibus acceptis, qui sobrius ac temperans est.

14. *Salinum.* Vasculum salis. — *Splendet.* Vel proprie ob externam munditiem, vel quia in mensis veterum præcipua quadam religione sal apponebatur, et sacer esse putabatur. Ponitur hic salinum pro cetera supellectile.

15. *Cupido sordidus.* Avaritia.

17. *Quid brevi, etc.* Cur in tanta vitæ brevitate, multa fortiter et animose, quasi diu victuri, molimur et destinamus?

18. *Quid terras, etc.* Cur, quæstus et lucri scilicet causa, migramus in longinquas oras, calidiores, aut frigidiores, ubi sol proinde alius videtur esse, atque est in patria nostra quam relinquimus?

19. *Quis exsul, etc.* Quis patriam fugiens, et voluntarium quodam modo exsilium suscipiens, se quoque, suas cupiditates, et curas fugere potest? Nemo certe. Quum patriam quis relinquit, sequuntur eum curæ, et in eamdem cum eo navim scandunt, etc.

21. *Æratas.* Rostra navium, seu proræ, et anteriores partes, ære et ferro muniebatur. — *Vitiosa.* Quæ animum vitiat, vel quæ felicitatem corrumpit.

23. *Agente, etc.* Nubes propellente. Est *Eurus* ventus flans ab oriente.

25. *Lætus, etc.* Animus sit contentus præsentibus, et lætus sua sorte, quæque obtigerit. — *Quod ultra est.* Quod futurum est.

26. *Oderit.* Fugiat, caveat. — *Lento.* Moderato, vel docili, quasi flexibili.

Abstulit clarum cita mors Achillem;
Longa Tithonum minuit senectus;
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parva rura, et
Spiritum graiæ tenuem Camenæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

30. *Tithonum*. Fuit Tithonus Auroræ maritus : cui quum vitam longissimam, imo ipsam immortalitatem, uxor a Jove exorasset, gravi et molesta senectute confectus, rursus ab eodem Jove mortis beneficium flagitavit.

32. *Porriget hora*. Occasio, tempus.

33. *Siculæ*. Pingues : quia in Sicilia erant læta pascua : v'., quia Grosphus ipse agros in Sicilia habebat.

34. *Tibi, etc.* In tua commoda hinniens equa : vel, equa plurima in tuis gregibus tibi hinnit : quippe quæ tua sit.

35. *Apta quadrigis*. Tam generosa ut quadrigis in certamine curuli jungi possit.

36. *Murice*. Purpureo colore; qui ut esset viridior et diuturnior, bis eo lanæ tingebantur.

37. *Rura*. Villam in agro sabino.

38. *Spiritum, etc.* Ingenium aptum ad lyricos versus, Græcorum exemplo faciendos.

39. *Non mendax*. Tenax veri, immutabilis. — *Malignum*. Invidiosum. — *Spernere*. Scilicet dedit, id est, concessit mihi hoc ut spernerem.

ODE XIV.

Ad Mæcenatem.

Mæcenatem de morborum et senectutis incommodis querentem consolatur, eique se superstitem fore negat.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,

1. *Querelis*. Mæcenas, quum incommoda uteretur valetudine, queri solitus erat de morbi, vel etiam de vitæ diuturnitate, quæ molesta ægrotis, aut parum valentibus esse solet.

2. *Amicum est*. Gratum.

5. *Partem animæ*. Virgilium alibi vocat animæ dimidium suæ.

6. *Maturior vis*. Mors ante constitutum vitæ terminum accelerata. — *Moror*. Scilicet in his terris. — *Altera*. Ego animæ meæ pars altera.

Nec carus æque, nec superstes
Integer? ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec, si resurgat centimanus Gyas,
Divellet unquam : sic potenti
Justitiæ, placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpius adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ;
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas; quum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum;
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas

7. *Nec carus æque*. Vitam non amplius jucundam ducam. — *Nec superstes integer*. Sublata nempe altera animæ parte.

8. *Utramque, etc.* Tuam et meam.

9. *Non ego, etc.* Non temere juravi, non animo perfido, et pejerare volens promisi, nos una ituros ad tumulum.

10. *Sacramentum*. Jusjurandum proprie est juramenti formula, quam dicunt milites, quum nomen militiæ dant.

11. *Utcumque*. Quandocumque. — *Præcedes*. Prior e vita migrabis.

13. *Chimæræ*. Fuit mons in Lycia, flammas evomens : monstrum finxerunt poetæ, capite leonino, caprino ventre, draconis cauda. — *Spiritus*. Halitus, flatus.

14. *Gyas*. Unus e Gigantibus, quem centum habuisse manus fingunt poetæ.

15. *Divellet*. A te separabit.

16. *Justitiæ*. Quasi postularet æquitas ac justitia, ut duo amici conjunctissimi non nisi eodem tempore morerentur.

17. *Libra, Scorpius*. Sunt duo signa cœlestia, septimum et octavum in Zodiaco. Libra, est boni ominis sidus. — *Adspicit*. Mihi nascenti præfuit.

18. *Formidolosus*. Metuendus, gravis. — *Pars violentior, etc.* Qui Scorpius, ex omnibus astris, quæ locum in meo habent horoscopo, est inimicissimum sidus.

20. *Capricornus*. Signum decimum Zodiaci, mali ominis sidus.

21. *Utrumque, etc.* Certe astra, quæ nostræ nativitati præfuerunt, valde inter se consentiunt. Probat hoc a gemino eventu.

22. *Te Jovis, etc.* Sidus tutelare Jovis, contra impii Saturni infaustum sidus fulgens, periculo, quod illud tibi portendebat, eripuit. *Impius Saturnus* vocatur, quia liberos devorabat, ut poetæ canunt.

24. *Fati*. Mortis. Ereptus e gravi morbo Mæcenas fuerat. Valetudinem ejus tribuit Horatius propitio Jovi.

27. *Truncus*. Scilicet arboris.

28. *Sustulerat*. Procul dubio occidisset. — *Faunus*. Horatius suam salutem ita Fauno tribuit, ut astrorum vi benigna factum esse velit, quod servatus a Fauno fuerit.

29. *Mercurialium virorum*. Qui ingenuas artes colunt, poetarum scilicet.

Ædemque votivam memento :
Nos humilem feriemus agnam.

31. *Ædemque votivam.* Templum voto, si convalesceres, promissum.

32. *Humilem.* Tenuem victimam meis fortunis congruentem. — *Agnam.* Quæ hostia Fauno immolari solita erat.

ODE XV.

Modico contentus, Romanorum luxum et avaritiam insectatur, mortalitatis vectigales esse, quotquot vivunt, monendo.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar :
Non trabes hymettiæ
Premunt columnas ultima recisas
Africa : neque Attali
Ignotus heres, regiam occupavi :
Nec laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides, et ingeni
Benigna vena est; pauperemque dives
Me petit. Nihil supra
Deos lacesso; nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire lunæ :
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, et, sepulcri
Immemor, struis domos :
Marisque Baiis obstrepentis urges

2. *Renidet.* Splendet, ridet. — *Lacunar.* Idem est quod laquear.

3. *Hymettiæ.* Cæsæ in silvis montis Hymetti, in Attica.

5. *Africa.* In Numidia, ubi marmor eximium.

7. *Laconicas.* Lanas tinctas apud Tænarum, Laconiæ in Peloponneso promontorium, ubi eximius capiebatur murex.

8. *Trahunt.* Nent, ducunt. — *Honestæ clientæ.* Feminæ honesto loco natæ, quarum ego patronus sim.

9. *Fides.* Vitæ probitas et integritas. — *Ingeni benigna vena.* Ingenium ex fonte largo affluens.

11. *Me petit.* Me ambit, consulit, colit; ego pauper, ob fidem, et ingenium, divitibus in honore et pretio sum.

12. *Lacesso.* Flagito. — *Amicum.* Mæcenatem.

14. *Sabinis.* Villa mea, in agro sabino.

15. *Truditur.* Expellitur et decedit, alio die ipso succedente.

17. *Tu secanda, etc.* Tu, o quisquis es, sub ipsam mortem, paulo ante obitum qui tibi imminet, conducis homines, qui secent tibi marmora, struendis novis domibus.

20. *Baiis obstrepentis.* Baias alluentis. Ad sinum baianum, non procul Neapoli, propter amœnitatem loci, ædes multæ

Summovere littora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris : nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit, auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet : hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

videbantur, a nobilibus exstructæ. — *Urges*. Festinas.

21. *Summovere*. Ulterius protendere, jactis molibus, quæ mare arceant et removeant; littus vero promoveant et proferant.

22. *Parum, etc.* Non satis habes si ripam continentem possideas : occupas etiam littus excluso et emoto mari.

23. *Quid, quod*. Pro immo, adde quod.

24. *Revellis agri terminos*. Præter jus et fas vicini agri partem tibi vindicas.

26. *Salis*. Exsilis, transcendis. — *Pellitur, etc.* Pelluntur pauperes rustici, te illorum agros invadente.

28. *Sordidos*. Inopes et pannosos, quippe a te spoliatos.

29. *Nulla, etc.* Ordo est : nulla tamen aula manet divitem herum certior fine destinata rapacis Orci, id est locorum inferorum destinatis cuique finibus.

32. *Tendis*. Cur spem vanam ultra vitæ terminum prorogas?

33. *Recluditur*. Aperitur. Tumulus reges ac pauperes perinde accipit.

34. *Satelles Orci*. Charon, inferorum custos et portitor, ac Plutonis quasi satelles.

35. *Callidum, etc.* Prometheus callidus dicitur, quia cœlestem ignem astu e cœlo in terras detulit, inscio Jove, a quo eam ob rem detrusus est in inferos, et vulturi traditus, fecunda in pœnas viscera devoranti.

37. *Tantalum*. Is, præ superbia, deos, quos ad convivium vocaverat, falli a se posse speravit, illisque Pelopem, filium suum, epulandum apposuit. — *Tantali genus*. Atreum, Thyestem, Agamemnonem.

38. *Coercet*. Continet, ne fugiant. — *Vocatus levare*. Id est, ut levet. — *Audit*. Præsto est.

ODE XVI.

Sibi fas esse Bacchi laudes, ut ejus numine pleno et concitato, canere.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite, posteri),
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. Evoe! parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso.
Fas pervicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas et beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum;
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coerces viperino

1. *Remotis*. Scilicet ab hominum conspectu.

4. *Acutas*. Ad audiendum erectas.

5. *Evoe!* O Bacche! dictus est Evius, vel Evœus, a Jove, quum rem in Gigantes strenue gereret: solita bacchantium exclamatio. — *Mens, etc.* Adhuc attonitus sum, et sacro quodam horrore percitus, nempe ob visum numen.

7. *Liber*. Sic vocatur Bacchus, quia magna est in vino libertas, et licentia.

8. *Parce*. Quod mortalis deum conspexerim. — *Gravi metuendo*. Injecto enim thyrso furorem simul injicere putabatur Bacchus. — *Thyrso*. Est hasta pampinis involuta, qua Bacchus armatur.

9. *Fas est, etc.* Quoniam impune Bacchum vidi, et ejus numine sum afflatus, licet mihi, tuto possum, ejus laudes canere, sacra describere. — *Pervicaces*. Protervas, petulantes. — *Thyadas*. Bacchas, Mænadas.

10. *Vinique fontem, etc.* Hæc omnia Bacchus fecisse dicebatur, quum ex Indiis rediret, in triumphantis morem; nempe vini fontes in siccis agris elicuisse, et lactis rivos, etc.

12. *Iterare*. Iterum atque iterum canere, dicendo ingeminare.

13. *Conjugis, etc.* Coronam nuptialem Ariadnes, quam stellis inseruisti, quum illam a Theseo desertam duxisti.

14. *Penthei*. Pentheus, rex Thebarum, quia Bacchum spreverat, a matre, per Bacchum in furorem acta, discerptus est, et ejus regia eversa.

16. *Lycurgi*. Rex Thraciæ fuit; qui, quum vites tota regione jussisset excindi, a Baccho in furorem actus, et oculis privatus est.

17. *Flectis amnes*. Indum et Gangem, fluvios Indiæ (de qua Bacchus triumphavit), domas, et servire tibi cogis. — *Barbarum*. Indicum.

18. *Separatis*. Remotis, secretis. — *Uvidus*. Vino madidus.

19. *Nodo, etc.* Crines Baccharum (quæ Bistonides dicuntur): Bistonis mu-

Bistonidum sine fraude crines.
Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhœcum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala,
Quanquam choreis aptior et jocis,
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris : sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam; et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

lierem thraciam significat : Bistones sunt populi Thraciæ vino et Baccho dediti.

20. *Sine fraude*. Ita ut illi angues nihil noceant Bistonidibus.

21. *Parentis*. Jovis. — *Per arduum*. Subaudi, iter : per montes alios aliis aggestos.

23. *Rhœcum*. Unum e Gigantibus. — *Retorsisti*, *etc*. Tu, in leonem conversus, repulisti et dejecisti cœlo, redire ac fugere coegisti Rhœcum, etc.

24. *Mala*. Maxilla, dentibus leonis, quibus eum lacerasti.

25. *Quanquam*, *etc*. Quanquam diceberis aptior choreis, etc., et parum idoneus pugnæ.

27. *Sed*. Tamen. — *Pacis mediusque belli*. — Tam pacis et otii amans, quam bello strenuus.

29. *Insons*. Tibi innoxius. Bacchus inferos petivit, ut Ariadnen uxorem eriperet.

30. *Cornu decorum*. Baccho dantur cornua ; quia vinum robustos et pugnaces facit, vel, ut alii volunt, quia Bacchus primus terram junctis bobus excoluit. — *Atterens*. Humum seu corpus cauda mulcens, ut canes dominis blandientes solent.

31. *Recedentis*. Ex inferis. — *Trilingui*. Quia Cerberus est triceps.

ODE XVII.

Ad Mæcenatem.

Æternam sibi famam ex carminibus pollicetur.

Non usitata, nec tenui ferar
Penna, biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas

1. *Non usitata*. Paucissimis concessa, quia primus lyricos cantus Romanis intulit. — *Non tenui*. Valida.

2. *Biformis vates*. Ego cui, ut poetæ, binæ formæ, tam hominis quam cycni, concessæ sunt.

4. *Invidiaque major*. Superans invidiam.

5. *Relinquam*. Æthera petens.

6. *Sanguis*. Proles, genus. — *Quem vocas*. Quem ita compellare soles, o dilecte Horati. Alii jungunt *dilecte Mæce-*

Dilecte, Mæcenas, obibo;
Nec stygia cohibebor unda.
Jamjam residunt cruribus asperæ
Pelles, et album mutor in alitem
Superne, nascunturque leves
Per digitos humerosque plumæ.
Jam Dædaleo ocior Icaro,
Visam gementis littora Bosphori,
Syrtesque gætulas, canorus
Ales, hyperboreosque campos.
Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes, et querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

nas, et sic, quem ad te vocas, o dilecte Mæcenas.

8. *Nec stygia, etc.* Non petam inferos, non moriar.

9. *Residunt.* Adhærescunt. — *Asperæ pelles.* Instar squamularum, quibus cycnorum crura integuntur.

10. *Album alitem.* Cycnum.

11. *Superne.* Quod ad superiorem corporis partem attinet.

13. *Dædaleo.* Filio Dædali, qui pennas sibi aptavit, etc. — *Ocior.* Alii legunt (et quidem melius) *tutior* vel *cautior;* alii *notior.*

14. *Visam.* Volando petam. — *Gementis.* Ob procellas, quæ in eo frequentes excitantur.

15. *Canorus ales.* Cycnus.

16. *Hyperboreosque.* Septentrionales, Boreæ subjectos.

17. *Colchus.* Populus Asiæ juxta Pontum, ad quem Jason cum Argonautis navigavit.

18. *Marsæ cohortis.* Marsi erant Italiæ populi, qui pedestri pugna inprimis valebant. — *Dacus.* Europæ populus ad septentrionem. — *Dissimulat metum.* Dum revera timet, fingit tamen non timere.

19. *Geloni.* Scythis erant vicini, ad septentrionem. — *Peritus.* Scilicet litterarum. — *Discet.* Cantibus meis attentas aures præbebit.

20. *Iber.* Hispanus, ab fluvio Ibero, sic dictus; *l'Èbre.*—*Rhodanique potor.* Rhodanus, gallice *le Rhône,* fluvius est Galliæ lugdunensis.

21 *Absint, etc.* Noli, o Mæcenas, tristibus næniis meum funus prosequi. *Nænia* est cantus lugubris. — *Inani.* Quia mihi, mutato in cycnum, inutile funus erit, ubi nullum cadaver, nullus mortuus; ero enim immortalis.

22. *Turpes.* Indigni me, qui semper victurus sum.

23. *Clamorem.* Magna voce mortuos valere extremum jubebant.

24. *Mitte.* Omitte.

LIBER TERTIUS.

ODE I.

Non in opibus aut honoribus vitam beatam esse positam.

Odi profanum vulgus et arceo.
Favete linguis : carmina non prius
  Audita, Musarum sacerdos,
    Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
  Clari giganteo triumpho,
    Cuncta supercilio moventis.
Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
  Descendat in campum petitor;
    Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major; æqua lege necessitas
  Sortitur insignes, et imos :
    Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impia

1. *Profanum. Profanus* proprie dicitur, qui a fano et sacris arcendus est; non sacer, non religiosus, non initiatus.

2. *Favete linguis.* Porro hæc verba, *favete linguis*, usurpabantur in sacrificiis; et iis homines jubebantur silere et attendere, nihil dicere obscenum, profanum, mali ominis. — *Non prius audita.* Scilicet. Romanis, id est carmina lyrica.

3. *Musarum sacerdos.* Dicuntur poetæ Musarum esse sacerdotes, et æditui.

4. *Virginibus, etc.* Vel a virginibus et pueris recitanda, ut eorum animis, adhuc teneris et mollibus, altius inhæreant; vel, ab iisdem audienda diligentius, quibus esse possunt utiliora, et quorum ætas facile ad virtutem fingi et erudiri potest.

5. *In proprios greges.* Id est, populum eorum potestati subjectum.

7. *Clari.* Qui Jupiter insignem gloriam retulit, Gigantibus debellatis.

9. *Est ut.* Contingit ut, etc. — *Viro vir.* Alius alio, hic illo. — *Latius, etc.* Agros latiores, prædia lautiora possideat.

10. *Hic, etc.* Alius quispiam. — *Generosior.* Nobilior, clarioris generis, quam sui competitores.

11. *In campum.* Martium, prope Romam ad Tiberim. Eo populus conveniebat, ad ferenda suffragia, et creandos magistratus. — *Petitor.* Scilicet honorum : candidatus.

12. *Moribus hic, etc.* Alter quispiam contendat cum æmulis suis et rivalibus candidatis.—*Melior.* Id est præstantior, ob mores et famam.

13. *Illi, etc.* Ut alius plures alio habeat clientes.

14. *Æqua.* Æquali. — *Necessitas.* Fatum, mors omnibus obeunda.

15. *Sortitur.* Sorte quasi jacta deligit, et leto destinat : ex urna quasi adducit eorum nomina. — *Insignes.* Nobiles.— *Imos.* Ignobiles, obscuro loco et humili natos.

16. *Capax.* Ampla.

17. *Districtus, etc.* Nudatus. Respicit

Cervice pendet, non siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam;
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ;
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus; sed timor et minæ
Scandunt eodem quo dominus; neque
Decedit ærata triremi, et
Post equitem sedet atra cura.

historiam Damoclis. Erat ille Dionysii, Siciliæ tyranni, aulicus et assentator; cujus quum felicitatem et conditionem præter modum laudaret, Dionysius, ut eum dedoceret, jussit hominem accumbere ad regiam mensam; sed supra illius caput ensem nudum, equina seta appensum, demitti voluit: quo metu Damocles ita exanimatus est, ut ne cibos quidem attigerit.

18. *Impia cervice*. De scelesto loquitur quem turbant terrores.

19. *Elaborabunt*. Efficient, provocabunt.

21. *Reducent*. Quem metus abstulit.

24. *Tempe*. Thessaliæ vallis, pro quavis valle amœna.

26. *Sollicitat, etc*. Non anxium et sollicitum reddit mare procellosum, non terrent procellæ, quia non se committit periculosæ navigationi, lucri causa.

27. *Arcturi*. Est Arcturus signum Ursam consequens, et quasi ejus custos.

28. *Hœdi*. Hœdus gemina stella est, in sinistra manu Aurigæ sive Erichthonii. Quum Hœdi oriuntur, magnas cient procellas; ut Arcturus, quum occidit.

30. *Mendax*. Sterilis: qui spem agricolæ fallit. — *Arbore, etc*. Arboribus sterilitatis suæ culpam conferentibus, modo in aquas et imbres nimios, modo in calores, ab sideribus agros torrentibus, id est, urentibus, profectos, modo in hiemes asperas.

33. *Contracta, etc*. Quæ, ob jactas in mare moles, angustiora facta sunt. Queruntur pisces, quod sua regna homines usurpent, etc. Est autem *moles* pila saxea.

34. *Huc*. In altum mare. — *Frequens cum famulis*. Pro cum frequente famulorum turba.

35. *Cæmenta*. Lapidum cæsorum fragmenta, rudia et impolita. — *Redemptor*. Qui opus aliquod faciendum v. g. domum, aggerem, suo periculo, certa mercede pacta conducit, et in se recipit.

36. *Dominus*. Herus aliquis, homo nobilis.— *Terræ fastidiosus*. Qui fastidit terram continentem, et in littore, in mari, ædes exstruit, terris non contentus.

37. *Minæ*. Minaces imagines.

38. *Scandunt, etc*. Eumdem in locum ascendunt: in mari non minus, quam in terris adsunt.

39. *Decedit*. Demigrat, abscedit. — *Ærata*. Habente rostrum æreum.

40. *Post equitem*. In eodem equo, cum equite, a tergo equitis hæret.

Quod si dolentem nec phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit usus, nec falerna
Vitis, achæmeniumque costum
Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium ?
Cur valle permutem sabina
Divitias operosiores ?

41. *Dolentem.* Me aliquo, vel corporis, vel animi dolore affectum. — *Phrygius lapis.* Columnæ marmoreæ, advectæ e Phrygia.

42. *Nec purpurarum, etc.* Nec usus vestium purpurearum, sideribus micantiorum.

43. *Delinit.* Dolores et morbos levat.

44. *Achæmeniumque.* Persicum, ab rege Persarum Achæmene. — *Costum.* Aromatis genus.

45. *Invidendis.* Invidiæ obnoxiis. *Postes* sunt januæ latera; pro tota domo accipiuntur.

46. *Atrium.* Primus erat locus ædium, et quasi aditus ad reliquam domum.

47. *Cur valle, etc.* Id est, cur vallem et agrum meum sabinum permutem divitiis molestioribus, in quibus conservandis operæ multum et curæ consumam?

ODE II.

Pueros a teneris annis ad bellicam fortitudinem, probitatem pietatemque informandos esse docet.

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat; et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta;
Vitamque sub dio et trepidis agat
In rebus. Illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret : Eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes!

1. *Amici.* Alii legunt *amice* et jungunt *amice pati*, id est pati lubenter, prompto paratoque animo.

2. *Militia, etc.* In militia : vel qui fiat robustus acri militia et difficili. Vocat paupertatem *angustam*, id est, molestam, laboriosam.

5. *Sub dio, etc.* Extra domum, in campo, in castris, etc. — *Trepidis in rebus.* Inter metus, et media pericula.

7. *Matrona, etc.* Uxor alicujus regis barbari, qui bellum cum Romanis gerat.

8. *Adulta.* Ætate provectior, nubilis.

9. *Eheu, etc.* Verba sunt illius virginis, sponso suo metuentis a Romano juvene; vel, matronæ, suo viro timentis. — *Rudis agminum.* Imperitus rei militaris.

11. *Leonem.* Militem romanum, instar leonis furentem in acie.

Dulce et decorum est pro patria mori.
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus, repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures,
Arbitrio popularis auræ.
Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via;
Cœtusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub isdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

14. *Et fugacem.* Non tantum quemlibet obvium, non eos tantum qui fortiter dimicant, sed illos etiam qui fugiunt.

15. *Nec parcit, etc.* Interficit etiam imbelles juvenes, qui terga et poplites vertunt hosti.

17. *Virtus, etc.* Bellica. — *Repulsæ nescia.* Quæ nunquam novit turpem repulsam pati.

18. *Intaminatis.* Puris, incorruptis.

19. *Nec sumit, etc.* Gloriam suam a populo non emendicat. — *Secures.* Insignia consulatus et præturæ. Erant illæ secures in medio virgarum fasciculo; duodecim fasces consuli, sex prætori præferebantur.

20. *Auræ.* Favoris, suffragii.

21. *Immeritis mori.* Indignis qui moriantur, merentibus non mori.

22. *Negata, etc.* Ardua, difficili, non omnibus concessa: perrumpit obices omnes, ut viam sibi faciat. — *Iter.* Ad cœlum.

23. *Vulgares.* Vulgi. — *Udam.* Cœnosam, crassam.

25. *Est et fideli, etc.* Hæc tertia pars odæ est, ad religionem pertinens. Laudat partem unam pietatis, maxime apud Græcos notam et insignem, nempe silentium; quod præsertim servabatur in sacris Cereris, quæ Eleusina vocabatur, a pago, ubi hæc sacra fiebant: quod silentium si quis rupisset, aperiendo et alteri explicando arcana sacra, capitale scelus erat.

26. *Vetabo.* Cavebo, non committam ut, etc.

28. *Trabibus.* Tecto, domo.

29. *Solvat phaselum.* Pelago mecum se committat, soluto navis fune, quo littori alligari solet. Phaselus est cymba, navicula.

30. *Neglectus.* Parum pie cultus, hominum impietate læsus. — *Incesto.* Scelerato. — *Addidit.* Pœnæ comitem. — *Integrum.* Innocentem, purum sceleris.

31. *Raro, etc.* Quamvis pœna impiorum differatur interdum, tamen raro eos abire inultos patitur.

ODE III.

Justitia et constantia homines impavidos gravissimis in periculis reddunt : eædem heroas evehunt cœlo, et veteres Romanos orbis dominos effecerunt.

Justum ac tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus:
Si fractus illabatur orbis,
. Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas;
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta consiliantibus
Junone divis: « Ilion, Ilion
Fatalis incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi

1. *Tenacem propositi.* Constantem in proposito, id est in rebus justis.

2. *Ardor, etc.* Tumultus, seditio civium leges iniquas ferentium. — *Prava jubere*, est leges pravas ferre.

3. *Instantis.* Minitantis, præsentem mortem intentantis.

4. *Mente quatit solida.* A proposito consilio dimovet.

7. *Illabatur.* In ejus caput labatur.

9. *Hac arte.* Justitia et constantia fretus. — *Pollux.* Jovis et Ledæ filius, Castoris frater, qui, ob multas res præclare gestas maxime in fugandis piratis, relatus est inter sidera. — *Vagus.* Qui orbem fere totum domandis monstris peragravit.

10. *Arces igneas.* Cœlum stellis ornatum.

11. *Recumbens.* Ad mensam accumbens.

12. *Purpureo, etc.* Pulchro.

13. *Merentem.* Promerentem adscribi cœlo, ob egregia tua facinora.

14. *Tigres.* Currum Bacchi trahere dicuntur tigres, animal natura ferum et indocile, ad significandam vini vim, et impotentiam.

15. *Quirinus.* Romulus, sic dictus a *quiri*, quæ vox, lingua Sabinorum, hastam significat.

16. *Martis equis.* Romulus, ut narrant poetæ, ad cœlum adscendit in curru Martis. — *Acheronta, etc.* Inferos effugiens, cœlum petivit, id est, immortalitatem est adeptus.

17. *Gratum, etc.* Postquam Juno, in deorum consessu et concilio, rem ipsis gratam fuisset locuta.

19. *Judex.* Paris. — *Fatalis.* In fatum, id est in perniciem patriæ electus. — *Incestus.* Iniquus.

20 *Mulier peregrina.* Helena, quam e Græcia raptam Paris Trojam vexit.

21. *Ex quo.* Ex quo tempore. — *Destituit.* Fraudavit.

22. *Pacta.* Promissa. — *Laomedon.* Priami pater. Is, quum Trojæ muros

Castæque damnatum Minervæ,
Cum populo et duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit;
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras, et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter sæviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos feræ
Celent inultæ, stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis;
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor

exstrueret, Neptunus et Apollo suam illi operam ad eos condendos certa mercede locaverunt. Opere confecto, promissum pretium solvere Laomedon recusavit: hinc deorum ira in Trojanos.

23. *Damnatum*. Nempe Ilium invisum, detestatum: vel, a me et Minerva damnatum excidio.

24. *Duce*. Laomedonte perfido.

25. *Lacænæ adulteræ*. Helenæ Lacedæmoniæ. — *Splendet*. Vivit, opibus formaque præstans.

26. *Hospes*. Paris. — *Famosus*. Infamis. Ea vox in pejorem vulgo partem accipitur.

27. *Perjura*. Ob Laomedontem, qui promissam Neptuno et Apollini juramento pecuniam denegavit.

28. *Hectoreis opibus*. Hectoris virtute et fortitudine. — *Refringit*. Retundit, repellit.

29. *Ductum*. Productum, continuatum ad decem annos. — *Seditionibus*. Deorum inter se ac dearum dissensionibus.

30. *Resedit*. Sublatum est, confectum est —*Protinus*. Haud mora, jam porro, in posterum.

31. *Iras, etc*. In gratiam et honorem Martis, iras meas deponam.

34. *Inire*. Ingredi. — *Ducere*. Bibere.

37. *Dum, etc*. Modo, ea lege, ut Roma et Troja interposito mari longe separentur.

38. *Exsules*. Romani ab Ænea orti, qui venit *Italiam fato profugus, etc*. — Virg., *Æn*. lib. I.

39. *Regnanto*. Imperativus; regnent ubilibet, orbem obtineant.

41. *Insultet*. Greges impune premant sepulcra Priami et Paridis; adeoque Troja tota vastata sit ac deserta.

42. *Inultæ*. Illæsæ: impune, ob arborum densitatem, et solitudinem loci. — *Capitolium*. Præcipuum Romæ templum Jovi sacrum: arx imperii.

44. *Medis*. Parthos intelligit, qui Persarum imperium invaserant, ut Persæ Medorum olim.

45. *Horrenda*. Metuenda et terribilis hostibus Roma.

46. *Qua medius, etc*. Imperet Roma, et qua mare medium, id est, Mediterraneum, in medias terras influens, separat Europam ab Africa, et qua Nilus Ægy-

Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus;
Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ, pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.
Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret. »
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ:
Quo, Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

ptum rigat *tumidus*, hoc est, intumescens et exundans, id est, ab uno maris Mediterranei littore, nempe occidentali et atlantico, ad alterum littus Nilo vicinum, et orientale. — *Liquor*. Aqua, mare.

50. *Spernere fortior*. In spernendo aurum quam in effodiendo e visceribus terræ ad humanos usus.

52. *Omne sacrum rapiente dextra*. Quippe quum auri cupiditas impellat hominum manus ad res sanctissimas violandas.

53. *Quicumque mundo terminus obstitit*. Quicumque terminus orbi terrarum objectus est, id est, quæcumque in extremo terrarum termino posita est regio.

55. *Qua parte, etc*. Id est ad zonam torridam.

56. *Qua nebulæ, etc*. Ad zonam glacialem.

57. *Sed, etc*. Hæc tamen felicia Romanis fata denuntio, et prædico ea tantum conditione, etc.

58. *Nimium pii*. Nimio erga patriam suam amore capti.

59. *Rebus*. Secundis rebus; opibus, gloria. — *Avitæ*. Roma enim Trojanorum quasi colonia fuit

61. *Renascens, etc*. Ordo est, fortuna, seu infortunium Trojæ renascentis malis ominibus et raparatæ, iterabitur tristi clade. — *Alite*. Omine.

65. *Aheneus*. Firmissimus; quamvis ipso ex ære compactus.

66. *Auctore*. Structore, ædificante. — *Pereat*. Peribit, periret, rueret. — *Meis*. — Græcis enim præcipue favebat Juno.

69. *Jocosæ*. Lyricæ, quæ jocis et ludo gaudet.

70. *Pervicax*. Audax, proterva.

72. *Modis*. Cantibus.

ODE IV.

Ad Calliopem.

Musarum in se beneficia commemorat : iisdem acceptas refert Augusti victorias, quibus hostes reipublicæ, ut Jupiter Titanas, debellavit.

Descende cœlo, et dic, age, tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? Audire, et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ.
Me fabulosæ, Vulture in appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere; mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque, collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.

1. *Descende cœlo.* De Musis dicturus, earum principem invocat.

2. *Regina.* Vel eam, honoris tantum causa, sic nominat; vel, quia Musarum primaria esse dicitur.

4. *Citharaque Phœbi.* Phœbo consecrata.

5. *Auditis, etc.* O amici, nonne eam canentem auditis? An me furor poeticus grato errore decipit, etc.

6. *Pios.* Sacros, Musis consecratos.

8. *Et aquæ, etc.* Alluunt aquæ, perflant auræ.

9. *Me, etc.* Primum beneficium a Musis acceptum. —*Fabulosæ palumbes.* De quarum ministerio sæpe in fabulis fit mentio, vel quas fabula Veneri consecrat.

10. *Vulture.* Mons Apuliæ in Lucaniam procurrens. — *Altricis Apuliæ.* Terræ patriæ, id est Venusiæ, inter Apuliam et Lucaniam sitæ. — *Limen.* Intellige natalis soli terminos.

11. *Somno.* Somni amore; dormiendi desiderio, vexatum et oppressum.

13. *Mirum quod foret, etc.* Ita ut mirarentur omnes Acherontini, Bantini, et Ferentini, quo pacto dormirem tutus a viperis, etc.

14. *Acherontiæ.* Urbs exigua erat, in limite Apuliæ et Lucaniæ, in monte sita.

15. *Bantinos, etc.* Bantia, Ferentum, oppida erant in Apuliæ finibus. — *Humilis.* In valle positi.

18. *Ut premerer, etc.* Quod premerer lauro sacra, id est, lauro Apollini dicata, quæ quidem laurus præsagiebat eum futurum poetam.

19. *Collataque* Comparata, comportata a columbis.

20. *Non sine dis.* Certo deorum pa-

Vester, Camenæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Vestris amicum fontibus, et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbor,
Nec sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, et arentes arenas
Littoris assyrii viator :
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum :
Visam pharetratos Gelonos,
Et scythicum, inviolatus, amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis, almæ. Scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam

trocinio, Musas intelligit. — *Animosus.* impavidus, qui nihil a viperis et ursis timerem.

21. *Vester, etc.* Vestro patrocinio tutus.

23. *Supinum.* In declivi colle situm. — *Liquidæ.* Quas mare alluit, vel suis aquis calidis salubres.

25. *Vestris, etc.* Sententia est : me, quia eram amicus vestris fontibus et choris, non exstinxit acies Bruti et Cassii, ab Augusto fugata in campis philippicis; non arbos execranda, dirisque devota; non factum a me naufragium ad Palinurum, promontorium Lucaniæ, prope Siciliam.

26. *Philippis.* Philippi, urbs Thessaliæ, ad quam devicti anno U. C. 712 Brutus et Cassius.

27. *Devota.* Diris devota, exsecranda.

29. *Utcumque.* Ubicumque.

31. *Tentabo.* Visam, adibo — *Arentes arenas.* Campos arenosos et æstuantes, circa littus positos, arenosa deserta.

32. *Assyrii littoris.* Pro syrii.

33. *Britannos.* Anglos, qui tunc hospites suos immolabant superis.

34. *Lætum, etc. Concani*, gens quædam scythica; equorum sanguinem, lacti mixtum, adhibebant in potum, instar vini suavissimi.

35. *Gelonos* Erant Concanis et Scythis affines, boni jaculatores.

36. *Scythicum amnem.* Tanaïm (*le Don*), quo Europa ab Asia distinguitur, versus Scythas et septentrionem. — *Inviolatus.* Incolumis, salvus.

37. *Altum.* Ingentem, invictum. — *Simul.* Simul atque, postquam.

38. *Abdidit.* In hiberna misit.

40. *Pierio antro.* Pieria fuit Atticæ regio, Musis sacra : significat Cæsarem musis et versibus delectari.

41. *Lene consilium, etc.* Vos afflatis Cæsari clementiam et lenitatem; mitia illi consilia suggeritis et suggessisse gaudetis.

42. *Almæ.* Beneficæ, faciles, amicæ. — *Scimus.* Sententia videtur hæc esse : injecta est a Musis ea mens Cæsari, ut lenitate summa utatur adversus hostes : nam scimus et vidimus quam facile armatus eos vicerit, et vincere adhuc possit; ut scimus quam facile Jupiter Gigantes profligaverit. Comparat Brutum et Cassium, ceterosque conjuratos, cum Gigantibus : Augustum, cum Jove. — *Ut impios, etc.* Ordo est : scimus ut, id est, quemadmodum, qui terram et mare temperat et gubernat, divosque,

Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Pophyrion statu,
Quid Rhœcus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consilii expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
In majus: idem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges

mortalesque regit (nempe Jupiter, quem istis quatuor totis versibus describit) sustulerit fulmine impios Titanas.

44. *Caduco*. In Titanas cadente.

45. *Inertem*. Brutam, infimam.

46. *Regna tristia*. Inferos.

48. *Unus*. Solus Jupiter.

50. *Juventus*. Titanum: quos pro Gigantibus, eorum fratribus, ponit. — *Brachiis*. Erant enim centimani.

51. *Fratres*. Titanes, vel Gigantes. — *Tendentes, etc*. Contendentes, laborantes. — *Opaco*. Umbroso.

52. *Imposuisse*. Pro *imponere*, id est, molitos imponere. — *Pelion Olympo*. Montes sunt Thessaliæ.

53. *Typhoeus, etc*. Typhœus, Mimas, Porphyrion, Rhœcus, Enceladus, Gigantum sunt nomina.

54. *Statu*. Statura, habitu corporis.

55. *Evulsis truncis*. Arboribus eradicatis.

57. *Ægida*. Clypeum: de quo vide oden 12, lib. I.

58. *Hinc*. Ex parte Jovis. — *Avidus*. Epithetum ignis proprium.

60. *Nunquam, etc*. Qui semper arcum gestat; vel, certus arcum non deponere, donec profligati Gigantes perirent.

61. *Qui rore, etc* Apollo. *Castalia* fons est Parnassi, Musis sacer. — *Lavit*. Ab antiquo lavere, tertiæ conjugationis, pro lavare.

62. *Solutos*. Crines humeris sparsos. — *Lyciæ*. Est in Asia minori; ejus urbs præcipua Patara, ubi Apollo colebatur: hinc *Patareus* dicitur, quæ vox, in ultimo versu hujus strophæ posita, est trissyllaba.

63. *Natalemque silvam*. Deliam: natus est Apollo in Delo, insula maris ægæi.

65. *Vis, etc*. Vires prudentia destitutæ per se, nullo impellente, ruunt.

66. *Temperatam*. Clementia, et consilio. — *Provehunt in majus*. Augent.

68. *Omne nefas, etc*. Vires, quæ ad perficienda scelera conferuntur.

69. *Testis, etc*. Vera esse, quæ dixi, probant exempla eorum, qui jam olim impiæ temeritatis pœnas dederunt, ut Gyges, Orion, etc.

Sententiarum, notus et integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta.
Injecta monstris Terra dolet suis,
Mœretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos; amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

70. *Integræ*. Castæ, intactæ.

73. *Injecta*. Imposita. Jupiter enim montes, a Gigantibus vibratos, in eosdem retorsit, eosque illis obruit. — *Monstris suis*. Gigantibus ex se genitis. Erant enim Terræ filii.

75. *Nec peredit, etc.* Quamvis Ætna, injecta Encelado, ignes assidue vomat, non tamen illis ipsa consumitur, nec miserum Enceladum isto pondere levat.

77. *Incontinentis*. Scilicet in Latonam.

78. *Ales*. Vultur. — *Nequitiæ, etc.* Impudicitiæ: hominis impuri custos et tortor.

80. *Pirithoum*. Thesei amicum, qui cum eo adortus est rapere ex inferis Proserpinam; sed Pluto admonitus eos in vincula conjecit. Theseum tamen postea Hercules solvisse dicitur, manente in inferis Pirithoo.

ODE V.

Augustum laudat quod a Parthis Romanorum vexilla receperit. Invehitur in romanos milites, qui se Parthis olim dediderant: hinc sumit occasionem Reguli celebrandi.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium

1. *Cœlo, etc.* Quemadmodum, quando tonantem audimus Jovem, eum credimus regnare cœlo: ita, quum Augustum videmus Persas et Britannos adjecisse imperio romano, nemo dubitare poterit, quin revera deus sit, etiam præsens et vivens. Potest etiam ea vox, *præsens*, significare idem quod favens, propitius.

2. *Habebitur*. Id est, habendus erit, est censendus.

3. *Adjectis, etc.* Nec Persas Augustus, sive Parthos, nec Anglos per sese debellaverat; sed utrosque tantum nominis sui fama pacem petere coegerat: quum in utrosque tamen bellum apparaverit. Quam Augusti victoriam incruentam Horatius amplificat, exponendo gravitatem et ignominiam cladis olim a Parthis acceptæ.

5. *Milesne Crassi, etc.* Quis credat Crassi milites duxisse barbaras conjuges, et cum illis vivere potuisse? Crassus a Parthis cæsus fuit anno U. C. 702. Ejus milites, magnam partem capti, in Perside manserunt, ubi duxere persicas uxores. — *Conjuge*. Cum conjuge: vel, turpis maritus, ob barbaram conjugem.

6. *Turpis*. Erat enim turpe Romano barbaram, et captivo hostis filiam conjugem accipere. — *Et hostium, etc.* — Stipendia fecit in castris ipsorum Par-

(Proh curia, inversique mores!)
Consenuit socerorum in arvis,
Sub rege medo, Marsus et Appulus,
Anciliorum, et nominis, et togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove, et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, et exemplo trahentis
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. « Signa ego punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine cæde, dixit,
Derepta vidi : vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, et arva

thorum, usque ad senectutem. Est autem ordo : et Marsus, atque Apulus, oblitus anciliorum, nominis, et togæ, Jove incolumi et Roma, consenuit, sub rege Medo, in arvis hostium, socerorum suorum, nempe Parthorum, quorum filias duxerat.

7. *Proh curia*, *etc.* O dignitas et prudentia senatus romani! o morum antiquorum sanctitas! quantum eo tempore detrimentum accepistis! quam ab illis priscis mutati tunc eratis!

9. *Medo.* Partho. — *Marsus et Appulus.* Italiæ populi ac milites inprimis fortes et insignes ea tempestate.

10. *Anciliorum.* Erant ancilia clypeoli duodecim sacri. Eorum unus e cœlo decidisse ferebatur : editumque fuisse oraculum, fore ut tandiu Roma staret, quandiu ille servaretur. Is igitur ne facile surripi posset, ad ejus formam et modum alii undecim facti erant, qui in templo Martis servabantur. — *Nominis.* Romani. — *Togæ.* Toga Romanorum erat propria : unde illos *gentem togatam* Virgilius vocat, lib. I. *Æn.*

11. *Æternæ Vestæ.* Æterni ignis, qui in templo Vestæ servabatur, et nutriebatur a Vestalibus.

12. *Jove, etc.* Capitolio, ubi templum Jovis. Sententia est : fierine potuit ut Marsi et Appuli, egregii milites, obliti sint tam facile sui nominis, vestis, urbis, idque stante et florente Roma et Capitolio? Itane se turpiter hosti dedisse?

13. *Hoc caverat*, *etc.* Id prospexerat Regulus, ac impedire conatus erat, ne scilicet reperirentur tam ignavi milites, qui idem facerent aliquando, quod isti Crassiani; nempe dum auctor fuit ne redimerentur captivi, sed perirent potius apud Carthaginienses; ceterique, eo exemplo territi, fortiter mori in acie, quam capi turpiter mallent. — *Reguli.* M. Attilius Regulus floruit circa an. U. C. 500. Is, captus a Carthaginiensibus, ne milites romani in pugna capti redimerentur vetuit.

14. *Dissentientis, etc.* Repudiantis fœdas conditiones. Ea conditio proponebatur a Pœnis, ut redderent Romanos captivos, ac suos vicissim ipsi, facta permutatione, reciperent.

15. *Et exemplo, etc.* Aversantis rem fœdam et pessimi exempli quod traheret perniciem, id est quod in posterum tempus exitiale futurum esset reipublicæ, occasionem dando militibus pugnandi segnius, ea spe, fore ut redimerentur.

17. *Immiserabilis.* Cujus nemo misereresceret.

18. *Captiva, etc.* Juvenes Romani, a Pœnis capti. — *Signa.* Vexilla nostra. — *Ego, etc.* Oratio Reguli in senatu.

20. *Sine cæde.* Nostris militibus erepta, sine vulnere, et pugna.

22. *Retorta, etc.* Vidi cives nostros et milites, qui antea erant liberi, quorum præcipua laus et gloria libertas esse debuit, retortis in tergum manibus ligatos, instar servorum.

23. *Non clausas.* Quæ res indicat quam securi sint Pœni, qui portas urbium suarum apertas et patentes habeant, qui colant arva, prius a nobis populata bello et vastata.

Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit! flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum;
Donec labantes consilio patres

25. *Repensus, etc.* Redemptus. An creditis militem redemptum pugnaturum acrius? generosiorem ad bellum rediturum? Non ita est, erit ille segnior, et additis flagitio quod admisit, dum se capi passus est turpiter, damnum quod ignave pugnando afferret reipublicæ: vel, damnum pecuniæ, quæ peribit ignavum redimendo.

27. *Neque amissos, etc.* Ut lana candidum et nativum colorem, quem amisit fuco medicata, id est tincta, nunquam refert postea, hoc est, repræsentat, resumit, sed semper illum posteriorem retinet; sic animus iners et timidus, ignavia semel imbutus, amissam fortitudinem (quam veram virtutem vates hic appellat) non recipit, semper ignavus restat.

28. *Fuco.* Est fucus herba marina, cujus succo lana, purpura tingenda, primum imbui solebat, ut sic tam accipiendo quam firmiter tenendo colori purpureo præpararetur.

30. *Curat.* Solet, amat. — *Reponi.* Restitui, redire. — *Deterioribus.* Ignavis, victis: est in dandi casu.

31. *Si pugnat, etc.* Ironice hæc omnia dicuntur; estque hic sensus: ut cerva, retibus semel extricata, non pugnat; sic emissus e servitutis vinculis captivus non potest rem strenue in bello gerere. — *Extricata.* Expedita, liberata.

32. *Plagis.* Retibus arctioribus.

33. *Credidit.* Permisit, dedidit.

34. *Marte.* Prœlio.

35. *Lora.* Vincula.

36. *Iners.* Ignavus.

37. *Hic, etc.* Captivus ille ignavus, nesciens vitam ac salutem non esse precibus aut fuga quærendam, sed manu et victoria retinendam in ipsa acie, quum pugnandum foret, pacem ac vitam ab hoste petere maluit; resque disjunctissimas ita confudit ac miscuit, pacem et duellum, id est, bellum.

40. *Altior.* Nobilior turpibus Italiæ ruinis.

41. *Fertur.* Dicitur Regulus.

42. *Capitis minor.* Caput apud Romanos statum significabat, qui perfectus erat, quum quis et liber et civis esset: si alterutrum, id est, aut libertatem, aut jus civitatis amitteret, minui capite, minor esse capite, vel capitis, dicebatur.

43. *Virilem, etc.* Immobilem suorum lacrimis, civium precibus, etc.

44. *Posuisse.* Fixisse.

45. *Labantes.* Dubitantes. — *Consilio.* Ut nullus captivorum, ac ne ipse quidem, redimeretur.

Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet : non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia,
Dijudicata lite, relinqueret,
Tendens venafranos in agros,
Aut lacedæmonium Tarentum.

46. *Firmaret*. Persuaderet; a dubitatione in certam, et suam sententiam adduceret. — *Auctor*. Auctor appellatur is qui aliquid suadet, consulit, præstat, et in se recipit.

49. *Atqui*. Attamen.

50. *Tortor*. Pœni crudeles, qui eum, ut traditur, maximis suppliciis et tormentis affecerunt et necaverunt.

51. *Dimovit*. Repulit : viam sibi per obstantes aperuit. — *Obstantes*. Obsistentes, ne ad hostes rediret.

54. *Dijudicata*. Causa tandem, quam non sine magna molestia pro suis clientibus defendendam patronus susceperat, dijudicata.

55. *Tendens*, *etc*. Ad oblectationem et rusticationem scilicet. — *Venafranos in agros*. In Campania sitos, pro quoque alia amœniore regione.

ODE VI.

Romanorum sui temporis vitia detestatur : priscorum mores celebrat.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes deorum, et
Fœda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas :
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Jam bis Monæses, et Pacori manus,
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.

1. *Delicta majorum*, *etc*. Ob majorum flagitia, dabis pœnas, licet eorum scelera non admiseris.

4. *Fumo*. Quo templa olim incensa fuere et deformata.

5. *Imperas*. Orbis imperium obtines, quia deos pie colis, iis inferiorem te fateris.

6. *Hinc*, *etc*. A diis, et eorum cultu, initium ducito rerum omnium agendarum ; huc, id est, ad eosdem, refer.

7. *Di neglecti*. Dii negligenter culti.

9. *Monæses*. Parthorum dux, qui regi suo Phraati infensus, contulit se ad M. Antonium, eique auctor fuit belli contra Parthos suscipiendi ; sed postea, Phraati reconciliatus, diras clades Romanis intulit. — *Pacori manus*. Exercitus Pacori, qui Orodis, regis Parthorum, filius fuit.

10. *Non auspicatos*. Auspiciis neglectis, aut vitiose sumptis, factos.

11. *Adjecisse*, *etc*. Gestit, triumphat, quod suos torques ampliores et ornatiores fecerit, adjecto auro, gemmisque et cetera, quam nobis eripuerunt, præda.

Pæne occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Æthiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere, et genus et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet ionicos
Matura virgo, et fingitur artubus:
Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine punico,
Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum;
Sed rusticorum mascula militum
Proles, sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severæ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

13. *Seditionibus*. Bellis civilibus, et privatis dissidiis.

14. *Dacus*. Populus Europæ septentrionalis. — *Æthiops*. Populus Africæ, qui Antonio contra Augustum pugnanti favit, ut ipsi etiam Daci.

15. *Hic*. Æthiopes, sive Ægyptii, qui Antonio classem et maritimum exercitum paraverant. — *Ille*. Dacus.

17. *Fecunda culpæ*. Ætas vitiorum ferax. — *Nuptias*. Matrimoniorum jura et sanctitatem.

18. *Genus*. Liberos. — *Domos*. Familiarum propaginem, nepotes.

19. *Hoc fonte, etc*. Ex hac nequitia ortæ sunt clades publicæ.

21. *Motus*. Moveri, pro saltare, Latini dicunt. — *Ionicos*. Lascivos.

22. *Matura*. Nubilis, adulta. — *Artubus*. Fingit pedes ad istos motus, et componit. Alii legunt *artibus*, id est, per has artes quæ molliunt animum.

24. *De tenero ungui*. A puero, ab ipsa jam pueritia.

25. *Non his, etc*. Impiis, mollibus et effeminatis.

27. *Pyrrhum*. Regem Epirotarum, victum a Fabricio et Curio.

28. *Antiochum*. Regem Syriæ, quem vicit Lucius Scipio, anno U. C. 567.

30. *Sabellis*. Sabinis.

31. *Versare glebas*. Arare. — *Severæ*. Quam verebantur.

33. *Portare*. Domum ex agro. — *Fustes*. Ligna. — *Sol ubi, etc*. Vesperi, cadente sole, qui umbras montium projicit in aliam partem, atque illam, in quam oriens eas projiciebat.

35. *Amicum*. Gratum agricolis, ob noctem et quietem.

37. *Damnosa*. Quæ omnia consumit. — *Imminuit*. Deterit, corrumpit. — *Dies*. Temporis diuturnitas.

38. *Ætas, etc*. Gradatio pulcherrima: nostri parentes erant avis nequiores, nos parentibus sumus, nostri liberi nobis erunt.

39. *Mox*. Id est, paulo post.

ODE VII.

Ad Mæcenatem.

Eum ad sacrificium et epulas, data occasione, invitat.

Martiis cælebs quid agam kalendis,
Quid velint flores, et acerra turis
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguæ.
Voveram dulces epulas, et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus,
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphoræ, fumum bibere institutæ
Consule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici
Sospitis centum; et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.
Mitte civiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen;
Medus, infestus sibi, luctuosis

1. *Martiis, etc.* Martiis kalendis solebant matronæ sacrificia Junoni eximio apparatu facere, ip arum vero mariti Jano, qui suis etiam uxoribus munera tunc floresque missitabant. — *Docte sermones, etc.* O Mæcenas, qui latinam et græcam linguam egregie doctus es, qui utramque præclare calles, miraris quid agam, quid mihi velim cum isto sacrificio, etc.

2. *Acerra.* Turis vasculum.

4. *Cespite* Ara graminea, id est, facta e congesto cespite viridi.

6. *Voveram.* En causa sacrificii quod Horatius faciebat, istis martiis ka'endis. — *Album.* Hostiæ candidæ diis superis immolabantur, atræ inferis.

7. *Libero.* Baccho, cujus in tutela sunt poetæ. — *Caprum.* Vites arrodere caper solet: hinc Baccho immolabatur. — *Prope funeratus.* Prope morti datus, casu arboris in suum caput procumbentis.

9. *Anno redeunte.* Anno vertente, id est, singulis annis. — *Festus.* Ob memoriam accepti a Baccho, qui me servavit, beneficii.

10. *Corticem.* Quo obstructa est et clausa vini amphora: suber adhibebatur vulgo. — *Dimovebit.* Relinet, tollet.

11. *Fumum, etc.* Quæ amphora mea instituta est, id est, cœpit fumum bibere; in horreo, seu camino, posita est, ut crudus austerioris vini succus fumo mitesceret, ab eo tempore quo Tullus consul est factus. Volcatius Tullus gessit consulatum annis U. C. 688 et 721.

13. *Sume, etc.* Invitat illum ad epulas.

14. *Sospitis, etc.* In gratiam amici gravissimo periculo liberati.

15. *Perfer.* Protrahe, producito.

16. *Clamor.* Quo sæpe compotores debacchantur.

17. *Mitte.* Omitte. — *Civiles.* Quas sumis pro civium incolumitate.

18. *Cotisonis.* Dux erat Dacorum, sive Getarum, partes Antonii contra Augustum secutus.

19. *Infestus, etc.* Sibi exitiales ipsis, sibi ipsis invicem infensi.

Dissidet armis :
Servit hispanæ vetus hostis oræ,
Cantaber, sera domitus catena :
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere ;
Dona præsentis rape lætus horæ, et
Linque severa.

22. *Cantaber*. Domiti fuerunt penitus Cantabri anno U. C. 736, quum per annos ferme ducentos bella cum Romanis gessissent.
23. *Laxo*. Laxato, et inutili.
24. *Cedere campis*. Ex Armenia discedere.
25. *Negligens, etc*. Quum jam securus sis, ne nimium caveas ne quid detrimenti respublica capiat, factus hodie privatus et meus conviva.
27. *Dona, etc*. Vitam, valetudinem, epulas.
28. *Severa*. Seria, curas.

ODE VIII.

Ad Mercurium.

Mercurium, ac suam testudinem rogat, ut Lyden sibi placatam reddant. Danaidum apud inferos supplicium, et causam ejus narrat.

Mercuri (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo),
Tuque, testudo, resonare septem
Callida nervis,
(Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis),
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Tu potes tigres, comitesque silvas
Ducere, et rivos celeres morari :
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ,

1. *Te docilis magistro*. Eductus a te magistro.
2. *Amphion*. Jovis et Antiopes filius, urbis thebanæ muros, saxis ad lyræ sonum sua sponte se componentibus, exstruxit.
3. *Testudo*. Lyram invenit Mercurius, eamque primo compegit, e testudinis tergo et tegmine, quod cavum est, additis septem chordis, etc.
4. *Callida*. Perita.
5. *Nec loquax, etc*. Quæ non eras apta ad canendum, prius quam te Mercurius fidibus instruxisset.
6. *Templis*. Ubi deorum laudes canuntur.
7. *Dic modos, etc*. O Mercuri, o testudo, seu lyra mea, doce me carmina, quæ Lyde libenter audiat.
9. *Tu potes, etc*. Suam lyram alloquitur.
10. *Ducere*. Ut fecit Orpheus. — *Morari*. Moram injicere, tardare.
11. *Blandienti*. Tibi blande sonanti; tuorum modulorum blanditiis.
12. *Aulæ immanis*. Inferorum : quum idem Orpheus descendisset ad inferos, Eurydicen repetiturus.

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito; stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco.
Impiæ (nam quid potuere majus?),
Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro!
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum:
« Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
Falle sorores;
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu! lacerant; ego, illis

13. *Furiale*. Anguibus hirsutum, ut caput Furiarum.

15. *Spiritus*. Anhelitus. — *Sanies*. Tabum, venenum.

17. *Ixion*. Is, ob suam impietatem, dejectus in inferos fuit, et rotæ, quæ perpetuo circumagitur, affixus.

18. *Risit*. Propter lyræ cantusque dulcedinem. — *Invito*. Propter pœnarum, quibus interim cruciabatur, acerbitatem. — *Urna, etc*. Urnæ Danaidum, quibus aquam haustam in dolium pertusum et rimosum infundunt, siccæ aliquandiu manserunt, illis te audientibus et laborem omittentibus.

20. *Mulces*. Orpheo canente.

22. *Virginum*. Danaidum : sic vocantur a patre Danao, Argivorum rege : appellantur etiam Belides, ab avo suo Belo. — *Et inane, etc*. Ordo est : et audiat dolium inane lymphæ pereuntis, seu effluentis in imo ejusdem dolii fundo, pertuso scilicet. — *Inane lymphæ*. Pro, vacuum aqua, nunquam aqua plenum.

24. *Fata*. Pœnas a fatis destinatas. *Sera* vocat, quia nullo exitu terminanda sunt.

25. *Manent culpas*. Quæ fata, quæ pœnæ reos exspectant, sceleribus destinatæ sunt.

26. *Majus*. Crudelius ; subaudi facere.

27. *Duro*. Crudeli.

29. *Una de multis*. Hypermnestra, ex quinquaginta sororibus sola. — *Face, etc*. Digna honore matrimonii.

30. *Perjurum*. Quia Danaus, Danaidum parens, promiserat suarum filiarum sponsis omnia læta et fortunata.

31. *Splendide*. Gloriose, pulchre. — *Mendax*. Pollicita erat suo parenti se sponsum necaturam.

33. *Marito*. Lynceus vocabatur.

34. *Longus somnus*. Mors.

35. *Unde non times*. Ab ea manu, quæ tibi suspecta non est. — *Socerum*. Danaum.

36. *Falle*. Effuge, late. — *Sorores*. Meas.

37. *Velut, etc*. Tanquam leænæ vitulos, quos invenere, contrucidant.

38. *Singulos*. Suos singulæ maritos, suum unaquæque.

Mollior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.
Me pater sævis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget:
I, pedes quo te rapiunt et auræ,
Dum favet nox et Venus: i, secundo
Omine, et nostri memorem sepulcro
Sculpe querelam. »

39. *Mollior*. Clementior, humanior.

40. *Intra claustra tenebo*. Intra thalamum retinebo : nam mox tibi mortem sorores inferent.

43. *Numidarum*. In Africa.

44. *Classe*. Navi. — *Releget*. In exsilium mittat.

45. *Et auræ*. Et venti; id est, ad navem festina.

46. *Venus*. Ob meum in te amorem, et pietatem. — *Secundo*. Fausto.

47. *Et nostri, etc*. Quum ego mortua fuero, tu meo sepulcro insculpe carmen lugubre, quo significes te nostri, te mei amoris, et vitæ meo beneficio acceptæ, meminisse.

ODE IX.

Ad fontem Bandusium.

Fonti Bandusiæ sacrificium, et a versibus suis nobilitatem promittit.

O fons Bandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et Venerem et prælia destinat
Frustra; nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos,
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris

1. *Bandusiæ*. Erat ille fons, prope villam Horatii in agro sabino. — *Vitro*. Crystallo pellucidior.

2. *Digne mero, etc*. Qui dignus es, cui fiat sacrificium, fontium numini fieri solitum, sparsis floribus, et mero.

3. *Hœdo*. Qui tibi immolabitur, seu numini, quod tibi præsidet. Sua enim esse singulis fontibus credebant numina : unde sacri sæpe fontes appellantur.

5. *Primis*. Recentibus, primum emergentibus.—*Prælia*. Solent hœdi adversis cornibus inter se pugnare. — *Destinat*. Frons illi destinat, id est, qui hœdus, sentiens erumpere sibi cornua, jam se accingit ad prælia, sed frustra, nam, etc.

6. *Tibi*. In honorem tuum, tibi immolatus. — *Inficiet*. Tinget.

8. *Soboles gregis lascivi*. Hœdus ille. Capra est animal lascivum.

9 *Atrox hora*. Calida tempestas, æstivum tempus, quo sævire Canicula solet. *Canicula* est sidus, quo circa medium Julium exoriente, maximi calores excitantur.

10. *Nescit*. Nequit.

Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

12. *Præbes, etc.* Tu frigus suppeditas pecori sitibundo delectabile, propter aquæ potum. — *Vago.* Erranti, pascenti.

13. *Fontium.* Subaudi, unus : græca locutio.

14. *Me dicente, etc.* Quum ego laudabo quercum, quæ imminet rupi, e qua fluis.

15. *Unde.* Quibus e saxis.

16. *Desiliunt.* Defluunt, decurrunt.

ODE X.

Ad Romanos.

Augusti reditum ex Hispania, post cantabricum bellum, celebrat.

Herculis ritu, modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar hispana repetit penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata divis;
Et soror clari ducis, et decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri, et puellæ
Jam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies, vere mihi festus, atras
Eximet curas : ego nec tumultum,

1. *Herculis, etc.* Ordo est : o plebs, o Quirites, Cæsar Augustus, qui nuper vobis dictus est laurum et victoriam de Cantabris morte venalem petiisse, instar Herculis, repetit victor domum ab Hispania. — *Ritu.* More et exemplo Herculis : quia Hercules olim, in eadem Hispania versatus, multos labores et vitæ pericula adierat.

2. *Morte, etc.* Victoriam sanguine, et periculo sui capitis emendam.

3. *Penates.* Erant dii domestici; pro ipsa domo ponuntur.

4. *Victor.* De Cantabris.

5. *Unico, etc.* Livia, quæ marito unice gaudet.

6. *Operata.* Vota pro salute mariti suscepta nunc sacro faciendo exsolvat. — *Justis.* Quod reditum Augusto merenti annuerint.

7. *Soror.* Octavia, soror Augusti. — *Decoræ, etc.* Solebant, in publicis supplicationibus, caput et manus tæniolis quibusdam sacris adoperire.

9. *Juvenum.* Redux exercitus una cum Augusto.

10. *Vos, o pueri, etc.* Vos ipsi, o juvenes mariti, et nuptæ puellæ, ne amplius jacite male ominata ista verba, quibus ruptum iri tristi bello vestrum conjugium augurabamini.

13. *Atras curas.* Tristes curas, quæ atram bilem excitare valeant.

14. *Tumultum.* Civile bellum hoc nomine proprie intelligitur.

Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.
Dic et argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem :
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
Litium et rixæ cupidos protervæ:
Non ego hoc ferrem, calidus juventa,
Consule Planco.

15. *Per vim*. Per externum, et hostile bellum. — *Tenente*. Regente.

17. *Pete*. Para, affer. — *Puer*. Servum alloquitur. — *Coronas*. Coronati floribus, et unguentis delibuti, accumbebant.

18. *Cadum, etc*. Cujus vinum conditum sit, bello marso, seu marsico. Porro bellum illud vocatum etiam fuit sociale; quia fuerat conflatum a sociis Italiæ populis et fœderatis, qui, quum jus civitatis sibi promissum obtinere non possent, arma ceperunt. Hos inter quia præcipui Marsi erant, marsicum est vocatum. Incidit in annum U. C. 663. — *Duelli*. Belli. — *Memorem*. Quia mos erat Romanis cado inscribere quo anno vinum fuerat infusum.

19. *Spartacum, etc*. Si qua ratione testa potuit fallere, id est, latere Spartacum vagantem tota Italia, et eam devastantem. Fuit Spartacus gladiator, qui servos et gladiatores in rempublicam armavit, bellumque servile conflavit, anno U. C. 681.

20. *Testa*. Amphora, cadus fictilis.

21. *Argutæ*. Scite et eleganter canenti. Erat fidicina, quales sæpe in conviviis adhibebant : eam Horatius per servulum accersiri jubet.

Myrrheum. Myrrheo unguento nitentem. — *Cohibere*. Religare, colligere.

23. *Si per janitorem, etc*. Si non statim a janitore admittaris.— *Invisum*. Difficilem nempe.

25. *Lenit, etc*. Ordo et sensus est : *capillus albescens*, id est ætas jam in senectutem vergens, lenit, temperat animos meos, hoc est, iracundiam rixæ amantem.

27. *Non ego, etc*. Repulsam a janitore non tulissem. — *Calidus juventa*. Ob juventutem calidior, atque iracundiæ minus potens.

28. *Planco*. Consul fuit anno U. C. 711, quo anno Horatius natus erat annos admodum 24.

ODE XI.

Ad Mæcenatem.

Aurum vincit ac perrumpit omnia. Nihil cupere, parvo contentum esse, summa felicitatis est.

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustæque fores, et vigilum canum

1. *Danaen*. Erat Acrisii filia, regis Argivorum. Audierat Acrisius se a nepote vita et solio privatum iri : quare filiam, ne quis ex ea nasceretur, ahenea turri incluserat. Jupiter, in pluviam aureum conversus, Perseum ex ea suscepit, a quo Acrisius inconsulto et temere disci jactu occisus esse traditur.

2. *Robustæ*. E trabibus roboreis confectæ, id est, firmæ.

Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris :
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent : fore enim tutum iter et patens,
Converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio : diffidit urbium
Portas vir macedo, et subruit æmulos
Reges muneribus : munera navium
Sævos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Mæcenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptæ dominus splendidior rei,

3. *Tristes*. Metuendæ. — *Munierant satis*. Satis munivissent, tutam præstitura fuissent, nisi, etc.

7. *Fore enim, etc.* Subaudi, sciebant, et aiebant.

8. *In pretium*. In aurum.—*Deo*. Jovi.

10. *Amat*. Solet. — *Saxa*. Arces, oppida munitissima.

11. *Auguris, etc.* Amphiarai familia : qui, quum (ut erat augur optimus) intellexisset periturum se in bello thebano, quod agitabant Polynices, et Adrastus, cujus sororem Eriphylen Amphiaraus duxerat, adduci non poterat, ut ad illud proficisceretur, donec Adrastus monile auro et gemmis præstans Eriphylæ dedit; quo illecta, persuasit viro ut bellum peteret : in quo ipse, terra discedente, haustus est. Eriphyle subinde fuit ab Alcmæone filio interempta, Alcmæon ab Adrasto et Polynice; Amphilochus etiam, Alcmæonis frater, in bello thebano periit. Ita ob unius mulieris avaritiam tota domus Amphiarai exitio demersa est, id est, exstincta, eversa.

13. *Diffidit*. Perfregit, expugnavit. Arietis et tormenti muralis loco ei munera fuere.

14. *Vir macedo*. Philippus, Alexandri pater, Macedoniæ rex.

15. *Navium duces*. Gubernatores.

16. *Illaqueant*. Corrumpunt.

17. *Cura*. Servandæ pecuniæ, metus amittendæ.

18. *Majorumque fames*. Majorum opum, majoris pecuniæ cupiditas.—*Jure, etc.* O Mæcenas, qui equitum et equestris ordinis (in eo enim ille constiterat præ modestia) decus es, ego jure pertimui magnas opes possidere, et honores; ceteris eminere nolui.

21. *Plura negaverit*. Cupiditati suæ, et avaritiæ detraxerit.

22. *Feret*. Obtinebit, a diis scilicet.

23. *Castra peto*. Metaphora ducitur a re bellica : ego partes relinquo avarorum, et amplector partes illorum, qui nihil desiderant, pauper, et nihil ipse possidens aut cupiens, præter id quod satis est. — *Transfuga*. Tanquam transfuga et fugitivus.

25. *Contemptæ dominus, etc.* Multo majori mihi cedit honori, quod rem tenuem et ab aliis contemptam meo imperio subjicere didici, quam si res ampla me suo subjiceret imperio; id est, tenuitate mea contentus longe beatior sum divite, qui magnas inter opes multa adhuc desiderat et suis abstinet.

Quam si, quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit, sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec læstrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia gallicis
Crescunt vellera pascuis;
Importuna tamen pauperies abest;
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si mygdoniis regnum Alyattici
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa : bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

26. *Appulus*. Apuliæ solum ferax, et agricolæ laboriosi erant.

27. *Occultare*. Habere reconditum.

30. *Certa fides*. Fundus fidelis, reddens semper cum fenore sementem commissam.

31. *Fulgentem, etc.* Phrasis græca est : ita est ordinanda : rivus aquæ puræ, silva paucis constans jugeribus, et prædium non mendax, *fallit*, id est, latet, eum qui fulget Africæ imperio, hoc est, imperatorem, regem Africæ; latet, inquam, illum, ab eo ignoratur esse hic rivus, hæc silvula mea, beatior sorte ac opibus suis, et regum omnium. Nescit Africæ rex exiguas meas opes, rivum et silvulam, esse feliciorem sorte sua, regiis opibus suis.

33. *Calabræ*. Calabria pars est extrema Italiæ, prope Siciliam, ubi mel optimum. — *Ferunt*. Scilicet mihi.

34. *Læstrygonia*. Formiana. Formiæ, oppidum est Campaniæ Italæ, ad quod olim Læstrygones, Siciliæ populi, commigrarunt : in ejus agro vites optimæ, ut flores et mel in Calabria.

35. *Languescit*. Senescit, mitescit. —*Pinguia*. Fecunda. —*Gallicis*. Nempe in Gallia cisalpina, ad Padum, ubi læta pascua.

37. *Importuna*. Pauperies molesta, aspera, et extrema, in qua nulla est requies.

39. *Contracto, etc.* Imminuto, refrenato amore divitiarum.

40. *Vectigalia, etc.* Extendam proventus meos latius, et agros, si nihil cupiam, quam si, etc. Nam qui nihil cupit ditior est, quam qui, multa quum habeat, plura cupit. Vectigal porro sæpe sumitur pro fundo et prædio. Vel, vectigalia facilius pendam.

41. *Mygdoniis*. Phrygiis. Mygdon fuit rex Phrygiæ, in Asia. — *Alyattici*. Crœsi, qui filius fuit Alyattis, et rex Lydiæ ditissimus.

42 *Continuem*. Continuatum, et aliis adjectum, possideam.

43. *Bene est, etc.* Illi bene est, cum illo præclare agitur, cui, etc.

ODE XII.

Ad Ælium Lamiam.

Illum hortatur ad diem crastinum, qui ater procellosusque fore videbatur, hilare, porcello veru tosto, transigendum.

Æli, vetusto nobilis ab Lamo,
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, et innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim,
Late tyrannus: cras foliis nemus
Multis, et alga littus inutili,
Demissa tempestas ab Euro
Sternet; aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum: cras genium mero
Curabis, et porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

2. *Quando*. Siquidem. — *Hinc*. Ab isto vetusto Lamo, Læstrygonum rege, Formiarum conditore.

4. *Fastos*. Fasti erant libri et tabulæ publicæ, in quas referebatur quid quoque die gestum esset ad rempublicam spectans, virorum principum nomina, res gestæ, etc.

5. *Auctore*. Familiæ principe.

7. *Princeps*. Primus. — *Innantem, etc.* Qui dicitur tenuisse, id est, obtinuisse, possedisse Formias, et Lirim fluvium, qui innatat Maricæ littoribus, id est, qui agrum minturnensem transit, ubi nympha Marica, Fauni uxor, ut dea tutelaris colitur.

9. *Late tyrannus*. Late rex, amplam ditionem obtinens. — *Cras foliis, etc.* Cras, si fides habenda est cornicis augurio, tam in silvis quam in mari tempestas sæviet.

10. *Inutili*. Hinc proverbium, *alga vilius*, de re inutili.

13. *Annosa*. Plures enim hominum ætates cornicem vivere traditur. — *Cornix*. Virg. I. *Georg. Cornix rauca pluviam vocat improba voce.* — *Dum potes*. Nempe antequam imbre et tempestate madefiat lignum.

14. *Compone* Collige. — *Genium curabis*. Genio et epulis indulgebis.

15. *Porco*. Immolabatur porcus Lari et genio.

16. *Operum*. Genitivus, græco more, pro ablativo. — *Solutis*. Qui propter tempestatem, labore et opere soluti erunt, vacabunt ab opere rustico.

ODE XIII.

Ad Faunum.

Hunc deum precatur, ut agro pecorique sit innoxius.

Faune, nympharum fugientum amator,
Per meos fines, et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis:
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi nonæ redeunt decembres;
Festus in pratis vocat otioso
Cum bove pagus.
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

2. *Meos*. In agro sabino villam habebat.

3. *Abeasque*. Faunus, idem qui Pan, partem anni degere dicebatur in Arcadia sua, partem in Italia.

4. *Æquus*. Mitis, innoxius. — *Alumnis*. Ovium, et aliis id genus fetibus, qui aluntur in villa: ruris vernulis.

5. *Cadit*. Tibi a me sacrificatur. — *Pleno*. Exacto, absoluto.

7. *Crateræ*. *Cratera sodalis*, id est, socia et amica Veneris. — *Vetus*. Ara per multos jam annos tibi instituta.

8. *Odore*. Ture.

10. *Nonæ*. Die 5 decembris fiebat sacrificium istud Fauno.

11. *Festus*, *etc*. Pagus tua festa celebrans vacat ab opere.

13. *Inter*, *etc*. Ita freti sunt præsidio tuo agni, ut lupos non curent, interque ipsos lupi errent sine fraude.

14. *Spargit*, *etc*. Silvæ spoliant se frondibus, ut tibi humum sternant foliis suis, et sic abeuntem cohonestent et colant.

15. *Invisam*. Invisam vocat, quia in ea colenda et exercenda sudat. — *Fossor*. Vinitor, colonus. — *Pepulisse*. Saltando ad numerum.

ODE XIV.

Ad Telephum.

Illum hortatur ut, omissis litteris et historiis, de vita jucunda cogitet.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,

1. *Distet* Quanto post tempore vixerit. *Inachus* Argivorum regno initium dedit, circa annum mundi 2197. *Codrus*, Atheniensium rex ultimus, circa 2980. Is pro patria se devovit in bello quod inter Dorienses et Athenienses ---

Narras, et genus Æaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo chium pretio cadum
Mercemur; quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, et quota,
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet supra,
Rixarum metuens, tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat. Cur berecyntiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina, seni non habilis Lyco.

3. *Æaci*. Fuit Æacus Jovis filius, Pelei pater, Achillis avus.

4. *Ilio*. Troja, sic dicta ab Ilo, trojano rege. *Sacrum* dicitur ob templorum in ea urbe celebritatem ac multitudinem; vel quia Neptunus et Apollo ejus mœnia condiderant.

5. *Chium*. Chios insula est maris ægæi, inter Samum et Lesbum, vino suo inclyta.

6. *Aquam*. Balnei, quo utebantur ante cœnam. — *Temperet*. Tepidam faciat.

8. *Quo præbente, etc*. Cujus in domo, quota hora, mensæ accumbam, ad focum, et propulsem hibernum frigus: quod *Pelignum* vocat, ab regione Pelignorum, nota Horatio, quia Peligni erant vicini Sabinis; eorum regio, propter montes, frigida. — *Taces*. Non me doces.

9. *Da*. Vocat servum, et quasi arrepto calice, infundi sibi jubet.—*Lunæ novæ*. Per lunam novam, quidam suspicantur lunam vesperi surgentem indicari; ut ver novum dicitur, quod incipit, et sol novus, sol oriens. Alii per lunam novam, intelligunt crescentem, nondum plenam.

10. *Auguris Murenæ*. Ille Mæcenatis sororis frater fuit. Augures ex avium cantu, pastu, volatu, futura prædicebant, ac deorum voluntatem renuntiabant.

11. *Tribus aut, etc*. Id est, commode, convenienter Musis, aut Gratiis bibitur, quum tria pocula ebibuntur, vel quum novem. *Pocula* erant vasa majora, e quibus vinum propinabatur, et cum aqua miscebatur in cyathis, qui erant minora vasa, seu pateræ.

13. *Impares*. Novem.

14. *Ternos ter, etc*. Novies bibet. — *Attonitus*. Non jam sui compos, furore percitus.

17. *Nudis*. Nudæ idcirco finguntur Gratiæ, quia sine fuco esse debent.

18. *Insanire juvat*. Citra modum et liberalius bibere certum est. — *Berecyntiæ*. Phrygiæ, a monte Berecynto in Phrygia, ubi præcipue in Cybeles sacris tibiæ usus fuit.

20. *Pendet*. E pariete.

21. *Parcentes, etc*. Avaras, parcas.

23. *Dementem*. Inconditum, vehementem, ut ab ebriosis tollitur. — *Lycus*. Vicinus aliquis, Horatio infensus.

24. *Vicina*. Uxor Lyci; cujus mores discrepant a mariti moribus, quæ cum marito non convenit.

ODE XV.

Ad amphoram.

Eam hortatur, ut, in Corvini gratiam, vinum vetustum, cujus laudes prosequitur, depromat.

O nata mecum, consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:
Quocumque lectum nomine massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas et arcanum jocoso
Consilium retegis lyæo:
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque; et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi

1. *O nata, etc.* Nata dicitur amphora, quo tempore impleta vino fuit; nempe eodem anno, et consule, quo natus erat Horatius, urbis 689, L. Manlio Torquato et L. Aurelio Cotta consulibus.

2. *Geris.* Quasi gravida esset amphora querelis, jocis, somno; quia hæc omnia parturire vinum solet.

4. *Pia.* Vox amorem et venerationem sonans.

5. *Quocumque, etc.* Quacumque de causa, in quemcumque usum, servas vinum lectum, electum, eximium. — *Massicum.* Est mons in Campania, unde vinum optimum.

6. *Moveri.* Ut res sacra; ex apotheca deripi et proferri. — *Bono die.* Quo vel Corvinus consul creatus erat, anno U. C. 722, aut triumphum de Gallis idem retulerat, anno 736.

7. *Descende.* Ex apotheca. — *Corvino.* M. Valerio Messala Corvino, qui et consulatum gessit, et de Gallia triumphavit. — *Jubente.* Quia forte se ad cœnam ipse invitaverat apud Horatium.

8. *Promere.* Scilicet me. — *Languidiora.* Vetusta, et proinde mitiora.

9. *Socraticis, etc.* Etsi Corvinus austeriori philosophia totus imbutus sit, non erit ille tamen adeo tetricus et austerus, ut te negligat ac respuat. — *Madet.* Imbutus est ad plenum delibutus.

11. *Catonis.* Censorii, qui, Plutarcho teste, moderatas epulas non spernebat. *Priscus* vocatur, sive senior; nam Cato Uticensis erat illius nepos: Catonis virtus, pro Catone virtute prædito.

13. *Tu lene, etc.* Tu expugnas severitatem ac duritiem ingenii asperioris.

14. *Tu curas, etc.* Tu graviores sapientium cogitationes evellis, et altis latentia mentibus consilia aperis, et in lucem profers.

18. *Cornua.* Vires, audaciam.

19. *Post te.* Scilicet, post te haustam; munere tuo recreatus.

Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et si læta aderit Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

20. *Apices*. Diademata, potestatem et iram.

22. *Segnes, etc*. Quæ non facile, quo invicem inter se nexæ sunt, solvunt vinculum.

23. *Vivæque*. Tandiu lucerna vivere censetur, quamdiu ardet. — *Producent*. Proferent, protrahent.

24. *Dum, etc*. In lucem : tu continuabis epulas per totam noctem.

ODE XVI.

Ad Dianam.

Ei pinum consecrat; verrem pro victima pollicetur.

Montium custos nemorumque, virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus esto,
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris, obliquum meditantis ictum,
Sanguine donem.

1. *Montium custos, etc*. Diana, sive Luna : partubus eadem dicebatur præesse, tumque Lucina et Ilithyia vocabatur.

3. *Ter*. Numerus ternarius religioni servit; ac vulgo in sacris adhibebatur. — *Adimis leto*. Neci eripis.

4. *Triformis*. Quia luna tres maxime phases, ut vocant, seu species et formas habet, crescens, plena, decrescens : item tria nomina; in cœlo vocatur Luna; in terris, Diana; in inferis, Hecate sive Proserpina.

5 *Imminens*. Incumbens. — *Tua*. Tibi sacra; cujus in tutela sunt silvæ et arbores.

6. *Exactos*. Absolutos : vertente anno quolibet, quotannis.

7. *Verris*. Porcelli. — *Obliquum*. Majores dentes, quibus porci utuntur, quum aliquem petunt, ita sunt dispositi ad malæ latus, ut ictum nisi obliquum inferre non possint. — *Meditantis*. Infligere parantis.

ODE XVII.

Ad Phidylen.

Eam monet, deos rusticis et minime sumptuosis muneribus recte coli posse.

Cœlo supinas si tuleris manus,
Nascente luna, rustica Phidyle;

1. *Supinas*. Porrectas cœlum versus. Manibus enim sursum expansis antiquitus precari solebant.

2. *Nascente luna*. In noviluniis maxime sacrificia fiebant pro terræ frugibus, quibus augendis aut minuendis præcipua lunæ vis habebatur.

Si ture placaris et horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter et ilices,
Aut crescit albanis in herbis,
Victima, pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia,
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

3. *Horna*. Præsentis anni : ab adjectivo, *hornus*.
4. *Fruge*. Frumento. — *Avidaque porca*. Edaci et inexplebili. — *Lares*. Deos domesticos : Penates etiam dicuntur.
5. *Pestilentem*. Ob calorem humidum. Est autem *Africus* ventus meridionalis.
6. *Sterilem*. Qui steriles agros facit. *Rubigo* est vitium segetis, quum aristæ contabescunt.
7. *Alumni*. Fetus pecudum.
8. *Grave tempus, etc.* Subaudi, sentient.
9. *Nam, quæ, etc.* Lautiores enim, vel porcos, vel boves, pontificibus pro publica salute convenit mactare victimas. — *Algido*. Monte Etruriæ.
10. *Devota*. Aris destinata.
13. *Te nihil attinet, etc.* Tu vero non opus habes multis victimis deorum tibi conciliare gratiam, dummodo corollam e rore marino et myrto nexam exiguis Larium simulacris imposueris.
15. *Parvos deos*. Tuos deos Penates, quorum statuæ parvæ sunt. — *Marino rore*. Rosmarinum, vel rosmarinus, herba nota est. *Romarin*.
17. *Immunis, etc.* Sine muneribus, vacua magnis muneribus. — *Aram tetigit*. Solebant aras manu tangere, quum diis supplicabant.
19. *Mollivit*. Mollire solet; molliet, placabit. — *Aversos*. Iratos.
20. *Farre*. Hordeo molito, cui sal mixtus. — *Mica*. Salis particula. — *Saliente*. Quæ subsilit ac crepitat quum in ignem conjicitur.

ODE XVIII.

In divites avaros.

Sæculi sui vitia insectatur, et eorum remedia proponit.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum, et divitis Indiæ,

2. *Arabum*. Arabia Felix, Asiæ regio, thesauris et rerum pretiosarum copiis nota. *Intacti* appellantur hic, quia nondum in eos arma Romani verterant. — *Indiæ*. Regio orientalis est, prope Sinam, quam medius Ganges secat, gemmis et auro locuples.

Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, et mare apulicum;
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges et cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua;
Defunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis, mulier temperat innocens;
Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas;
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
Cædes, et rabiem tollere civicam;
Si quæret Pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,

3. *Cæmentis.* Molibus, cæmento fartis, quibus in maris littore domos imponebant.

4. *Apulicum.* Adriaticum, in quo est Apulia, oppositum tyrrheno.

5. *Si figit, etc.* Si te mors, si fati necessitas invadit; si clavos summo vertici, id est capiti tuo, figit quibus te attrahat, sibique vindicet. — *Adamantinos.* Duros instar adamantis; quod est genus ferri durissimum.

6. *Dira Necessitas.* Triste fatum.

8. *Expedies.* Exsolves, extricabis.

9. *Campestres.* Qui mediis in campis, ac identidem mutatis, degunt. —*Scythæ, Getæ.* Populi septentrionales.

12. *Immetata.* Non distincta metis et limitibus. — *Liberas.* Nullius proprias, omnibus communes.

14. *Nec cultura, etc.* Colendæ terræ labor.

17. *Illic, etc.* Apud illos noverca non nocet *privignis*, id est, sui viri filiis, ex altera conjuge susceptis.

19. *Dotata.* Quæ dotem amplam viro attulit. — *Regit.* Illi imperat, viri est domina.

20. *Fidit.* Credit, gaudet.

21. *Dos est, etc.* Apud Scythas et Getas, hæc est dos virginum præcipua, quod probis ortæ sint parentibus, quod castæ et servantes *certi*, id est, conjugalis fœderis.

24. *Peccare.* Fidem conjugalem violare. — *Nefas.* Nefas est, non licet. — *Pretium.* Pœna est. Nefas sibi esse putant peccare; aut si peccant, merces peccati mors est.

25. *O quisquis, etc.* Hactenus de vitiis dixit: jam agit de remediis.

26. *Rabiem civicam.* Seditiones, bella civilia, quorum causæ sunt vitia civium.

27. *Quæret, etc.* Optabit, ambiet ut statuis suis istud elogium subscribatur, *Pater urbis, patriæ.*

29. *Licentiam.* Auri et voluptatum cupiditatem, cædes, flagitia.

Clarus postgenitis; quatenus (heu nefas!)
    Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
    Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
    Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt, si neque fervidis
    Pars inclusa caloribus,
Mundi nec Boreæ finitimum latus,
    Duratæque solo nives,
Mercatorem abigunt? Horrida callidi
    Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
    Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduæ?
    Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat, et turba faventium;
    Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
    Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum si bene pœnitet,
    Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa, et teneræ nimis
    Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Nescit equo rudis
    Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
    Seu græco jubeas trocho,

30. *Clarus, etc.* Celebris futurus apud posteros. — *Quatenus.* Quandoquidem. — *Virtutem incolumem.* Viros egregios, dum vivunt.

33. *Quid?* Quo valent? quid juvant?

34. *Reciditur.* Amputatur.

35. *Moribus.* Non satis est hominum peccata legibus et metu pœnæ coercere, sed etiam oportet cives ab ineunte ætate bene institui, atque ad virtutem informari.

37. *Pars, etc.* Zona torrida.

38. *Mundi latus finitimum Boreæ.* Zona glacialis, hyperborea.

39. *Durataque solo.* In solo. E nive enim, quam frigus in solo jacentem durat, fit glacies.

40. *Abigunt.* Deterrent a navigando. — *Horrida.* Procellosa.

42. *Opprobrium.* Quam probrosam et turpem falso avari putant.

45. *In Capitolium.* Subaudi vocem infra positam, *mittamus.*

47. *Quo clamor, etc.* Quia cum turbæ plausu dona diis offerebantur

48. *Gemmas, etc.* Tanquam dona.

49. *Materiam.* Omnium criminum occasionem et irritamentum.

50. *Si bene, etc.* Si nostrorum scelerum vero dolore tangimur.

51. *Cupidinis pravi.* Amoris divitiarum.

52. *Elementa.* Primordia, radices, fibræ ipsæ exstirpandæ. — *Teneræ.* Delicatæ.

54. *Studiis.* Exercitationibus.

57. *Græco.* A Græcis invento. — *Trocho.* Trochus, rota quædam erat, sive circulus ferreus, insertis annulis refertus, quem vicatim pueri non sine arte quadam et venustate cum sonoro annulorum tinnitu, agitabant.

Seu malis vetita legibus alea :
Quum perjura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem,
Indignoque pecuniam
Heredi properet. Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ; tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

58. *Seu malis.* Seu malueris, a verbo *malle*.

60. *Consortem.* Cum quo iniit lucri et damni societatem.

62. *Properet.* Propere ac sedulo quærat, augere festinet. — *Improbæ.* Vel, quæ improbos efficiunt : vel, quæ malis artibus comparantur.

64. *Curtæ rei.* Ejusmodi divitiis, quæ, ut amplæ, curtæ tamen et parvæ insatiabilibus earum possessoribus videntur.

ODE XIX.

Ad Bacchum.

Se, ejus numine afflatum, laudes Augusti non humili modo cantaturum.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? Quæ in nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente nova? Quibus
Antris egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inserere et concilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus in jugis
Exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio

1. *Bacche.* Bacchum appellat, utpote vatum præsidem et sacri furoris præcipuum auctorem. — *Tui plenum.* Tuo afflatum numine.

2. *Agor.* Ducor, rapi mihi videor.

3. *Mente nova.* Novo afflatu, quasi pennis sublatus, et velox factus.

4. *Meditans.* Canens.

6. *Stellis inserere.* Ordo et sententia sunt : quibusnam in antris cantabo, et audiar canere decus æternum, laudes immortales, facinora præclara Cæsaris, eaque *inserere stellis*, hoc est, ad cœlum tollere, et ipsum Cæsarem cœtui deorum, e quibus concilium Jovis constat, adscribere? Augustus, adhuc superstes, inter divos relatus, et deus appellatus est.

7. *Dicam insigne.* Aliquid eximium de Cæsare cantabo, res novas, nulli antea dictas.

8. *Non secus.* Non alio furore Mænades corripiuntur, quam quo me perculsum nunc sentio. — *In jugis.* In montibus Baccho sacris, qualis est Parnassus, Rhodope.

9. *Exsomnis.* Sine somno, vigil. — *Evias.* Bacchi sacerdos, mulier et comes, ab orgiorum voce *Evoe*.

10. *Hebrum.* Thraciæ fluvium, *l'Èbre*.

11. *Thracem.* Thraciam. — *Rhodopen.* Montem Thraciæ.

12. *Ut mihi, etc.* Quam ego libens et lætus adspicio mirorque illas rupes, illud solitarium et vacuum hominibus nemus!

Rupes et vacuum nemus
Mirari libet! O Naiadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos!
Nil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenæe, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

quam libenter devius huc illud aberro et spatior!

14. *O Naiadum potens, etc.* O Bacche, in cujus potestate Naiades et Bacchæ sunt.

15. *Valentium proceras manibus, etc.* Dicitur enim Pantheum, insequente Agave et Mænadibus, in fraxinum ascendisse, eamque arborem statim à Bacchis eradicatam, et dejectam cum Pentheo fuisse.

18. *Dulce periculum, etc.* Periculosum quidem est tam grandia tentare; hoc autem periculum dulce est, duce Baccho, cui frons semper viridi pampino cingitur. *Pampinus* est vitis folium.

ODE XX.

Ad Venerem.

Se rebus ludicris valedicere.

Vixi choreis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia, et vectes, et arcus
Oppositis foribus minaces.
O, quæ beatam, diva, tenes Cyprum, et
Memphin carentem sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloen semel arrogantem.

1. *Nuper.* Dum essem junior.

2. *Militavi.* Lusi, genio indulsi.

3. *Arma.* Versus, lyram. — *Defunctumque bello.* Cessantem a bello, nempe a ludicris carminibus.

5. *Lævum.* Læva, seu sinistra pars minus est honorata : itaque, in Veneris honorem, ad ejus sinistrum latus lyram ponit. — *Custodire.* Lateri adstare. — *Marinæ.* Venus e mari nata dicitur a poetis : unde illam Græci Pontiam, et Pelagiam vocant.

7. *Funalia, etc.* Juvenes protervi et petulantes solebant urbem noctu circumcursare cum lampadibus, vectibus, arcubus, etc., illisque armis fores evertere minabantur : unde illos arcus vocat *minaces* foribus oppositis, seu clausis.

9. *Diva.* Venus. — *Tenes.* Obtines, regis. — *Cyprum.* Vide oden I, lib. I.

10. *Memphin.* Urbem Ægypti primariam, ubi calores sunt maximi. — *Sithonia.* Id est, frigore aspero, quale est in Thracia, quæ olim dicta est Sithonia.

11. *Sublimi.* In altum sublato, ut ictus sit vehementior.

12. *Semel.* Saltem semel tange; sed ita, ut plagam probe sentiat.

ODE XXI.

Ad Galateam.

Eam navigaturam conatur deterrere, proposito Europæ exemplo

Impios parræ recinentis omen
Ducat, et prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa lanuvino,
Fetaque vulpes :
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum, similis sagittæ,
Terruit mannos. Ego, cui timebo,
Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas :
Teque nec lævus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

1. *Impios, etc.* Homines impios, iter aggressuros, ducant sane ac prosequantur mala omina, quale est, vox *parræ* (est avis sinistra) *recinentis,* id est, iterum atque iterum canentis, occursus canis feræ, aut *lupæ ravæ,* hoc est, rufæ, descendentis ab agro lanuvino, etc., vel serpentis transversæ, et instar jaculi jacentis humi, et equos territantis. — *Omen.* Proprie vox est hominum ore prolata, divino tamen nutu, quæ aliquid faciendum significat.

3. *Rava.* Ravus color est inter flavum et cæsium; subrufus. — *Lanuvino.* Lanuvium est vicus in via Appia, per quam iter factura erat Galatea, Brundusium versus.

4. *Feta.* Vel gravida, vel partu levata.

5. *Institutum.* Inceptum.

6. *Per obliquum.* Corpore obliquo.

7. *Mannos.* Manni sunt equi exigui.— *Ego cui timebo, etc.* Ego, providus auspex, prece suscitabo illi cui timebo de quo sollicitus ero, corvum, etc.

9. *Stantes.* Pigras, desides, stagnantes.

10. *Divina.* Prænuntia, præsaga.

11. *Oscinem.* Illæ aves oscines dicebantur, quæ augurium præbebant cantu, quasi oricines; præpetes, quæ volatu.

12. *Ab ortu.* Corvus ab ortu volans erat felicis ominis. Qui captabant auguria, orientem solem spectabant, ut cœli partem auspicatissimam.

13. *Sis licet, etc.* Per me licet, sis felix; cupio tibi omnia bene evenire : sed tamen vide, quæso, quid agas, etc. — *Mavis.* Subaudi esse : ubicumque, ubi sis, felix esto.

15. *Lævus.* A sinistra volans, quæ pars mali ominis censebatur. — *Picus Martius* avis quædam est arborum corticem tundens rostro : *un pivert.*

Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Adriæ novi sinus, et quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis Hœdi, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitæ nymphis opifex coronæ,
Nocte sublustri, nihil astra præter
Vidit et undas.
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten : « Pater, o relictum
Filiæ nomen, pietasque, dixit,
Victa furore!
Impudens liqui patrios penates :
Impudens Orcum moror! O deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones!

17. *Trepidet.* Agitet omnia, et perturbare incipiat. — *Tumultu.* Mugitu ventorum et maris motu.

18. *Pronus.* Vergens in occasum, devexus : tunc enim tempestates excitat gravissimas. — *Quid sit.* Quam periculosis tempestatibus scateat.

19. *Albus.* Cœlum serenum reddens, nunc quidem favens. — *Quid peccet.* Quam infidus sit, in quantam fraudem inducat.

20. *Iapyx.* Ventus ex Apulia flans, commodus Græciam petentibus.

21. *Hostium, etc.* Hostibus imprecari solebant mala, quæ ab amicis vellent amoliri: — *Cæcos.* Improvisos, ignotos.

24. *Verbere.* Fluctuum ripas tundentium in tempestate.

25. *Europe.* Nota fabula de Jove in taurum mutato, et Europam vehente. — *Doloso.* Qui deum tegebat.

26. *Credidit.* Commisit, imposuit se tauri tergo, a quo est abrepta medias in undas. — *Scatentem, etc.* Plenum portentosis piscibus.

27. *Mediasque, etc.* Media pericula expalluit, quamvis esset audax. *Fraus* sæpe pro periculo sumitur.

29. *Nuper, etc.* Ordo est : quæ nuper, quæ paulo ante in pratis erat opifex studiosa florum, quæ flores legebat, ut ex iis texeret coronam nymphis debitam, id est, promissam, eadem Europa nocte sublustri, hoc est subobscura, nihil vidit præter astra et undas ; subaudi nempe a tauro rapta per medium mare.

30. *Nymphis.* Sunt deæ pratorum præsides agrorum, quibus proinde flores offerri mos erat.

33. *Simul, etc.* Simul atque pervenit in Cretam, in qua olim urbes centum fuisse ferunt.

34. *Pater, o, etc.* Ordo est : dixit hæc amens et furore victa, furenti similis : O pater, quod nomen rejectum et violatum est a me tua filia ! o pietas, quam sprevi, patrem ac patriam deserendo !

38. *Orcum moror.* Maneo in vita, superstes sum, quum me Orcus vocet.

39. *Inter, etc.* Errem inter leones, ut ab iis discerpar.

Vilis Europe, pater urget absens;
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Lædere collum.
Sive te rupes, et acuta leto
Saxa delectant, age, te procellæ
Crede veloci; nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. » Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
Filius arcu.
Mox ubi lusit satis : « Abstineto,
Dixit, irarum, calidæque rixæ,
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis?
Mitte singultus; bene ferre magnam
Disce fortunam : tua sectus orbis
Nomina ducet.

41. *Vilis Europe*. Se ipsam compellat; O vilis, id est, infelix, et perdita Europa, etc.

42. *Hac orno*. Vicinam arborem adspicit.

43. *Bene secuta*. Commode, ad hoc munus, in hunc usum.

45. *Acuta leto*. Prærupta et opportuna ad mortem oppetendam facilius.

46. *Procellæ, etc*. Mari procelloso. Projice te in atros fluctus, qui te confestim hauriant.

48. *Herile pensum*. Lanæ portionem quamdam, tibi ab hera barbara datam.

51. *Perfidum*. Perfide, improbe. — *Remisso*. Soluto.

52. *Filius*. Scilicet Veneris; Cupido.

53. *Ubi lusit, etc*. Ubi Venus satis risit Europam gementem. — *Nescis uxor esse Jovis*. Græca locutio, pro, nescis te esse uxorem Jovis.

58. *Mitte*. Omitte. — *Bene ferre, etc*. Disce secundam fortunam ferre moderate et composite.

59. *Tua sectus orbis, etc*. Pars una ex iis, in quas divisus est orbis, tuum nomen accipiet, a tuo nomine Europa vocabitur.



ODE XXII.

Ad Lyden.

Hortatur eam, ut festum Neptuni diem bibendo et canendo transigat.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde strenua, cæcubum,
Munitæque adhibe vim sapientiæ.
Inclinare meridiem
Sentis; ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, et virides Nereidum comas :
Tu curva recines lyra
Latonam, et celeris spicula Cynthiæ :
Summo carmine, quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis visit oloribus :
Dicetur merita Nox quoque nænia.

1. *Festo.* Istud Neptuni festum celebrabatur, kalendis septemb. — *Quid, etc.* Quid potius faciam, et melius quam bibam.

2. *Prome.* Profer ex apotheca.

3. *Strenua.* Confestim, propere.

4. *Munitæque, etc.* Expugna tuam illam sapientiam et modestiam, quæ contra jocos et hilaritatem videtur munita esse.

5. *Inclinare.* In occasum vergere.

6. *Ac veluti stet.* Ac quasi dies non celeriter abeat.

7. *Parcis?* Cessas, moraris? — *Deripere.* Cito detrahere : e superiori loco deducere.

8. *Cessantem.* Jam diu otiosam. — *Bibuli consulis.* Abditam anno U. C. 694 in horreum, sive cellam vinariam, nomine Bibuli inscriptam in operculo, pro more.

9. *Invicem.* Alternis.

10. *Neptunum.* Deum marinum, Saturni filium. — *Nereidum.* Sunt Nerei filiæ, deæ maris. *Virides* eorum pinguntur *comæ*, qui marinus est color.

11. *Curva.* Cava, e curvo ligno et excavato facta. — *Recines.* Iterum atque iterum canes.

12. *Cynthiæ.* Dianæ, sic dictæ a Cyntho, monte Deli.

13. *Summo.* Extremo, post cetera carmina. — *Quæ Cnidon, etc.* Recines Venerem quæ, etc. Cnidus est urbs Cariæ : Paphus, Cypri: quibus in locis præcipue Venus colebatur.

14. *Cycladas.* Insulas ægæi maris. *Fulgentes* vocat, quia eminus apparent, ob scopulos quibus abundant, et spumam quam efficit mare ad ipsas allisum.

15. *Junctis.* Suo currui. — *Oloribus.* Cycnis, quibus ad currum suum trahendum utebatur Venus.

16. *Merita.* Quia per noctem compotaturi erant. — *Nænia.* Carmine jocoso.

ODE XXIII.

Ad Mæcenatem.

Eum invitat ad frugalem cœnam, et, ut anxias de rebus futuris curas omittat, sapienter admonet.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Mæcenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est. Eripe te moræ:
Ne semper udum Tibur, et Æsulæ
Declive contempleris arvum, et
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum, et opes strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices;
Mundæque parvo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem; jam Procyon furit,

1. *Tyrrhena*. Tyrrhenorum: ab etruscis regibus oriunde. — *Tibi*. In tuum honorem.

2. *Non ante verso*. Dolio non antea inverso ad vinum effundendum, id est intacto.

4. *Balanus*. Glans quædam odorifera, ex qua exprimebatur oleum, sive unguentum primæ notæ.

5. *Eripe te moræ*. Eripe te ac subducito iis rebus, quæ te morantur, et impediunt quominus ad nos venias, et genium cures.

6. *Ne semper, etc*. Desere aliquando tuam domum, magna mole usque ad nubes eductam, ex qua soles contemplari Tibur, Æsulam et Tusculum, vicinas Romæ urbes. — *Udum*. Propter aquarum copiam.

7. *Declive*. In colle positum.

8. *Telegoni*. Telegonus, filius Ulyssis e Circe, patrem imprudens interfecit: Tusculum condidit, hodie *Frascati*.

9. *Fastidiosam*. Quæ fastidium et satietatem parit. — *Copiam*. Luxum, lautitias mensarum, etc.

10. *Molem*. Domum tuam.

11. *Beatæ*. Opulentæ, omni rerum copia affluentis.

12. *Fumum*. Pompam, spectacula, gloriam.

13. *Plerumque, etc*. Gratæ sunt sæpe divitibus *vices*, id est, vicissitudo et mutatio, quum dapes opiparas, ac mensas, mutant frugalibus et parcis.

14. *Mundæ*. Nec sordidæ, nec sumptuosæ.

15. *Aulæis*. Aulæa sunt vela, quibus lacunar desuper integitur, ne quid in mensam suppositam decidat. — *Ostro*. Vestibus purpureis quibus lectuli insternebantur.

16. *Sollicitam, etc*. Curas divitibus ademere, eos exhilararunt.

17. *Jam clarus, etc*. Jam signum cœleste, Cepheus, oritur, et suas stellas antea occultas ostendit.

18. *Procyon*. Signum cœleste. Canis minor; sive canicula, ut quidam volunt.

Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quærit, et horridi
Dumeta Silvani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status,
Curas, et urbi sollicitus times
Quid Seres, et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus : cetera fluminis
Ritû feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore, vicinæque silvæ,
Quum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse : Vixi. Cras vel atra
Nube polum Pater occupato,

19. *Vesani.* Rabidi; æstuosi, ob calorem quem excitat. — *Leonis stella.* Signum Leonis, quod ingreditur sol exeunte Julio.

20. *Siccos.* Æstuosos.

21. *Languido.* Ob æstum.

23. *Silvani.* Silvanus, deus silvarum, e Satyrorum erat gente, caprinis pedibus, promissa et hirsuta barba : unde hic vocatur horridus. — *Caretque, etc.* Significatur æstus maximus, qui nullo vento leniatur; ne in ipso quidem littore, ubi sunt frequentiores venti.

26. *Urbi sollicitus, etc.* Anxius ne quid Roma detrimenti capiat.

27. *Seres.* Asiæ populi, prope Indos.

28. *Bactra.* Pluralis numeri, et neutrius generis ea vox est. Urbem primariam regionis asiaticæ, prope Scythiam, quam Cyrus, Persarum rex, olim domuit. — *Tanais.* Fluvius est, in finibus minoris Tartariæ, Europam ab Asia dividens, olim Scytharum regionem alluens; *le Don.* — *Discors.* Quia Scythæ, Parthi, et alii circa fluvium hunc positi Orientis populi, sibi dissidebant, domesticis bellis agitati.

29. *Prudens, etc.* Certo consilio.

31. *Ultra fas.* De rebus futuris, quas scire velle nefas est. — *Trepidat.* Sollicite laborat.

33. *Quod adest, etc.* Da operam ut componas, id est, recte ordines et æquo animo constituas ea quæ præsentia sunt.

35. *Etruscum mare.* Alluit Italiam, ab occidente et meridie.

36. *Lapides adesos.* Vetustate, vel aquis corrosos et comminutos.

37. *Stirpesque, etc.* Arbores a radicibus evulsas.

38. *Una.* Simul.

40. *Diluvies.* Aquarum subita vis et inundatio.

41. *Irritat.* Quasi provocat ad stragem agris inferendam, et in furorem agit. — *Potens sui.* Sui compos et dominus.

42. *Deget.* Vivet. — *Cui licet, etc.* Qui hoc poterit vere pronuntiare. Ego *vixi in diem*, id est, præsentem tantum diem curo, de crastino non laboro : præsentibus rebus acquiesco, et contentus sum.

44. *Pater, etc.* Deus, Jupiter. — *Occupato.* Occupet.

Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet; neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna, sævo læta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.
Laudo manentem : si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne cypriæ tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me, biremis præsidio scaphæ,
Tutum per ægæos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

47. *Diffinget*. Destruet, mutabit.

48. *Quod fugiens*, *etc*. Quod tempus secum abstulit, quod semel præteriit.

49. *Fortuna*, *etc*. Quæ sævire gaudet, hominesque ut pilas exercere ac jactare adversis rebus.

50. *Insolentem*. Inexspectatum; vel, odiosum et superbum.

51. *Transmutat*. Huc illuc crebra mutatione transfert.

53. *Manentem*. Apud me constanter habitantem; mihi faventem. — *Si quatit pennas*. Si avolat, si me deserit. Solent enim aves avolantes pennas concutere.

54. *Resigno*. Reddo illi et restituo.

55. *Me involvo*. Ut veste, quæ nos a frigore defendit, ita mea me virtute contra fortunæ vim et injuriam munio.

56. *Sine dote*. Sine fortunæ muneribus. Contentus sum probitate paupere, et illam tanquam uxorem indotatam non respuo.

57. *Non est meum*. Non is sum qui, etc.

59. *Votis pacisci*. Sub ea conditione vota suscipere et promittere, ne, etc.

61. *Avaro*. Insatiabili.

62. *Biremis*. Quæ duobus remis tantum agatur. — *Scaphæ*. Solent ejusmodi scaphæ adjungi majoribus navigiis, ut, si periculum ingruat, in eas vectores possint se recipere.

64. *Geminusque*, *etc*. Conjunctus cum suo fratre Castore.

ODE XXIV.

Immortalem sibi ab lyricis versibus gloriam promittit.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius;

1. *Exegi*. Perfeci, vel erexi, in altum eduxi. — *Monumentum*. Carmina, quæ mei ingenii monumentum erunt. — *Ære perennius*. Durabilius omnibus ex ære monumentis et operibus.

2. *Regalique situ*, *etc*. Pro : pyramidibus regio sumptu exstructis.—*Situ*. Structura, constructione.

Quod non imber edax, non aquilo impotens,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps æolium carmen ad italos
Deduxisse modos. Sume superbiam,
Quæsitam meritis, et mihi delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

3. *Impotens*. Vehementer sæviens.

5. *Annorum series*. Consequentium annorum innumera multitudo.

6. *Omnis*. Totus. — *Multaque pars mei*. Ingenium, mens, fama.

7. *Vitabit, etc*. Mortem effugiet. — *Libitinam*. Erat Libitina dea funerum. — *Usque ego, etc*. Semper ego nova et recenti, id est non senescenti, laude apud posteros vigebo; et in dies magis magisque celebrabor.

8. *Dum, etc*. Donec, tandiu.

10. *Dicar, etc*. Omnes in Italia dicent ac prædicabunt me, ex *humili potentem*, id est, clarum ex obscuro et ignobili factum, æolium carmen, nempe lyricum deduxisse ad italos modos, id est, Latium, in latinam linguam invexisse, principem primum omnium. — *Violens*. Antique, pro violentus. — *Aufidus*. Fluvius Apuliæ.

11. *Daunus*. In Apulia regnavit. Dicitur *aquæ pauper*, quia totus Apuliæ tractus maxime siccus est, et aquarum inopia laborat.

12. *Populorum*. Verbum *regno*, apud Græcos, cum gignendi casu ponitur: quod hic Horatius est imitatus, ut alia pleraque. *Agrestes* dicuntur Apuli, quia incultiores ceteris Italiæ populis erant. — *Ex humili*. Qui prius eram humilis et ignotus, nempe libertini patris filius, etc.

13. *Princeps*. Omnium primus. — *Æolium*. Lyricum, quo usi sunt Alcæus et Sappho, ex insula Lesbo, præcipua gentis æoliæ sede, oriundi.

14. *Modos*. Cantus, numeros. — *Sume, etc*. O musa mea, superbias ut par est.

15. *Delphica*. Apollinea; Delphis (quæ civitas est Bœotiæ, juxta Parnassum) Apollo in primis colebatur, ac edebat oracula.

16. *Volens*. Propitia.

LIBER QUARTUS.

ODE I.

Ad Julium Antonium.

Invitatus ab Antonio Horatius ad Augusti victorias carmine celebrandas dircæo, respondet summis laudibus efferens Pindarum, atque illum, qui eum sibi proponeret ad imitandum, idem, quod Icarus, monens passurum.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laurea donandus apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis;
Seu deos, regesque canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri, cecidit tremendæ

1. *Pindarum.* Fuit Pindarus poeta thebanus, lyricorum apud Græcos princeps : floruit olympiade 75, ante Christum annis 440.

2. *Jule.* Julus Antonius, filius Marci Antonii triumviri, post necem patris, veniam ab Augusto et eximios honores adeptus, quum nihilominus in eum conjurasset, ejusdem jussu est interfectus.

3. *Nititur pennis, etc.* Idem facit atque Icarus, id est, temeritatis suæ, ut olim Icarus, pœnas dabit. — *Ceratis ope dædalea.* Alis per artem dædaleam cera inter se connexis. — *Vitreo.* Cæruleo. — *Nomina.* Nomen : mare icarium, ita ab Icaro nominatum.

6. *Aluere.* Auxere, ita ut supra ripas exundet.

7. *Fervet.* Stylus Pindari est incitatus, uberrimus, et sententiarum gravitate præstans ; itaque recte cum fluvio æstuante, immenso ac profundo comparatur.

8. *Ore profundo.* Carmine, stylo amplo, vasto, sublimi, copioso.

9. *Laurea.* Corona e lauro, qua solet Apollo coronari, et vates suos coronare.

10. *Nova.* Novata, a Pindaro facta, non ante usitata. — *Dithyrambos.* Versus erant liberiores : primo in Bacchi, deinde in heroum honorem facti.

11. *Devolvit.* Vox a fluvio sumpta, qui magna vi e superiore loco delabitur ac præcipitat. — *Numeris.* Numeri, sive modi in versibus, proprie pertinent ad cantum, cujus mensuræ sunt : pedes, ad syllabarum quantitatem et mensuram. Sæpe inter se ista duo confunduntur.

12. *Lege solutis.* Dithyrambi sunt versus liberiores.

14. *Sanguinem.* Reges deorum filios appellabant. — *Per quos.* Pirithoum et Theseum significat, qui Centauros, inter Pirithoi nuptias, occidisse feruntur.

Flamma Chimæræ :
Sive, quos elea domum reducit
Palma cœlestes, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore signis
Munere donat ;
Flebili sponsæ juvenemve raptum
Plorat, et vires, animumque, moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.
Multa dircæum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus ; ego, apis matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sicambros ;
Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere, bonique divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum

16. *Chimæræ.* Chimæram ignivomam, monstrum fabulosum, Bellerophon domuit.

17. *Elea palma.* Id est, corona relata in ludis Olympicis, apud Elidem, Græciæ civitatem, celebrari solitis. — *Cœlestes.* Superis æquales ; cœlestibus, ob relatam cum victoria gloriam, comparandos.

18. *Pugilemve, etc.* Sive dicit, sive laudat pugilem, id est, aliquem qui pugno vicerit. — *Equumve.* Aut aliquem laudat, qui curuli vicit certamine. Imo equi victorum coronabantur et laudabantur.

19. *Signis.* Statuis.

20. *Munere, etc.* Versibus ; qui potiores et pluris æstimandi sunt, quam centum statuæ.

21. *Flebili.* Dignæ fletu ac lacrimis.

22. *Mores aureos.* Aurea ætate dignos ; egregias animi dotes.

23. *Educit in astra.* Laudibus in cœlum tollit.

24. *Invidet.* Vindicat ab Orco ; morti quasi et oblivioni ereptum, immortalitate donat.

25. *Multa, etc.* Pindarus, cycnus ille *dircæus*, id est, vates thebanus, (a Dirce, fonte vicino Thebis, quæ urbs est Græciæ in Bœotia.) — *Cycnum.* Poetæ cum cycnis, qui suavissime canere feruntur, comparari solent.

27. *Nubium tractus.* Aeris vasta spatia, ubi nubes pendent ac trahuntur. — *Matinæ.* Matinus est mons Italiæ, in Calabria.

29. *Per laborem plurimum.* Apum instar, quæ indesinenter laborant. Se multo labore deficienti ingenio supplere innuere videtur poeta.

30. *Uvidi.* Humidi. Tiburis autem ripas dicit, pro ripis fluminum, quibus Tibur alluitur.

31. *Operosa.* Elaborata, laboriosa.

32. *Fingo.* Elaboro.

33. *Concines.* Canes Cæsarem stylo grandiore. — *Poeta.* Tu, o Antoni, poeta præstantissime.

34. *Quandoque.* Quando.

35. *Clivum.* Viam sacram, per quam triumphantes Capitolium petebant.

36. *Sicambros.* Germaniæ populos.

37. *Quo.* Quo Cæsare.

39. *Quamvis.* Quamvis redeant aurea secula, vel aureæ ætatis mores.

Tempora priscum.
Concines lætosque dies, et urbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars; et : « O sol
Pulcher! o laudande! » canam , recepto
Cæsare felix.
Tuque, dum procedis, Io triumphe!
Non semel dicemus, Io triumphe!
Civitas omnis; dabimusque divis
Tura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota;
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

42. *Super*. Propter.

43. *Reditu*. E Germania, quo se contulerat, bello sicambrico; ex quo quum in Gallias esset profectus, inde rediit Romam anno U. C. 741, ubi tunc Julus Antonius præturam gerebat.

44. *Litibus orbum*. In publica lætitia, vel luctu, silebat forum, id est, lites nullæ agebantur : idque appellabant *justitium*.

45. *Tum meæ, etc*. Tum addam vocis meæ bonam partem, ad augendam publicam gratulationem : contendam vocem, et exclamabo : O sol, o dies pulcher, etc. — *Audiendum*. Audiri dignum, quod tanti sit.

47. *Recepto*. Recuperato, qui videbatur amissus.

48. *Felix*. Ego, felix ob Cæsarem reducem, canam, etc.

49. *Tuque, etc*. Ipsum triumphum, pro more, tanquam si esset persona, compellat.

50. *Io*. Vox lætitiæ index; alias doloris et fletus.

51. *Dabimusque divis, etc*. In aris nempe, hinc illinc per vias die triumphali exstructis.

54. *Solvet*. Voto. Damnari dicuntur voto, quibus id quod optaverunt, quod voverunt, contigit; et ita obligantur : solvuntur isto quasi vinculo, quum id, quod superis promiserant, reddunt. — *Relicta matre*. A lacte depulsus.

55. *Juvenescit*. Crescit. adolescit.

57. *Fronte, etc*. Habens cornua in fronte curvata, instar lunæ crescentis et tertio die apparentis.

59. *Qua notam, etc*. Certa corporis parte nota candida insignis, cetero corpore, quod spectat reliquas partes corporis, fulvus. *Niveus videri*. — Hellenismus, pro niveus visu.

ODE II.

Ad Melpomenen.

Gratias agit Melpomenæ, pro beneficio lyricæ poesos, sibi ab ea concesso.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor isthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet achaico
Victorem, neque res bellica deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed, quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent æolio carmine nobilem.
Romæ, principis urbium,
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros;
Et jam dente minus mordeor invido.
O, testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas!
O, mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,

1. *Quem tu, etc.* Cui nascenti favere dignata sis. — *Melpomene.* Una e Musis.

3. *Labor Isthmius.* Certamina Isthmica, in honorem Neptuni instituta.

4. *Clarabit.* Clarum efficiet.

5. *Curru, etc.* Id est, non sedebit in curru achaico victor, ob equorum suorum pernicitatem : achaicum vocat currum, quia Corinthus, et Isthmus, in quo fiebant certamina Isthmica, de quibus agit, sunt in Achaia, Peleponnesi parte.

6. *Neque res, etc.* Ordo est : Neque res bellica, res præclare in bello gesta, eum ostendet Capitolio ducem et imperatorem triumphantem, ornatumque foliis deliis, id est, laurea apollinari (a Delo insula, Apollini sacra), quod reges superbos minacesque contuderit, profligaverit. Non ibit Romam, post hostes victos, gratias acturus Jovi in Capitolio.

10. *Præfluunt.* Præterfluunt, alluunt, magna ubertate et copia : nam sæpe auget verbi, cui jungitur, significationem vocula ista, *præ*.

12. *Fingent, etc.* Reddent idoneum ut æolia carmina conficiat, quibus nobilitetur, et famam insignem sibi comparet. — *Æolio carmine.* Lyrico : quia Alcæus et Sappho, erant oriundi ex urbe Mitylene, quæ ditionis æolicæ erat.

13. *Romæ soboles.* Romani.

16. *Et jam, etc.* Et jam minus multi laudibus meis obtrectant.

18. *Strepitum.* Testudinis cantum. — *O Pieri.* Vocativus, a recto, Pieris. O Musa, o Melpomene. Musæ vocatæ sunt Pierides, a Pierio, fonte Macedoniæ, ipsis sacro. — *Temperas.* Moderaris; quæ lyram meam regis.

20. *Cycni sonum.* Cycneam vocem.

21. *Totum, etc.* Hoc munus est mihi a te datum, hoc tibi uni debeo, quod...

Quod monstror digito prætereuntium,
Romanæ fidicen lyræ;
Quod spiro, et placeo, si placeo, tuum est.

23. *Fidicen*, *etc*. Poeta latinus lyricus. Fidicen is est, qui fidibus et lyra canit.

24. *Quod spiro*. Vitam se acceptam referre Musis, non semel testatus est. Alii intelligunt *quod spiro* quodcumque poetici spiritus mihi est, quæ sententia paulo durior videtur.

ODE III.

Drusi laudes.

Reportatam ab illo insignem de Rhætis et Vindelicis victoriam celebrat.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo,
Olim juventas, et patrius vigor,
Nido laborum propulit inscium;
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ:
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

1. *Qualem*, *etc*. Qualem aquilam (quæ ministrat Jovi fulmina, et cui ille regnum in alias volucres dedit, postquam expertus est fidelem in Ganymede rapiendo) juvenile robur et innatus vigor exire nido cogit, *insciam laborum*, id est, adhuc imperitam volandi, pugnandi, etc., talem Drusum hostes sensere. — *Ministrum fulminis*. Jovis fulmina gestare aquila dicitur: vel, quod, ut Plinius auctor est, nunquam fulmine feriatur: vel, quod in altissimos nubium tractus evolet, ubi fulmina procuduntur, et unde in terras decidunt.

4. *Ganymede*, *etc*. Fuit Ganymedes filius Trois, Trojanorum regis: raptus a Jove in aquilam mutato dicitur, ut superis in cœlo nectar misceret.

5. *Olim*. Aliquando: vulgo. — *Patrius*. A patre acceptus.

8. *Nisus*. Per *nisus*, intellige conatum et laborem junioris aquilæ, in volando, in librandis pennis; in quo utitur ope ventorum, a quibus defertur, et veluti docetur volare.

9. *In ovilia*. Ad agnos rapiendos.

10. *Hostem*. Ruentem, hostili more et impetu.

11. *Reluctantes*. Pugnaces, et contra aquilam se acriter defendentes. Mutuum enim inter se odium exercent, a natura insitum.

13. *Qualemve*, *etc*. Qualis est leo, quum in capream, occupatam in herbis depascendis, et nihil de hoste ac periculo cogitantem, fertur, etc.

14. *Fulvæ matris*. Leænæ.

16. *Dente novo*. Nondum ad prædam et cædem exercitato, assuefacto.

Videre rhætis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici : quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli;
Nec scire fas est omnia. Sed diu
Lateque victrices catervæ,
Consiliis juvenis revictæ,
Sensere quid mens rite, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Asdrubal
Devictus, et pulcher fugatis

17. *Ræthis*. Pro rhæticis.

18. *Drusum*. Cl. Drusum, Tiberii Neronis et Liviæ filium, Augusti privignum. — *Vindelici*. Germaniæ populi. — *Quibus, etc*. Qui Vindelici cur hunc morem habeant, et unde deductum, id est, derivatum, ut arment dextras securi, quali Amazones olim usæ sunt, neglexi et in aliud tempus distuli diligentius investigare. Feruntur *Amazones* primæ securim in bello adhibuisse : erant illæ bellicosæ feminæ, quæ magnam partem Scythiæ, circa Tanaim, et Asiæ, circa Thermodontem fluvium, occupaverant.

23. *Victrices*. Vindelicorum, qui impune certe primum Italiæ, et deinde Galliæ fines late et satis diu vastaverant.

24. *Juvenis*. Drusi. — *Revictæ*. Vicissim victæ, quæ antea Romanos vicerant.

25. *Mens.. indoles*. Mens, consilium et prudentiam indicat; indoles, virtutem et mores. — *Rite nutrita*. Bona institutione exculta.

26. *Penetralibus*. In Augusti domo.

28. *In pueros, etc*. Tiberium Neronem, et Cl. Drusum privignos suos, filios Tiberii Neronis, et Liviæ : quorum tutor Augustus, ipsis a parente Tiberio moriente dictus, et animo et benevolentia pater fuit.

29. *Creantur*. Gignuntur. — *Fortibus et bonis*. Nerones laudat poeta quod a Nerone orti sint, sed magis quod ab Augusto educati.

33. *Doctrina*. Institutio, educatio. — *Vim, etc*. Indolem, virtutes a natura acceptas.

34. *Rectique cultus, etc*. Rectæ educationes, disciplina, cura fingendæ ætatis teneræ, corroborant, augentque mentes bene natas.

35. *Utcumque, etc*. Ubicumque, quotiescumque mores, id est, bona illa institutio ac disciplina, defecit, negligitur, non adhibetur, ibi multa committuntur vitia, quæ dedecorant et corrumpunt bene nata, hoc est, indolem bonam a natura acceptam, naturæ præstantiam ac nobilitatem.

37. *Neronibus*. Priscos intelligit Nerones; unde orti Tiberius et Drusus.

38. *Metaurum, etc*. Fluvius est Umbriæ, apud quem cæsus est, anno U. C. 546, Asdrubal, frater Annibalis, cum valida manu, quam, fratri suppetias ferens, in Italiam duxerat.

39. *Et pulcher, etc*. Et fortunatissimus ille dies fuit, Carthaginiensibus et Afris, ex Latio, id est, Italia pulsis.

Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos;
Dixitque tandem perfidus Annibal:
« Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata tuscis æquoribus sacra,
Natosque, maturosque patres,
Pertulit ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

— *Fugatis tenebris*. Depulso metu et periculo, quod ab Annibale victore certissimum imminebat, si suas copias cum Asdrubalis exercitu junxisset.

41. *Qui primus, etc*. Qui dies primus insigni gloria et felicitate clarus fuit. Asdrubale quippe cæso, Annibal de receptu et fuga cogitavit. — *Adorea*. Est proprie adoris copia vel frumenti, quod post partam victoriam præmii loco militibus distribui solebat : unde *adorea* pro ipsa victoria ponitur.

42. *Afer ut, etc*. Primus dies ille fuit auspicatus et felix, posteaquam, ex quo dirus Afer, id est, Annibal, Italiam populabundus peragravit.

43. *Per tædas*. Tæda hic est arbor quædam, igni concipiendo aptissima, ex qua fieri solebant faces, quæ idcirco dictæ quoque sunt tædæ.

44. *Equitavit*. Omnia vastando peragravit, instar flammæ silvam pervolantis, aut venti per mare siculum properantis.

45. *Post hoc*. Post victoriam Cl. Neronis. — *Secundis, etc*. Fortunatis præliis. — *Usque*. Semper.

46. *Romana pubes*. Romani.

47. *Tumultu*. Sic fere vocabant bella civilia et domestica; item ea quæ in ipsa Italia gererentur.

48. *Rectos*. Quorum antea dejectæ jacebant statuæ.

49. *Perfidus*. Vel, quia Pœni erant insignes ob perfidiam, vel, quia primus Annibal fœdus violavit, quod, post primum bellum punicum, Romanos inter et Afros initum fuerat.

50. *Cervi, etc*. Est oratio Annibalis, ad suos milites. Non stulti ultro sectamur Romanos, ut sicut cervi fere istis tanquam lupis rapacibus prædæ simus.

51. *Ultro*. Quia tertium bellum punicum Carthaginienses moverunt, non lacessiti a Romanis.— *Opimus*. Amplus, magnificus. Opima proprie spolia dicebantur, quæ dux duci hostium detrahebat.

52. *Fallere, etc*. Latere : in triumphi loco ducere debemus, si eos salvi effugiamus.

53. *Gens, etc*. Romani, a Trojanis oriundi.

54. *Jactata*. Variis tempestatibus agitata, in mari tyrrheno. — *Sacra*. Penates.

55. *Maturos patres*. Senes.

56. *Ausonias*. Italas. Auson rex Italiæ fuit a quo nomen illi regioni factum.

57. *Ut ilex tonsa, etc*. Amputata.

58. *Feraci frondis*. Densis arboribus fecundo. — *Algido*. Monte Romæ vicino.

60. *Ducit opes*. Vires acquirit, comparat.

Non hydra, secto corpore firmior,
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monstrumve summisere Colchi
Majus, echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos : occidit, occidit
Spes omnis, et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto. »
Nil claudiæ non perficient manus;
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

61. *Hydra*. Serpens fuit in Lerna palude, prope Argos. Eam Hercules denique, licet ægre, perdomuit, admoto igne, quo fecunda capita exstinxit.

62. *Crevit*. Multiplicatis capitibus.

63. *Monstrumve*. Draconem pervigilem, tauros ignivomos significat, armatos etiam homines, ex anguineis dentibus natos, etc., quos Jason ope Medeæ profligavit ac domuit. — *Summisere*. Quasi ex insidiis immisere : e terra eduxere. — *Colchi*. Populi, prope mare caspium.

64. *Thebæ*. Cadmus, antequam Thebas conderet, jussus est ab oraculo dentes serpentis serere : ex illis dentibus armati milites nati sunt, et inter illos Echion, qui deinde Cadmi gener fuit, et ejus adjutor in Thebis exstruendis; unde vocat eas Horatius echionias. Sententia igitur est : non majora fuere monstra in Colchide, aut Thebis olim nata, et mirabiliora quam ipsa Roma sit.

65. *Merses, etc*. Si coneris Romanos mersare in profundum mare; hinc evenient, id est, emergent fortiores : si lucteris cum eis et pugnes, te, integrum hostem et recentibus instructum copiis, antea victorem, proruent, delebunt. *Luctari* proprie dicuntur qui inter se manibus pedibusque certant uter utrum proruat ac dejiciat.

68. *Loquenda*. Cæsorum maritorum conjugibus cum luctu memoranda, deploranda.

69. *Nuntios*. De meis in Italia victoriis; quales post cannensem victoriam miserat.

73. *Nil Claudiæ, etc*. Jam poeta loquitur, et est odæ totius clausula. — *Manus*. Vires, consilia Neronum; quorum vulgo prænomen erat, Claudius.

75. *Sagaces*. Cum prudentia, consilioque junctæ.

76. *Expediunt*. Liberant, tutos præstant ac victores. — *Per acuta belli*. Per bella periculosa.

ODE IV.

Ad Augustum.

Eum hortatur ut suum in urbem reditum acceleret.

Divis orte bonis, optime romulæ
Custos gentis, abes jam nimium diu;

1. *Divis orte bonis*. Propitiis : qui natus es singulari deorum beneficio : vel, qui originem ducis a diis. — *Romulæ*. Pro romuleæ, romanæ.

2. *Abes*. Profectus erat in Gallias, anno 738; rediit anno 741.

Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ :
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore demovet;
Sic, desideriis icta fidelibus,
Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenim rura perambulat :
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas :
Pacatum volitant per mare navitæ :
Culpari metuit fides :
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperæ;
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fetus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,

3. *Patrum*. Senatorum.

4. *Concilio*. Senatui, ordini.

6. *Instar, etc.* Postquam tuus vultus, verno tempori similis, nobis affulsit, dies amœniores sunt, et sol nova luce redimitus videtur.

9. *Juvenem*. Filium.—*Invido*. Adverso; quasi reditum filii invideret parenti.

10. *Carpathii*. Carpathus insula est inter Rhodum et Cretam. — *Æquora*. Vasta et æqua spatia.

11. *Cunctantem, etc.* Anno diutius morantem.

13. *Ominibusque*. Capiendo identidem auguria et omina, quæ illi filii reditum promittant. Sumebantur autem omina interdum ab avibus, interdum a pecudibus, etc.

14. *Curvo*. Prono, devexo. — *Demovet*. Detrahit, dejecit.

15. *Icta*. Percussa, commota.

16. *Quærit*. Absentem requirit.

17. *Etenim*. Sensus est : nec mirum patriam tanto tui desiderio teneri; nam sub tuo imperio rediit securitas.

18. *Nutrit*. Saturat frumento et implet. — *Faustitas*. Felicitas, frugum copia.

20. *Culpari, etc.* Fides cavet ne culpetur, ne accusetur perfidiæ : omnes fidem aliis datam servant.

22. *Mos et lex, etc.* Turpia flagitia domantur, comprimuntur bonis moribus, id est disciplina et studio virtutis, ac legibus.

23. *Laudantur, etc.* Matres pariunt liberos patri suo similes.

24. *Culpam, etc.* Pœnæ sceleratos cito consequuntur et plectunt.

25. *Parthum, Scythen*. Parthi sunt in Asia : Persidem occuparunt. Scythæ sunt septentrionalis Asiæ populi.

26. *Horrida*. Barbara, inculta.

27. *Fetus*. Homines : olim Germani erant procera et immani statura.

28. *Iberiæ*. Hispaniæ, ab Ibero flumine, *l'Èbre*.

29. *Condit*. Sepelit, id est, totum transigit.

Et vitem viduas ducit ad arbores :
Hinc ad vina redit lætus, et alteris
Te mensis adhibet deum ;
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et Laribus tuum
Miscet nomen, uti Græcia Castoris
Et magni memor Herculis.
« Longas o utinam, dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ ! » dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Quum sol Oceano subest.

30. *Et vitem, etc.* Jungit et maritat vitem quibusdam arboribus sterilibus, et sine illa quasi viduis : tales sunt ulmus, populus, etc.

31. *Alteris, etc.* In secundis mensis, te cum ceteris divis jungit, invocatque. Sublata mensa prima, et majoribus ferculis, altera ponebatur; in eaque vulgo poma, uvæ, ac præsertim vinum generosius : quo diis libabant, et agebant gratias.

34. *Defuso pateris.* De pateris fuso : de cyatho enim fundebant in terram aliquid vini, antequam biberent, illudque diis offerebant. — *Laribus.* Privatis cujusque domus et familiæ diis.

35. *Uti Græcia.* Ut Græcia, memor et grata pro acceptis beneficiis, miscet diis nomen Castoris et Herculis; id est, laudibus deorum et hymnis admiscet laudes Castoris.

36. *Herculis.* Jovis et Alcmenæ filii.

37. *Ferias.* Otium, pacem : feriæ dies festi, seu vacui ab opere dicuntur; per quos inferuntur epulæ, victimæ feriuntur.

38. *Hesperiæ.* Italiæ. — *Integro.* Recenti, novo.

39. *Sicci.* Jejuni. — *Uvidi.* Humidi; id est, poti, cœnati : vino madidi.

40. *Quum sol, etc.* Vespere; quum sol Oceano mergitur.

ODE V.

Ad Apollinem.

Precatur eum ut sæculare carmen a se compositum probet ac tueatur. Virgines ac pueros ut rite illud recitent, monet.

Dive, quem proles niobea magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, et Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles,

1. *Dive, etc.* O Apollo, quem filii Niobes sensere vindicem *linguæ magnæ*, id est arrogantis, ac superbæ. Niobe, Tantali filia, Thebarum regis, septem filiorum et totidem filiarum mater, quum Latonam sprevisset, quod Apollinem tantum Dianamque illa peperisset, suos telis confixos a deæ liberis vidit, et ipsa dolore confecta in saxum mutata est.

2. *Tityosque.* Nominativus est græcus, pro Tityus. Vocatur *raptor*, quia Latonam rapere voluerat : inter Gigantes numeratur.

3. *Prope victor* Hectore nimirum interfecto.

4. *Phthius.* Oriundus Phthia, urbe Thessaliæ. Paris, juvante Apolline, Achillem in ejus templo sagitta interfecit.

Ceteris major, tibi miles impar;
Filius quamvis Thetidis marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere teucro.
Ille non inclusus equo, Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas, et lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros achivis
Ureret flammis, etiam latentes
Matris in alvo:
Ni, tuis victus Venerisque gratæ
Vocibus, divum pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor Argivæ fidicen Thaliæ,
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus camœnæ,
Lævis Agyieu!

5. *Tibi impar*. Quia a te sub figura Paridis Achilles fuit occisus.

6. *Thetidis*. Thetis, dea marina, Nerei filia.

7. *Dardanas*. Pro dardanias, trojanas; et postea *teucro*, pro teucrio, id est trojano.

8. *Cuspide*. Hasta immani.

9. *Ille*. Achilles. — *Mordaci ferro*. Securi, vel serra.

11. *Procidit late*. Procidit in latum; unde denotatur violentus casus Achillis.

13. *Equo, etc.* Equo ligneo, qui fingebatur Minervæ dicatus a Græcis, pro reditu in patriam, equum hunc illi a se promissum, quippe pugnaci et bellatrici deæ, simulantibus. Hinc dicitur ab Horatio, *equus mentitus sacra Minervæ*.

14. *Male feriatos*. Male cessantes, otio intempestivo, choreis et epulis indulgentes.

16. *Falleret*. Fefellisset, latuisset, non se in equi latebras abdidisset, ut Priami aulam et proceres noctu invaderet.

17. *Sed, etc.* Ordo est: sed captis et expugnatis palam ac luce, subaudi, Trojanis, ureret eorum infantes flammis achivis, id est, græcis a se accensis. — *Gravis*. Durus, crudelis.

18. *Nescios fari*. Nondum per ætatem loqui valentes.

22. *Annuisset, etc.* Concessisset fatis et fortunæ Æneæ, ut conderet muros Romæ non evertendos olim, ut Trojani ceciderant. *Ales* sumitur pro auspicio; quia auspicia proprie ex avium cantu et volatu petebantur, ut sæpe antea dictum.

25. *Doctor, etc.* O Phœbe, qui, fidicen peritissimus, doces Thaliam Argivam id est Græcam. *Thalia* una e Musis, quæ jocosis et ludicris versibus præsertim gaudet.

26. *Xantho amne*. Duo fluvii sic vocati sunt; alter in Troade, alter in Lycia: utraque regio nota fuit Apollini, et amica.— *Lavis crines*. Solebant veteres in amnibus crines lavare, ut melius niterent crescerentque.

27. *Camœnæ dauniæ*. Id est, musæ italæ, sive, meorum versuum: erat enim ortus ex Apulia, in qua regnavit olim Daunus, Turni pater.

28. *Lævis*. Imberbis, qui malas habet læves. — *Agyieu*. Ἀγυιεῦ, vocativus est græcus, significans eum qui viis præest: id muneris dabant Apollini; statuasque illi in viis, pro foribus ædium, ponebant.

Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum,
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jam dices : « Ego dis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati. »

29. *Spiritum*. Ingenium ad poesim factum : impetum poeticum.

31. *Primæ*. Primariæ, nobiliores.

33. *Tutela*, *etc.* Id est, vos, qui estis in fide ac tutela Dianæ, natæ in Delo. Pueri, et puellæ, antequam in matrimonium collocarentur, erant in Dianæ fide. *Delos* porro est insula maris ægæi, patria Dianæ et Apollinis.

34. *Lyncas*. Lynx, fera est, e cervino genere : *un lynx*. — *Cohibentis*. Sistentis et interficientis.

35. *Lesbium*, *etc*. Numeros et modos odæ lyricæ secularis quam vobis recitandam dabo, observate, etc.

37. *Rite*. Sancte, religiose.—*Puerum*. Filium, Apollinem.

38. *Crescentem face*. Cujus fax seu lumen crescit. — *Noctilucam*. Dianam, quæ noctu lucet : quia eadem est ac luna.

39. *Prosperam frugum*. Quæ facit ut lætæ sint fruges, quæ harum copiam et proventum impertit.—*Celeremque, etc.* Celerem in volvendis mensibus : Hellenismus, seu græca locutio. — *Pronos*. Quasi cito et sponte sua cadentes ac desinentes.

41. *Nupta*, *etc.* Unam alloquitur, omnium nomine. Quum olim eris nupta, hunc diem memineris, et dices, etc.

42. *Seculo*, *etc.* Exacto seculo et revehente dies festos ac solennes, etc. — *Luces*. Per sex enim dies noctesque agebantur seculares illæ feriæ.

43. *Reddidi*. Fideliter recitavi, cecini. — *Docilis modorum*, *etc.* Postquam ab eodem Horatio didici et memoriæ mandavi ejus modos, seu oden.

ODE VI.

Ad Torquatum.

Eum admonet de vitæ brevitate.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ;
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina prætereunt.

3. *Vices*. Mutatur terra grata vicissitudine, pro hieme ver jam habet : antea iners et frigida, nunc læta et aperta est.

4. *Prætereunt*. Infra ripas solitas eunt ac descendunt; arctiori utuntur alveo.

Gratia cum nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus, et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris; ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit; et mox
Bruma recurret iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ:
Nos, ubi decidimus
Quo pius Æneas, quo Tullus dives et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;
Nec lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

5. *Gratia*. Tres sunt Gratiæ, seu Charites; Aglaia, Thalia, Euphrosine.— *Audet*. Quæ hieme prodire non audebat.

7. *Immortalia, etc.* Ne rem ullam æternam putes: ne vitam semper duraturam confidas.

8. *Rapit, etc*. Finitis enim horis, quæque præterit, absolvitur.

9. *Mitescunt*. Frigora mitigantur a vere, cujus nuntii sunt zephyri. — *Proterit*. Protrudit, abigit.

10. *Simul*. Statim atque.

12. *Bruma iners*. Hiems, quæ facit pigros et inertes.

13. *Damna, etc.* Cito reparat damnum luminis sui cœlestis, quod patitur quum decrescit: brevi enim fit plena, et integram suam lucem recipit.

15. *Quo pius, etc*. Nempe ad inferos. Tullus Hostilius fuit rex Romanorum tertius: Ancus vero quartus. — *Dives* dicitur Tullus, quod Albæ opes Romam transtulit.

17. *Hodiernæ summæ*. Ad numerum et summam annorum, quos hactenus viximus, quos hodie numeramus.

18. *Tempora crastina*. Diem crastinum. — *Di superi*. Illi vivorum gerebant curam, ut inferi mortuorum.

19. *Cuncta, etc*. Quæ animo et genio tuo dederis, ea subtrahes prudenter heredi avaro.

22. *Arbitria*. Judicia: vocat *splendida*, id est, publica, superba: quum de te pro arbitrio statuerit.

23. *Torquate*. L. Manlius Torquatus, ad quem Horatius hæc scribit, consulatum gessit eodem anno quo natus est Horatius. — *Genus*. Nobilitas: originem enim ducebat iste Manlius ab illo Manlio, qui, quod Gallum interemptum torque spoliasset, Torquati cognomen est adeptus.

24. *Restituet*. Subaudi vitæ, amicis.

25. *Infernis*. Ipsi dii non possunt eos, quos habebant carissimos, ab inferis revocare: quis mortalium id moliri aut sperare ausit? — *Diana*. Quam Hippolytus per totam vitam pio animo coluit. — *Pudicum*. Quod Phædræ suæ novercæ impium amorem respuit.

26. *Hippolytum*. Thesei filium.

27. *Lethæa*. Inferorum vincula. Lethe est inferorum fluvius.

28. *Pirithoo*. Fabulantur poetæ descendisse Theseum ad inferos cum Pirithoo, ut Proserpinam raperet; utrumque a Dite, seu Plutone, captum; mansisse in vinculis Pyrithoum; soluto, Herculis ope, Theseo.

ODE VII.

Ad Censorinum.

Amico mittit carmina, et muneris pretium declarat.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus;
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum; neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non hæc mihi vis; nec tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneris.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,

1. *Pateras.* Sunt capaciora pocula, vel phialæ, præmia victorum, quibus sæpe donabantur duces. — *Commodus.* Liberalis, benignus.

2. *Censorine.* Caius Marcius Censorinus consulatum gessit anno U. C. 746. — *Æra.* Lebetes, vasa.

3. *Tripodas.* Varia vasorum tribus pedibus innitentium genera, quæ athletis in victoriæ præmium data fuisse testantur poetæ.

4. *Graiorum.* Homerus maxime istis muneribus suos heroas donat passim in Iliade. — *Pessima munerum.* Pessima munera : si ejusmodi munera donarem amicis, tibi omnium carissimo largirer optima.

5. *Ferres.* Auferres, id est, obtineres, acciperes. — *Divite me, etc.* Si haberem artes, id est, opera, signa, vasa arte facta, quæ protulit, id est, in lucem edidit, elaboravit, Parrhasius (pictor celebris ephesinus, æqualis Zeuxidis), aut Scopas, statuarius.

7. *Hic.* Scopas. — *Ille.* Parrhasius

8. *Solers ponere.* Pro solers ad ponendum vel effingendum, more græco.

9. *Vis.* Facultas, copia, opes.

10. *Res, etc.* Sententia est : nec tu eges istis deliciis, id est, vasis, signis, tabellis delicatis, ad ornatum et delicias comparatis; neque porro eas res concupiscis : abundat domus tua ejusmodi rebus; et animus tuus eas non nimis amat.

12. *Dicere.* Imponere, statuere.

13. *Notis* Elogiis, inscriptionibus.

14. *Per quæ, etc.* Quæ efficiunt, ut egregii duces post mortem quasi reviviscant.

16. *Rejectæque, etc.* Et Annibal a Scipione fugatus, et ab Italia rejectus, id est, in Africam retro cedere coactus, qui prius Romam se capturum minabatur.

17. *Incendia.* Scipio Africanus, minor dictus, Carthaginem cepit, et incendit. *Impia* dicitur Carthago, quia contra fidem promissam fœdus fregerat, quod, bello punico secundo confecto, compositum fuerat.

Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam calabræ Pierides : neque,
Si chartæ sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli ?
Ereptum stygiis fluctibus Æacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori ;
Cœlo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules ;
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates ;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

18. *Ejus, qui, etc.* Scipionis Africani majoris, qui Carthaginem et Africam domuit; unde ipsi nomen.

20. *Calabræ Pierides.* Ennii versus; Ennius, poeta latinus antiquus, Rudiis in oppidulo Calabriæ natus, Scipioni Africano majori carus fuit, ejusque res gestas scripsit. — *Neque si, etc.* Ordo est : neque tu mercedem tuleris, si, etc., id est, nullum fructum, nullam mercedem quisquam e rebus præclare gestis consequetur, si libri sileant quod recte ab illo factum fuerit.

21. *Puer.* Romulus, filius Iliæ et Martis : Ilia erat filia Numitoris. — *Si taciturnitas, etc.* Si de illo scriptores tacerent : quod silentium ejus gloriæ inimicum et invidum foret.

25. *Ereptum.* Morti et oblivioni ereptum. — *Æacum.* Jovis filium.

26. *Virtus.* Potestas, facundia. — *Potentium.* Præstantium : qui possunt hæc edere miracula, id est, suis carminibus immortalitatem conciliare.

27. *Divitibus insulis.* Campis Elysiis, quos multi ponebant in insulis Fortunatis, in mari atlantico. — *Consecrat.* Immortalitate donat.

29. *Beat.* Facit beatos homines, eos ad cœlum evehendo. *Beare cœlo*, ut, beare munere.—*Sic.* Per carmina: Musarum beneficio.—*Interest.* Præsens adest.

31. *Tyndaridæ.* Castor et Pollux, filii Ledæ, cujus maritus Tyndarus. — *Clarum sidus.* Est appositio : Tyndaridæ, qui sunt clarum sidus.

33. *Pampinus.* Est folium vitis, quo Bacchus coronatur. — *Vota, etc.* Præsto est invocantibus : reos votorum facit.

ODE VIII.

Ad Lollium.

Suos primum versus, deinde poesim universe, postremo Lollium, ad quem scribit, commendat.

Ne forte credas interitura, quæ
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes,

1. *Ne credas, etc.* Noli credere meos versus morituros.

2. *Natus ad Aufidum.* Ego Horatius. Aufidus est fluvius Apuliæ, quæ Horatii patria fuit.

3. *Per artes, etc.* Per lyricos versus

Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, pindaricæ latent
Ceæque, et Alcæi minaces,
Stesichorique graves camenæ:
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit ætas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacæna:
Primusve Teucer tela cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus,
Dicenda Musis prælia; non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles

latinos, Romanis ante me ignotos, quorum primus artifex ego sum.

4. *Socianda chordis.* Ad lyrica canenda. Hinc isti versus lyrici vocantur.

5. *Non, si, etc.* Ordo est: etsi Homerus primas sedes, id est primus inter poetas locum obtinet, non ideo tamen Pindarus latet, etc. — *Mæonius.* Ita dictus est Homerus, vel a patre Mæone, vel a patria Mæonia, seu Lycia, minoris Asiæ regione.

7. *Ceæque.* Simonidis, e Cea insula, qui Persarum bella, et Græcorum calamitates, lugubri carmine prosecutus est. — *Alcæi minaces camenæ.* Alcæi carmina, iræ et acerbitatis in tyrannos, a quibus e patria expulsus fuerat, plenissima.

8. *Stesichorique.* Fuit oriundus Himera, urbe Siciliæ: multa scripsit epico carmine.

9. *Lusit, etc.* Scriptitavit Anacreon, poeta lyricus, natus in Ioniæ urbe Teo; usus est carmine admodum terso et eleganti: floruit Polycratis, Samiorum tyranni, temporibus, circa olympiadem 62.

10. *Delevit ætas.* Necdum elegantes Anacreontis versus vetustas consumpsit. — *Spirat, etc.* Amor æoliæ puellæ, id est Sapphus, adhuc spirat et quasi vivus exstat in ejus versibus.

11. *Calores.* Amores Sapphus, sive amatoriæ querelæ, quas illa commisit, et quasi credidit suis carminibus.

13. *Non sola, etc.* Non sola Helena Paridem amavit. — *Arsit crines.* Pro amavit, deperiit.

14. *Aurum, etc.* Aurum intextum opere phrygio, vestes acu pictas et auro illusas.

16. *Lacæna.* Lacedæmonia.

17. *Teucer.* Hunc Homerus ait in torquendis arcu sagittis peritissimum fuisse. Non ille solus talis fuit, inquit Horatius. — *Cydonio.* Cretensi. Cydon urbs Cretæ fuit; ad quam optimæ sagittis faciendis nascebantur arundines.

19. *Vexata.* Obsessa, oppugnata. Trojam primo Hercules obsedit, deinde Amazones, demum Græci.

20. *Idomeneus, Sthenelusve.* Duces Græcorum fortissimi; de quibus sæpe Homerus meminit.

21. *Dicenda Musis.* A vatibus celebranda.

22. *Deiphobus.* Frater Hectoris, Priami filius.

23. *Pro pudicis, etc.* Pro civibus suis, pro conjuge, et filiis.

25. *Agamemnona.* Dux fuit præci-

Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avaræ fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,

puus Græcorum ad Trojam, rex Mycenarum.

26. *Illacrimabiles.* Indefleti.

27. *Urgentur.* Obruuntur æterna morte, sepeliuntur oblivionis tenebris.

28. *Quia carent.* Quia res eorum gestas nullus poeta litteris ac memoriæ prodidit.

29. *Sepultæ.* Ignoratæ et latenti. — *Inertiæ, etc.* Pro ab inertia. Sensus est: parum discriminis est inter fortes et ignavos, si pariter ignorentur.

31. *Inornatum.* Te non illaudatum et illustratum prætercam.

32. *Labores.* Lollius maxima bella gesserat in Thracia et Galatia.

33. *Impune.* Me non prohibente.

35. *Rerum prudens.* In rebus prospiciendis, in tractandis negotiis.

36. *Dubiis.* Adversis, duris.—*Rectus.* Æquabilis in utraque fortuna.

37. *Vindex.* Solitus eos graviter punire, qui fraudes moliuntur, ut avaritiæ suæ sitim expleant. — *Et abstinens, etc.* Qui potest se abstinere a pecunia, quæ omnia ad se ducit trahitque.

39. *Consulque, etc.* Tuus non est unius anni consulatus, id est, tu non tantum consulatum unius anni spatio definitum geris, ut ceteri, sed toties es consul, et istius magistratus officium ac munus geris, quoties tuus animus, bonus et fidus judex, id est, instar æqui judicis, honestum bonum præfert utili, alto vultu, etc. Fuit autem Lollius consul anno U. C. 733.

41. *Judex.* Consularem dignitatem servare dicitur quoties in judiciis fidem ac probitatem suam explicat.

42. *Alto vultu.* Erecto vultu, oculo irretorto. — *Nocentium.* Reorum, qui tuam integritatem student muneribus corrumpere.

43. *Per obstantes, etc.* Adulationes, munera, largitiones; qui sunt judicum hostes.

44. *Arma.* Æquitatem, constantiam, fidem: his enim pugnat judex, his vincit. — *Explicuit arma.* Id est, viam sibi armatus aperuit, sine clade.

45. *Non recte.* Non recte vocaveris beatum, qui multa possidet.

46. *Rectius.* Æquius. — *Occupat.* Primum meretur.

49. *Callet, etc.* Sensus est, qui novit uti sapienter superum donis, nec non ferre sapienter paupertatis incommoda.

Pejusque leto flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

50. *Pejus leto.* Magis quam mortem: mori mavult quam peccare.

51. *Non ille, etc.* Ille, id est, vir talis non dubitat mortem oppetere pro amicis aut patria.

ODE IX.

Ad Ligurinum.

Eum admonet ejus pulchritudinem brevi esse perituram.

O formosus adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuæ quum veniet pluma superbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc et qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices heu! quoties te in speculo videris alterum:
« Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ? »

1. *O formosus, etc.* O Ligurine, qui adhuc formosus es, et ferox ob Veneris munera, nempe pulchritudinem, gratiam, etc.

2. *Quum veniet, etc.* Quum tibi, qui nunc superbus es, veniet barba vel canities.

3. *Deciderint.* Senio avulsæ: senes vulgo sunt calvi.

4. *Nunc, etc.* Ordo est: quando color tui vultus, qui est nunc prior, id est, potior, pulchrior flore puniceæ, hoc est, purpureæ rosæ, mutatus, te in aliam faciem, nempe hispidam e pulchra, mutaverit.

6. *Alterum.* Ita mutatum ab illo qui fueras olim, ut alterum te pæne esse credas.

7. *Quæ mens, etc.* Dices: Cur eadem non fuit mihi puero mens, quæ est hodie mihi seni? cur voluptates et cetera ludicra non fugiebam tunc, ut modo fugio?

8. *Vel cur, etc.* Vel quare non redit mihi forma pristina, et integer florensque vultus, mihi, inquam, his animis prædito, nempe longe aliter ac olim sentienti, id est nunc mihi sapientiori.

ODE X.

Ad Phyllida.

Eam invitat ad natalem Mæcenatis, domui suæ, festis epulis celebrandum.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis,
Est hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges;
Ridet argento domus; ara castis

2. *Albani.* Vini generosi, quod in montibus prope Albam nascebatur.

4. *Hederæ vis.* Copia multa.

6. *Ridet, etc.* Vasis argenteis ornata.

Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno;
Cuncta festinat manus, hunc et illuc
Cursitant mixtæ pueris puellæ;
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis, idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit aprilem;
Jure solennis mihi, sanctiorque
Pæne natali proprio, quod ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

splendet. — *Castis*. Puris, religiosis, ex more sacrorum positis.

7. *Verbenis*. Verbena est herba, quam circum aras spargebant sacrificaturi; qua coronabant aras ipsas: *de la verveine*.—*Avet, etc*. Imbui et respergi sanguine agni immolati cupit, gestit.

9. *Manus*. Famulorum turba.

10. *Puellæ*. Ancillæ.

11. *Sordidum, etc*. Flammæ cum impetu evolant in caminum, rotantes sordidum et pinguem fumum in tecti vertice. Indicat lautam culinam.

13. *Quibus, etc*. Quod festum tanto gaudio celebratura sis.

14. *Idus*. Dies decima quinta in mensibus maio, octobri, julio, ac martio; in aliis autem mensibus, decima tertia. Idus erant sic dictæ ab etrusca voce *iduare*, hoc est, dividere, quia mensem in duas partes dividebant.

15. *Mensem Veneris*. Mensem Veneri sacrum. Est autem aprilis Veneri sacer; quia verna tempestas terræ sinum aperit: ac frugibus rebusque ceteris gignendis favet.

16. *Findit*. In duas partes prope æquales dividit; idus enim incidunt in diem mensis cujuslibet 13 vel 15.

17. *Jure, etc*. Est ille dies mihi merito solennis, et prope sanctior meo die natali; quia ex illo die Mæcenas ordinat, numerat ordine suos annos *affluentes*, id est, alios aliis accedentes; quia nimirum est dies ejus natalis, a quo anni inchoantur. — *Natali*. Dies natalis in maximo honore apud Romanos erat.

ODE XI.

Ad Virgilium.

Eum ad cœnam vocat.

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

1. *Mare temperant*. Mitius et aptum navigationi, fugatis cum frigore procellis, reddunt.

2. *Animæ Thraciæ*. Venti molliores, qui ab oriente flant, ubi est Thracia, ut Italiæ opponitur.—*Lintea*. Navium vela.

3. *Rigent*. Gelu et frigore obsita.

4. *Turgidi, etc*. Non sunt amplius hibernis nivibus turgidi, quare non strepunt.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt, in tenero gramine, pinguium
Custodes ovium carmina fistula;
Delectantque deum cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere;
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras, et studium lucri;

6. *Infelix avis.* Hirundo. — *Cecropiæ domus.* Atheniensium regiæ familiæ : quia Cecrops fuit rex Atheniensium primus.

7. *Male ulta.* Tam crudeliter, per scelus. Nam Procne, filia Pandionis, regis Athenarum, uxorque Terei, regis Thraciæ, mactatum parvum filiolum Ityn isti epulandum apposuisse dicitur. Inde in hirundinem conversa est.

8. *Regum.* Terei.

9. *Dicunt, etc.* Pastores in herba molliter fusi modulantur carmina in honorem Panos.

11. *Deum cui, etc.* Pana, Faunum. *Arcadia* regio est Græciæ, in Peloponneso; ex qua in Italiam venire Pan, februario mense, dicebatur.

12. *Nigri colles.* Umbrosi.

13. *Tempora.* Tempestas jam calidior.

14. *Pressum.* Torculari expressum ac sublatum. — *Calibus.* Cales, urbs Campaniæ; cujus ager vitibus felix : hinc vinum calenum. — *Ducere.* E patera haurire.

15. *Juvenum, etc.* Drusi, et Tiberii, Liviæ filiorum, et Marcelli, ex Augusti sorore geniti. — *Cliens.* Qui te illis dedisti, quos observas, colis, etc.

16. *Nardo, etc.* Id est, dabo vinum, si tu nardum, hoc est, unguentum e nardo confectum afferas. — *Merebere.* Emes, obtinebis a me.

17. *Onyx.* Vasculum ex onyche, lapide pretioso, factum. — *Eliciet.* Adducet : persuadebit mihi, ut adduci jubeam cadum integrum, etc.

18. *Sulpiciis horreis.* Apothecis, quas Sulpicius Galba exstruxerat, et locabat publice : ubi mercatores condebant vina, merces, etc. — *Accubat.* Quiescit, servatur.

19. *Spes, etc.* Qui potest prolixe dare spes novas, et curas eluere. — *Amara curarum.* Pro amaras curas.

21. *Ad quæ, etc.* Si te cupiditas vini mei et epularum tangit.

22. *Tua merce.* Onyche tuo et nardo, quo vinum meum quasi emere debes.

23. *Immunem.* Nihil afferentem, nil contribuentem. — *Tingere.* Madefacere, proluere.

24. *Plena.* Locuplete, lautissima.

25. *Lucri.* Virgilius non contemnendas opes suis versibus collegerat : quæ res illum ad scribendum acuebat. Alii per *lucri studium* diligentiorem, quam Virgilius in rebus suis gerendis collocabat, operam et curas designari existimant.

26. *Dum licet.* Dum vita manet, dum fert ætas, misce seriis ludicra. — *Ignium.* Rogi, mortis. *Nigros* vocat *ignes*, id est, funestos, tristes.

Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem :
Dulce est desipere in loco.

27. *Stultitiam*. Hilaritatem solutiorem, et liberiores jocos. — *Consiliis*. Prudentiæ : rebus seriis, gravioribus occupationibus.

28 *Desipere*. Paulo liberalius genio indulgere. — *In loco*. Tempestive, opportune.

ODE XII.

Ad Augustum.

Tiberii de Rhætis victoriam celebrat, et Augusti auspiciis ac felicitati acceptam refert.

Quæ cura patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos memoresque fastos
Æternet? O, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum,
Quem, legis expertes latinæ,
Vindelici didicere nuper
Quid marte posses! Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Brennosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis,
Dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis,
Spectandus in certamine martio,

1. *Quæ cura, etc.* Sententia est, senatum populumque romanum, quantumvis curæ studiique conferat, ad meritos honores Augusto decernendos, id præstare tamen pro dignitate nunquam posse. — *Patrum*. Senatorum. — *Quiritium*. Ceterorum civium.

2. *Muneribus plenis honorum*. Scilicet statuis, triumphis, titulis, et fastis; quæ omnia plena sunt honoris ac dignitatis.

4. *Titulos*. Elogia, inscriptiones subscriptas statuis, pilis lapideis, etc. — *Fastos*. Sunt commentarii, seu codices qui memoriam rerum singulis annis gestarum continent.

5. *Æternet*. Æternitate donet. — *Qua sol, etc.* O princeps, cujus potentiam omnes per totum terrarum orbem suspiciunt!

7. *Quem, etc.* Cujus fortitudinem in bello, et felicitatem sensere Vindelici. — *Legis*. Imperii, dominationis.

10. *Genaunos, Brennos*. Vicini erant Vindelicis, sub Alpibus. — *Drusus*. Augusti privignus.

12. *Tremendis*. Vel propter hostium, qui arces illas obtinebant, feritatem : vel propter montium altitudinem.

13. *Plus vice simplici*. Plus quam semel, sæpius, multis præliis.

14. *Major Neronum*. Cl. Tiberius Nero, qui Druso fratre major erat annis fere quatuor.

15. *Rhætos*. Scilicet cum Vindelicis et ceteris, qui fœdere illis juncti fuerant.

16. *Auspiciis secundis*. Felicibus. Res prosperæ dicuntur secundæ, quasi

Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Quis regna Dauni præfluit Appuli,
Quum sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor;
Te copias, te consilium, et tuos
Præbente divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandria supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,

quæ sequantur conatus nostros, quæ nobis obsequantur.

17. *Spectandus*, *etc.* Dignus qui spectaretur.

18. *Liberæ.* Ne servirent, id est, liberam mortem servitio præferentes.

21. *Exercet.* Vexat, agitat. — *Auster.* Ventus meridionalis, et sævus. — *Pleiadum*, *etc.* Pleiades sunt stellæ septem inter Arietem, et Taurum : alia voce Vergiliæ dicuntur, et Atlantides. Ita dispositæ sunt in orbem, ut choream agitare videantur. Procellas autem et imbres terris important, quum oriuntur, et occidunt : hinc nubes ab illis dicuntur scindi, et rumpi, quum nempe in pluvias solvuntur.

22. *Impiger vexare.* Est Hellenismus, pro, impiger, strenuus in vexandis hostium turmis. De Cl. Tiberio Nerone loquitur.

24. *Per ignes.* Ubi pugnantis vita in summum discrimen adducitur.

25. *Tauriformis.* Comparantur tauris flumina, ob impetum et quasi mugitum fluctuum : itaque cum taurinis cornibus pinguntur. — *Aufidus.* Fluvius Apuliæ.

26. *Regna Dauni.* Apuliæ partem unam, in qua regnavit Daunus : altera pars Peucetia dicitur. — *Præfluit.* Id est, præterfluit.

29. *Ut barbarorum*, *etc.* Est altera pars comparationis : sic volvitur Aufidus, ut Claudius Tiberius Nero barbaros diruit, etc.

30. *Ferrata.* Quibus erat lorica, et galea e ferro.

31. *Primos et extremos.* Totam aciem. — *Metendo.* Trucidando. Sic Virg. *Proxima quæque metit gladio.*

32. *Stravit.* Hostium cadaveribus texit. — *Sine clade.* Suorum militum; impune.

33. *Tuos, etc.* Auxilium deorum tibi faventium præbente.

34. *Nam tibi, etc.* Probat rem a Tiberio bene gestam auspiciis Augusti, et numine deorum illi faventium ; quia eodem die, quo ante annos 15 ingressus erat Augustus Alexandriam, victis Antonio et Cleopatra, eodem Tiberius felici bello Rhætos profligavit ; adeo ut iidem dii huic duplici victoriæ præfuisse merito viderentur. — *Quo die.* Anno U. C. 723, pridie kal. sept.

36. *Vacuam.* Mortuo Antonio, victa Cleopatra.

37. *Lustro tertio. Lustrum* est spatium annorum quinque ; quo spatio exacto, censores lustrabant, et recensebant urbem.

38. *Reddidit.* Quasi eadem et condicta die repræsentavit Tiberio, atque adeo tibi, victoriam de Rhætis.

Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ.
Te, fontium qui celat origines
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis;
Te non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

39. *Laudemque, etc*. Et arrogavit, id est, attribuit, adscripsit, concessit laudem et optatum decus, hoc est, victoriam, triumphum. — *Peractis imperiis*. Peracto imperio tuo, quum dux esse desiisti. Alii sic intelligunt : pristinis rebus præclare sub tuo imperio peractis adjecit splendorem.

41. *Cantaber*. Hispaniæ populus. — *Non ante, etc*. Qui a nullo, ante Cæsarem, vinci potuerat.

42. *Medusque*. Parthi. — *Indus*. Porus, Indorum rex, Augusti et Romanorum amicitiam, pacemque per legatos expetierat, anno U. C. 734. — *Scythes*. Populus Europæ septentrionalis incola. *Profugos* vocat Scythas, id est, errabundos.

43. *Tutela præsens*. Certa, efficax; præsidium certum.

44. *Dominæque*. Romæ, principis urbium.

46. *Nilus*. Fontes Nili diu ignoti fuerunt, et adhuc forte latent. — *Ister*. Alio nomine Danubius (*le Danube*) maximus est Germaniæ fluvius, ab occidente in ortum fluens : erat Augusti tempestate, septentrionalis limes romani imperii. — *Tigris*. Armeniæ fluvius, a celeritate sic dictus : *le Tigre*.

47. *Belluosus*. Belluis, id est, balenis, et aliis id genus monstris, scatens.

48. *Obstrepit*. Alluit cum strepitu. — *Britannis*. Angli ultro ad Augustum legatos misere, qui ejus in fide et potestate futuram Britanniam promitterent. *Remoti* appellantur, quia orbem oceano Britannico finiri a septentrione veteres putabant.

49. *Galliæ*. Galli ab omni ævo periculi et necis contemptores fuere.

50. *Audit*. Veneratur, paret. — *Iberiæ*. Hispaniæ, sic dictæ ab Ibero flumine. *Duram* vocat, id est, patientem laboris, vinci difficilem.

51. *Sicambri*. Germaniæ populi, ad Rheni ostia.

52. *Compositis*. Simul et uno consensu abjectis : vel, uno in loco positis, tranquillis et feriatis.

ODE XIII.

Augusti pacifici laudes.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyra,
Ne parva tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas

2. *Increpuit, etc*. Leviter percutiendo me lyra, monuit ne, etc.

3. *Ne parva, etc* Ne res meis viribus impares aggrederer.

Fruges et agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum Quirini clausit, et ordinem
Rectum et vaganti frena licentiæ
Injecit, amovitque culpas,
Et veteres revocavit artes,
Per quas latinum nomen, et italæ
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis, ab hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis, aut vis exiget otium;
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent julia; non Getæ,
Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanaim prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole, matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,

6. *Signa*. Quæ Crassus amiserat a Parthis interfectus. — *Nostro Jovi*. Capitolino; cujus in templo vexilla hæc reposuit Cæsar.

7. *Derepta*. Detracta.

8. *Postibus*. Templis. — *Duellis*. Bellis: quasi bella in eo templo habitarent, quibus pulsis pax succederet.

9. *Janum, etc.* Erant multa Jani templa Romæ; unum in primis, quod Janum Quirini, seu Romuli, vocabant a Romulo ædificatum; quod flagrante bello, apertum erat; confecto, clausum. — *Et ordinem, etc.* Mores in deterius lapsos, et ab recta virtutis via velut aberrantes emendavit.

11. *Amovit*. Expulit.

12. *Artes*. Frugalitatem, justitiam, fidem.

14. *Imperi*. Pro imperii.

15. *Porrecta*. Producta, amplificata. — *Ad ortum, etc.* Ab occidente, usque ad orientem; orbe toto.

16. *Hesperio cubili*. Sol enim occidens videtur dormitum concedere in oceanum Hesperium, id est, Hispanum, sive Atlanticum, ab Hespero, stella serotina, aut ab Hespero, Atlantis fratre, sic appellatum.

17. *Rerum*. Orbis terrarum. — *Furor civilis*. Bellum civile.

18. *Exiget*. Expellet. Alii legunt *eximet*, id est tollet, perturbabit.

19. *Procudit*. Fabricatur.

20. *Inimicat*. Reddit invicem inimicas.

21. *Non, qui, etc.* Germani, Daci, etc. Istri fluminis vel Danubii accolæ.

22. *Edicta*. Leges ab Augusto latas. Alii intelligunt edicta quæ Augustus in pacis conditionibus observanda præscripsit victis populis. — *Getæ*. Populi feroces in Scythia europæa, prope Thraciam, Daci etiam dicti.

23. *Seres*. Populus orientalis, prope Indiam. — *Infidi*. Quia Crassum per simulationem pacis et colloquii deceptum peremerant.

24. *Tanaim*. Tanais, *le Don*, dividit Europam et Asiam: circa illum habitant Scythæ.

25. *Profestis, etc.* Diebus non sacris, qui festos præcedunt.

26. *Inter, etc.* Inter vina.

27. *Cum prole, etc.* Cum liberis et conjugibus nostris.

28. *Prius, etc.* In secundis mensis

Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Trojamque, et Anchisen, et almæ
Progeniem Veneris canemus.

deos precabantur, libabant vina, etc. Vide od. 4 hujus libri.

29. *Virtute functos*. Virtutis officio probe functos; qui virtutem exercuerunt. — *More patrum*. Canemus. Convivas enim in epulis apud veteres Romanos solitos fuisse canere ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus.

30. *Lydis, etc*. Alternis canentes, nunc voce, nunc tibia.

32. *Progeniem Veneris*. Julium Cæsarem Augustum, Tiberium Neronem, Drusum, etc., qui omnes, per Ænean, a Venere originem ducebant.



EPODON LIBER.

ODE I.

Ad Mæcenatem.

Illi ad bellum actiacum profecturo se offert comitem.

Ibis liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus; et te, vel per Alpium juga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges tuum labore quid juvem meo,
Imbellis, ac firmus parum?

Epodon. Est genitivus pluralis, a voce, epode, sive epodus : sic vocatur versus minor, qui majori subjungitur, et quasi supercanitur.

1. *Ibis*, *etc.* O Mæcenas, iturus es ad bellum, et exiguis navibus cum vastis illis Antonii navigiis pugnaturus? — *Liburnis.* Subaudi navibus. — *Navium propugnacula.* Tales vocat Antonii naves, quæ, ut ait Florus, lib. 4, c. 11, turribus et tabulatis allevatæ, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum, ferebantur.

5. *Quid nos?* Subaudi faciemus : vel refer ad ea quæ sequuntur : quid nos? utrumne otium persequemur.

6. *Si contra.* Si tu superstes non sis.

7. *Utrumne*, *etc.* An lentus hic et otiosus manebo, ut jubes?

9. *An hunc*, *etc.* Ordo est : an laturi sumus hunc belli laborem, ea mente, qua ferre illum debet vir minime timidus? Statim respondet : Nos vero illum feremus, etc. Profitetur scilicet Horatius se cum Mæcenate vel longinquiora ac vel maxime periculosa loca petiturum.

11. *Alpium.* Alpes Galliam ab Italia dirimunt.

12. *Caucasum.* Est mons Scythiæ. vocatur *inhospitalis*, id est, non habitabilis, nempe ob glaciem et nives, etc.

13. *Vel occidentis usque*, *etc.* Id est, ad extremos usque occidentem versus Oceani terminos.

15. *Roges*, *etc.* Forsan a me petes, cui tibi sim usui futurus, etc. Respondet : Equidem te parum juvabo præsens; at minus tibi timebo.

Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet.
Ut, assidens implumibus pullis, avis
Serpentium allapsus timet,
Magis relictis; non, ut adsit, auxili
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum, in tuæ spem gratiæ;
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis;
Pecusve calabris, ante sidus fervidum,
Lucana mutet pascua;
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit : haud paravero,
Quod aut avarus, ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam nepos.

17. *Comes*. Si te comiter, minus tibi metuam præsens quam absens.

18. *Qui*. Qui metus.

20. *Allapsus*. Impetum.

21. *Relictis*. Si forte eos reliquerit. — *Ut adsit*. Quanquam sit præsens; licet incubet nido.

23. *Militabitur*. A me.

24. *In tuæ*, *etc*. Tuæ erga me benevolentiæ retinendæ et augendæ studio; non præmii aut mercedis consequendæ spe ductus.

27. *Pecusve calabris*, *etc*. Non ut pecus meum relinquat ante caniculam Calabriæ æstuosæ pascua, et in Lucaniam frigidiorem transmittatur. Quod facere solebant divites. Calabria est Italiæ regio, magis vergens in orientem et meridiem, quam Lucania.

29. *Nec ut villa*, *etc*. Nec ut villa mea candens, id est candido et nitenti lapide structa, ut villæ ditiorum, tangat, id est, tam longe extendatur ut attingat circæa mœnia Tusculi, hoc est, Tusculum, cujus conditor Telegonus, Circes filius, fuisse traditur.

32. *Haud paravero*. Non eas opes mihi quæram anxie et parabo.

33. *Chremes*. Senex avarus ab Terentio sæpe inductus in scenam. — *Premam*. Defodiam, abdam.

34. *Discinctus*. Dissolutus. — *Nepos*. Significat ea vox aliquando libidinosum hominem et prodigum.

ODE II.

Alphius fœnerator, quasi artis suæ pertæsus, laudat vitam rusticam; sed mox ad ingenium et institutum redit.

« Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,

1. *Procul negotiis*. Molesta negotiorum cura liberatus.

2. *Ut prisca gens*. Quo more antiquissimi homines vivebant.

Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci;
Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos;
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves.
Vel, quum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
Queruntur in silvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,

3. *Paterna*. Avita, non pretio conducta, etc.
4. *Solutus, etc.* Qui nec usuram pro mutua pecunia exigit ab alio; nec eam cuiquam debet.
5. *Neque excitatur, etc.* Neque militat, neque navigat. — *Classico*. Buccinarum ad arma vocantium sono, et signo. — *Miles*. Ipse militans.
7. *Forumque vitat*. Et litibus caret.
8. *Limina*. Quæ a parasitis, et adulatoribus teri solent. Non captat favorem divitum et nobilium, eos adeundo, salutando, etc.
9. *Adulta, etc.* Ramos vitium jam grandiores adjungit, et sociat arboribus altis, a quibus sustineantur.
10. *Maritat*. Ulmi, populi, et aliæ arbores, quum vitem juvant et sustinent, fiunt quasi fecundæ illius fructibus, quæ per se sunt steriles.
11. *Inutiles*. Steriles et supervacaneos.
12. *Feliciores*. Fertiliores, ex arbore meliori decisos.
13. *Reducta*. Semota, secreta.
14. *Prospectat*. Procul spectat. — *Errantes*. Pascentes.
15. *Pressa*. E favis expressa. — *Puris*. Purgatis, sinceris.
16. *Infirmas*. Natura enim sua imbecilles sunt oves.
17. *Decorum, etc.* Maturis fructibus quasi coronatum; sic enim pingebatur.
19. *Ut gaudet!* Quanta voluptate afficitur! — *Insitiva*. Ex insitione nata, ipsius manu inserta.
20. *Purpuræ*. Est in dandi casu: uvam de colore contendentem cum purpura.
21. *Qua muneretur*. Quam tibi, pro munere, offerat. — *Priape*. Erat Priapus hortorum deus: Silvanus vero, agrorum et silvarum.
22. *Finium*. Limitum, quibus agri finiuntur, et ab aliis separantur.
23. *Antiqua*. Annosa adeoque patula, umbrosa.
24. *Tenaci*. Quia multis fibris et radicibus terræ firmiter adhæret.
25. *Interim*. Dum ipse jacet sub arbore, aut in gramine.
26. *Queruntur*. Canunt.
27. *Obstrepunt, etc.* Strepitum edunt: qui strepitus somnos molles et lenes inducit, affert.

Somnos quod invitet leves.
At, quum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli;
Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos eois intonata fluctibus

29. *Tonantis*. Procellosi. — *Annus hibernus*. Hiems, tempestas hiberna. — *Jovis*. Aeris.

30. *Comparat*. Adducit, colligit.

31. *Multa cane*. Plurimis canibus.

32. *Plagas*. Retia densiora, maculis arctioribus distincta.

33. *Amite*. Est ames furca quædam, bacillum teres et politum, quo retia sustinentur. — *Rara*. Laxioribus foraminibus texta.

34. *Turdis edacibus dolos*. Dolus nempe turdis paratur esca vel illecebris appositis, cujus cupiditate allecti in insidias incidunt.

35. *Advenam*. Peregrinam, transmarinam.

36. *Jucunda præmia*. Appositio, qui turdi, lepores, grues, sunt dulcia laboris et aucupii præmia.

37. *Quis non, etc*. Quis inter istas occupationes non obliviscatur facile malarum curarum, quas amor habet?

39. *In partem*. Pro sua parte.

41. *Perusta solibus*. Nigra, ob sudorem collectum ruri, dum opus facit sub dio.

42. *Pernicis*. Velocis, agilis, strenui.

43. *Sacrum*. Vestæ sacrum, vel diis Penatibus, quorum statuæ circa focum erant positæ.

44. *Sub adventum*. Paulo antequam vir domum fatigatus redeat.

45. *Textis cratibus*. E vimine: septis vimineis. — *Lætum*. Bene pastum, luxurians saliensque ob bonam corporis habitudinem.

46. *Distenta*. Plena. — *Siccet*. Mulgeat.

47. *Horna vina*. Ejusdem anni.

48. *Inemptas*. Natas domi; non comparatas pecunia.

49. *Non me, etc*. Ordo est: non magis me juverint, me delectaverint, non mihi profecto erunt gratiora conchylia; id est, pisces conchis inclusi, ut ostrea, etc. — *Lucrina*. Id est, capta in lacu Lucrino, qui est in sinu Baiano, contra Puteolos, prope lacum Avernum.

50. *Rhombus*. Piscis latus, et magni tunc pretii, *un turbot*: ut et scarus, *un sarget*.

51. *Si quos, etc*. Pisces enim illi non nisi ex Asiæ Græciæque oris usque ad Siciliam reperiebantur; nec ullus in Tuscum mare descendebat, nisi tempestate aliqua totum mare verteretur.

Hiems ad hoc vertat mare;
Non afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido;
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares! »

Hæc ubi locutus fenerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam;
Quærit kalendis ponere.

53. *Afra avis.* Gallina numidica. *Une poule de Numidie, une pintade.*

54. *Attagen.* Quidam gallinam silvestrem asiaticam, *une gélinote de bois:* alii perdicem esse volunt, *une perdrix.* — *Ionicus.* Ex Ionia, Asiæ provincia, advectus.

57. *Lapathi.* Lapathum, sive rumex, salubris herba, *de l'oseille.* — *Gravi.* Distento; alvo pigræ et moranti.

59. *Terminalibus.* Erant Terminalia festa dei Termini, *la fête des bornes ou du dieu Terme.*

61. *Ut juvat.* Quam suave est, quantum delectat.

63. *Vomerem.* Vomer, *le coutre, le fer de la charrue,* est ferrum in imo aratro positum, quo scinditur humus. — *Inversum.* Supinum. Aratrum, quum reportatur, ita invertitur, ut quæ pars ima erat, nempe vomer, fiat summa et exstet: stiva autem, seu manubrium aratri, terram verrat.

65. *Vernas.* Servos domi natos. — *Positos.* Accumbentes ad mensam, vel assidentes foco. — *Examen.* Turbam.

66. *Circum, etc.* Circa domum nitentem et mundam: vel, circa focum ubi erant Lares.

69. *Relegit.* Collegit a debitoribus, apud quos eam magno fenore collocaverat; ut scilicet agros et rusticam supellectilem compararet.

70. *Quærit, etc.* Mutato consilio, quærit *ponere*, hoc est, rursum locare fœnori, redactam ante dies quindecim, nempe idibus, pecuniam.

ODE III.

Ad Mæcenatem.

Allium detestatur, quod imprudens, quum apud Mæcenatem cœnaret, gustaverat.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni sævit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc Jasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.

1. *Si quis, etc.* Si quisquam patris sui jam senis fauces per summam impietatem eliserit.

3. *Edat.* Legunt aliqui, *edit*, ex antiqua subjunctivi forma *edim, is, it*, pro *edat*, antique, ut *duim*, pro *dem*. —*Cicutis*. Cicuta, *de la ciguë*, est herba frigidissimi succi, ideoque pestiferi.

4. *Messorum*. Qui tali cibo, id est allio, vescantur impune.—*Ilia*. Viscera.

5. *Quid hoc, etc.* Quid hoc veneni est, quod genus veneni, quod male me habet, et mea torquet viscera? Quasi allium venenum esset.

7. *Fefellit.* Latuit, fugit.

8. *Canidia*. Mulier venefica. — *Tractavit*. Ut illis aspergeret virus.

9. *Ut*. Postquam. — *Argonautas*. Erant illi viri fortissimi, Jason, Hercules, Theseus, etc., qui, ut vellus aureum exportarent e Colchide, navim Argo, a qua nomen traxere, conscenderunt.

10. *Mirata est, etc.* Unum præ ceteris Argonautis amavit.

11. *Tauris, etc.* Aureum vellus a tauris duobus ignivomis servabatur: quos ut Jason domaret, illum Medea certis herbis ac venenis perunxit. — *Ignota juga*. Aratrum, quod nunquam passi fuerant.

12. *Perunxit hoc*. Scilicet allio.

13. *Hoc, etc.* Eadem Medea, Creusam, sive, ut alii volunt, Glaucam, Creontis regis Corinthi filiam, novam Jasonis conjugem ulta *donis delibutis*, id est imbutis, tinctis hoc allio, fugit in curru tracto ab alatis serpentibus, et avolavit. — *Donis*. Veste, corona, monilibus, quæ Creontis filiæ deferri Medea jusserat.

15. *Siderum vapor*. Æstus creatus a vaporibus, quos sol et alia sidera colligunt e terra.

17. *Nec munus humeris, etc.* Nec tanto æstu fortis olim Hercules per vestem a Dejanira acceptam correptus est, quanto ego nunc per pestiferum, quod sumpsi, corripior allium. — *Munus*. Palla, vestis Centauri Nessi sanguine imbuta. — *Efficacis*. Laboriosi.

18. *Inarsit humeris*. In humeris arsit.

ODE IV.

In Mænam.

Mænam, Pompeii magni libertum, insectatur.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam,
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
« Sectus flagellis hic triumviralibus,
Præconis ad fastidium,
Arat falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet!
Quid attinet tot æra navium gravi

1. *Sortito.* Fatali necessitate ; natura.

2. *Tecum mihi.* Tanta mihi tecum discordia est.

3. *Ibericis funibus.* Quia spartum optimum, ex quo fiebant funes, ab Hispania petebatur. — *Peruste, etc.* Qui latus habes perustum, concisum loris.

6. *Fortuna, etc.* Non facit fortuna felix, et potentium gratia, ut servus non fueris.

7. *Metiente, etc.* Ironice : incedente composito gradu per viam Sacram, cum toga, cujus syrma (id est cauda), sex ulnas longum est. *Sacra via*, ita dicta est a maximo Romæ templo, nempe Jovis Capitolini, quo ducebat. — *Toga.* Homines luxuriosi et divites togam laxam et amplam, tanquam opulentiæ insigne, gestabant.

9. *Ora vertat, etc.* Ut cives huc et huc euntes, ultro citroque commeantes, in te ora convertant.

10. *Indignatio.* Excitatur hic animi affectus in eos, quibus bene est immerentibus et indignis.

11. *Sectus flagellis, etc.* Sunt verba transeuntium in vanum nostrum hominem. — *Triumviralibus.* Triumviri capitales, tres erant judices, qui judicia de servis et libertis exercebant.

12. *Præconis, etc.* Quum aliquis publice pœnam flagitii luebat, addebatur præco, *un crieur public,* qui supplicii causam ediceret, ceteros admoneret.

13. *Falerni.* Ubi vites, et segetes optimæ, in Campania.

14. *Appiam.* Subaudi viam, per quam in suum prædium falernum itabat. — *Mannis.* Equis parvulis, et velocibus.

15. *Sedilibusque, etc.* Amphitheatrum locus erat, in quo spectabantur ludi : ejus pars theatro proxima, orchestra dicebatur, et addicta senatoribus erat : ordines quatuordecim, sive gradus inde retro, sepositi erant equitibus, eorumque duo primi tribunis, quos inter Mænas numerabatur.

16. *Othone contempto.* Quia L. Roscius Otho lege sanxerat, ne quis libertus, aut libertinus, sederet in quatuordecim primis ordinibus.

17. *Quid attinet, etc.* Quid expedit tanto apparatu classem instruere contra

Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum ? »

latrones, id est piratas (quos Sextus Pompeius in Sicilia armaverat) et servos, si apud nos Mænas, servus ipse, ad tribuni militum honores evehitur. — *Ora navium gravi*. Id est rostra navium gravis æris pondere munita. Alii legunt *æra*.

ODE V.

In Canidiam veneficam.

Puer a Canidia dire interfectus.

« At, o deorum quidquid in cœlo regit
Terras et humanum genus!
Quid iste fert tumultus ? et quid omnium
Vultus in unum me truces ?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua ? »

Ut hæc trementi questus ore, constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora ;
Canidia, brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,

1. *At, o, etc.* Pueri voces. *At*, servit iracundiæ, et perturbationi significandæ.

3. *Quid iste, etc.* Quid sibi vult tumultus iste ? Videbat enim puer in rebus magicis apparandis huc et illuc discurrentes veneficas.

5. *Te precor*. Canidiam alloquitur, ut principem ceterarum. — *Si vocata, etc.* Si vere mater es ; si quos filios aliquando peperisti. Juno Lucina invocabatur a parturientibus.

6. *Veris partubus*. Nam veneficæ partum simulabant, quum alienos pueros raperent.

7. *Purpuræ decus*. Togam prætextam purpura significat, hoc est, limbo purpureo insignem.

8. *Per improbaturum, etc.* Te rogo per ipsum Jovem, qui tuam in me crudelitatem ægre feret.

10. *Petita ferro*. Percussa : feræ a venatoribus ictæ sæviunt.

11. *Constitit*. In medio posita est.

12. *Insignibus raptis*. Toga prætexta et bulla detractis.

13. *Impube corpus*. Qui puer erat corpus impube, id est, qui nondum annos pubertatis, nempe quatuordecim attigerat.

14. *Thracum*. Thraces feritatis nomine male audiebant.

15. *Implicata, etc.* Habens crines implicatos viperis, ut Furia.

17. *Caprificos*. Caprificus est ficus silvestris et sterilis, *un figuier sauvage*, nunquam florens, nunquam fructu maturescens, adeoque merito inter infelices arbores numerata. Hæc ad veneficia et

Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque quas Iolcos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri colchicis.
At expedita Sagana, per totam domum
Spargens avernales aquas,
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo;
Quum promineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora;
Exsucta uti medulla, et aridum jecur
Amoris esset poculum;
Interminato quum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis

incantationes ut valeret, eruenda manu erat, non secanda ferro, item e sepulcretis erat petenda.

20. *Strigis*. Strix est avis nocturna et mali ominis, sic dicta quod per tenebras strideat : *une chouette*.

21. *Iolcos*. Civitas Thessaliæ. Erat autem omnis Thessalia sagis, et veneficiis infamis. — *Iberia*. Regio prope Pontum Euxinum, in Asia.

23. *Jejunæ canis*. Salivæ animalium jejunorum, maxime canum, aiunt inesse virus quoddam, quo imbuatur, si quid ore tum attrectaverint.

24. *Flammis, etc.* Flammis eo ritu paratis quo Medea solita olim erat apud Cholchos calefieri, et simul concoqui.

25. *Expedita*. Agilis, accincta. — *Sagana*. Nomen sagæ et veneficæ, comitis Canidiæ.

26. *Avernales aquas*. Petitas ex Averno, lacu Italiæ, in Campania, per quem iter ad inferos patere credebant.

27. *Horret*. Horrida est adspectu. — *Asperis*. Subrectis; ut echinus marinus, *un hérisson*.

28. *Currens*. Furens.

29. *Abacta, etc.* Veia, alia venefica, nulla sceleris tanti diritate perculsa, et ab incepto abacta, id est, deterrita.

31. *Exhauriebat*. Ut scrobem faceret, in quam puer mento tenus immitteretur. — *Ingemens, etc.* Anhelans graviter, ob laborem quem capiebat in humo egerenda.

32. *Quo*. In eum finem, ut puer, etc.

33. *Longo die*. Toto die; qui sane longus famelico videbatur.

34. *Inemori, etc.* Emori in spectaculo, in spectanda dape, quæ bis, terque mutata, apponeretur illi ob oculos : ita tamen ut ea vesci, eam attingere non posset.

35. *Promineret, etc.* Exstaret e fossa, quantum natantes ex aqua, qui mento tenus sub ea sunt, seque sic suspensos, et mento tenus exstantes sustinent.

37. *Exsucta*. Fame exsiccata.

38. *Esset poculum*. Serviret conficiendo poculo, et veneficio ad amorem excitandum.

39. *Interminato, etc.* Vetito, prohibito : ab verbo *interminari*, id est, vetare, interdicere.

40. *Intabuissent pupulæ*. Oculi ejus contabuissent, id est, quum periisset.

41. *Non defuisse*. Cum Canidia, Sa-

Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;
Quæ sidera excantata voce thessala,
Lunamque cœlo deripit.
Hic irresectum sæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? « O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, et Diana, quæ silentium regis,
Arcana quum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste! nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite!
Formidolosæ dum latent silvis feræ,
Dulci sopore languidæ,
Senem (quod omnes rideant) adulterum
Latrent suburranæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarint manus....
Quid accidit? cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent?
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?

gana, et Veia adfuisse. — *Masculæ, etc.* Supra morem feminarum libidinosam, ad flagitia audaciorem ipsis viris.

42. *Foliam.* Nomen est veneficæ. — *Ariminensem.* Oriundam Arimino, urbe Italiæ, ad sinum Adriaticum. *Rimini.*

43. *Otiosa.* Neapolitani otio delectari jactabantur. — *Neapolis.* Urbs Italiæ pulcherrima, *Naples*, ad mare Tyrrhenum, paulo infra Romam.

45. *Excantata.* Certis incantationibus vexata et labefactata. — *Voce thessala.* Magica, quali Thessali utebantur.

46. *Deripit.* Detrahit.

47. *Hic.* Tunc. — *Irresectum.* A longo tempore non sectum.

48. *Pollicem.* Unguem pollicis.

49. *Quid tacuit, etc.* Quid non dixit? — *Rebus.* Consiliis, veneficiis.

50. *Arbitræ.* Testes, consciæ. Oratio Canidiæ.

51. *Diana, etc.* Luna, quæ silenti nocti præsides.

52. *Arcana, etc.* Sacra magica significat, quæ noctu fiunt.

53. *In hostiles domos.* In Varum qui mea veneficia et maleficia ridet securus et potentiori venefica fretus.

55. *Formidolosæ.* Formidandæ.

57. *Senem, etc.* Sententia est: Facite ut Varum, senem libidinosum, quod merito omnes ridere debent, latrent canes suburranæ, quum ad me properabit. Erat *Suburra* vicus Romæ, in quo meretrices vulgo degebant.

59. *Nardo, etc.* Unguento odorato delibutum confecto e nardi succo.

61. *Quid accidit, etc.* Quid in causa est cur veneficia quæ hactenus in Varum adhibui fuerint irita? — *Cur dira, etc.* Cur mea venena, similia venenis et succis magicis quibus olim usa est Medea, minus valent quam sperabam? — *Barbaræ.* Externæ.

63. *Quibus superbam.* Creusam potentem et superbi regis filiam. Vide oden 3 hujus libri.

65. *Palla.* Vestis, longo syrmate. — *Tabo.* Veneno, succo magico. Tabum proprie est sanguis corruptus. — *Novam nuptam.* Creusam; quæ, ubi vestem induit dono sibi a Medea datam, subitis et exstingui nesciis ignibus deflagravit.

Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah! ah! solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres : nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum;
Priusque cœlum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus. »

Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed, dubius unde rumperet silentium,
Misit thyesteas preces:
« Venena, magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos : dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram Furor,

67. *Asperis locis.* Montibus inaccessis.

68. *Fefellit me.* Latuit, præterita et neglecta est.

71. *Solutus.* Expeditus vinculis amoris : nullam amans, me spernens.

72. *Potionibus.* Nempe confectis e medulla et jecore hujus pueri.

74. *O multa fleturum!* Quam graves mihi pœnas dabis!

75. *Nec vocata*, *etc.* Neque ad mentem saniorem recipere te poteris, ac meum amorem excutere, ullo carmine magico. — *Marsis.* Pro quibusque carminibus magicis. *Marsi* ut serpentium venenatorum domitores præcipue celebrantur.

78. *Fastidienti.* Tibi, qui me aspernaris.

79. *Sidet.* Subsidet, descendet infra terras ac mare.

80. *Tellure*, *etc.* Ita ut terra super cœlum et mare porrigatur, attollatur, et ita omnia confundantur.

82. *Bitumen.* Est limus quidam tenax, odoris sulphurei, ad ignem concipiendum et alendum peridoneus.

83. *Sub hæc*, *etc.* Post hanc orationem Canidiæ, quum jam esset defossus puer, cœpit ille non jam lenibus verbis eas mollire, etc.

85. *Sed dubius*, *etc.* Adeo erat perturbatus et inops animi.

86. *Thyesteas.* Diras, plenas imprecationis et furoris, qualibus Thyestes fratrem suum Atreum insectatus est.

87. *Venena*, *etc.* Venena, id est, magicæ artes, valent quidem pervertere et confundere magnum fas et nefas, id est, æquum et iniquum, jus et injuriam; sed non valent efficere, ut id quod debetur hominibus, et iis pro virtutis et vitii præmio et vice rependendum est, ipsis non eveniat, etc.

89. *Diris*, *etc.* Persequar vos nunc diris imprecationibus.

92. *Furor.* Instar Furiæ nocturnæ, vobis occurram, vos vexabo.

Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis deorum est Manium;
Et inquietis assidens præcordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos turba, vicatim hinc et hinc saxis petens,
Contundet obscenas anus.
Post insepulta membra different lupi,
Et esquilinæ alites;
Neque hoc parentes, heu! mihi superstites,
Effugerit spectaculum. »

93. *Petam vultus*. Involabo in ora vestra.

94. *Quæ vis, etc*. Quod facere dii Manes possunt, nempe excitare et immittere ultrices umbras, ut illæ sceleratos persequantur. Vel, quod facere mortui possunt. *Manes* sæpe sumuntur pro animabus mortuorum, et vim quamdam divinam habere credebantur, maxime ut eos exagitarent, a quibus interfecti forent.

95. *Et inquietis, etc*. Et vestra præcordia vellicans, non secus ac ille additus Prometheo vultur.

97. *Turba*. Populus. — *Vicatim*. Per singulos vicos.

98. *Contundet*. Occidet.— *Obscenas* Squalidas, turpes.

99. *Post*. Postea, ad extremum, quum exspiraveritis. — *Different*. Dissipabunt, huc illuc spargent membra vestra: insepultæ jacebitis; quæ pœna censebatur apud veteres esse maxima.

100. *Alites*. Corvi, vultures; quæ aves convenire solebant in Esquilias, *les Esquilies*, unum e septem Romæ montibus.

101. *Neque hoc parentes, etc*. Parentes autem mei, tristi meo fato superstites, de hac gratia scelestis veneficis relata gaudebunt.

ODE VI.

In Cassium Severum.

Cassium Severum, oratorem maledicum, vehementer increpat.

Quid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut molossus, aut fulvus lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas, aure sublata, nives,
Quæcumque præcedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,

1. *Quid immerentes, etc*. Cur hospites insectaris, nihil mali meritos?

2. *Ignavus*. Imbecillis et nullius animi contra eos, qui te mordere possunt.

3. *Quin huc, etc*. Quin me, ut ceteros, accusas, aut insectaris?

5. *Molossus, etc*. Molossia regio est Epiri; Laconia, Peloponnesi: utraque bonis canibus abundans.

6. *Amica vis, etc*. Qui canes amici et optati sunt pastoribus.

7. *Agam, etc*. Quæcumque fera præcedet, illam agam et sectabor, etc.

9. *Tu quum, etc*. Tu, quum conviciis et carmine maledico aliquem es insectatus, pretio tibi oblato, latrare desinis.

Projectum odoraris cibum.
Cave, cave! namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

10. *Cibum*. Munera significat, quibus Cassius corruptus sæpe fuerat.

12. *Tollo cornua*. Sumitur a tauris metaphora. Erecto sum capite, et ad pugnam semper instructo.

13. *Qualis, etc*. Ordo est: sum talis in maledicos, qualis Archilochus in socerum suum Lycambem, qui suam illi filiam spoponderat, nec dedit. Archilochus autem iamborum acerbitate socerum infidum adegit ut se laqueo suspenderet.

14. *Aut acer, etc*. Hipponax poeta, quum a Bupalo pictore pictus ridiculum in morem fuisset, in eum distrinxit stylum, et hominem eo adegit, ut sibi manus violentas afferret.

15. *Atro dente*. Maledicis versibus.

16. *Inultus ut*. Transpositio: an flebo ut inultus puer.

ODE VII.

Ad Romanos.

Civile bellum, a Sexto Pompeio, Magni filio, instauratum, detestatur.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque neptuno super
Fusum est latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via;
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs hæc periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Nunquam, nisi in dispar, feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date.
Tacent, et ora pallor albus inficit,

1. *Quo scelesti ruitis?* Quo rapi vos patimini vestris sceleribus, o cives?

2. *Conditi*. In vaginas jam abditi.

3. *Campis atque neptuno*. Terra marique.

5. *Invidæ*. Quia Romæ erat æmula.

7. *Intactus*. Nondum Romanorum armis domitus.

9. *Secundum, etc*. Ut maxime Parthi, Romanis semper infensi, cupiunt.

10. *Sua dextera*. Suis manibus, id est bellis civilibus.

11. *Neque hic, etc*. Ordo et sensus sunt: neque lupis, neque leonibus feris fuit usquam iste mos, nempe sæviendi, nisi in dispar, subaudi genus: nunquam sæviunt lupi in lupos, etc.

13. *Vis acrior*. Fatalis quædam necessitas.

14. *An culpa?* Cujus pœna sit iste civilis furor.

Mentesque perculsæ stupent.
Sic est : acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis ;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

17. *Sic est, etc.* Causam rejicit et in fata, et in cædem Remi, cujus sceleris pœnas Romani luant. — *Agunt.* Vexant, ad civile bellum instaurandum impellunt.

19. *Ut.* Postquam.

20. *Sacer.* Exitialis, funestus.

ODE VIII.

Ad Mæcenatem.

Victoriam Augusti de Antonio et Cleopatra celebrat.

Quando repostum cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo,
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac dorium, illis barbarum ;
Ut nuper, actus quum freto neptunius
Dux fugit, ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis?
Romanus (eheu! posteri negabitis!),
Emancipatus feminæ,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest;
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopeum!

1. *Repostum, etc.* Servatum in secretiore loco, et sepositum ad celebrandum diem aliquem festum genialibus epulis.

2. *Victore Cæsare.* In prælio navali apud Actium.

3. *Jovi gratum.* Auctori nimirum hujus victoriæ.

5. *Sonante, etc.* Mixtis ad canendum cum lyra tibiis.

6. *Hac.* Lyra. — *Illis.* Tibiis. — *Dorium, barbarum.* Dorius modus erat gravior et lentior : phrygius ex acuto et gravi mixtus, ac proinde lætior paulo, et sonantior, temperatus tamen ; ita ut duæ quæ hic adhibentur ab Horatio tibiæ, non obruant lyram, sed cum ea gravius lentiusque pulsata belle concinant.

7. *Ut nuper.* Subaudi tecum bibi, tecum epulatus sum. — *Actus freto.* Pulsus mari siculo.

8. *Dux neptunius.* Sextus Pompeius, qui, quum mari feliciter uteretur, Neptuni filius appellari volebat : ab Augusto navali pugna victus et oppressus est in freto siculo.

10. *Servis.* Pompeius filius exercitum e servis conflaverat.

11. *Romanus, etc.* Romanus miles, qui sequitur Antonium, Cleopatræ obnoxius et isti feminæ instar mancipii inserviens.

13. *Vallum.* Vallus est palus, seu stipes, quo utuntur ad munienda castra ; *vallum* est ipsa munitio. — *Spadonibus.* Cleopatræ comitibus et administris.

16. *Conopeum.* Velum quo molles Ægyptii utebantur ad arcendos culices.

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Cæsarem:
Hostiliumque navium in portu latent
Puppes sinistrorsum citæ.
Io triumphe! tu moraris aureos
Currus, et intactas boves?
Io triumphe! nec jugurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum;
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et chia vina, aut lesbia,
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis cæcubum.
Curam metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci lyæo solvere.

17. *Ad hunc*. Contra Antonium. Alii legunt *ad hoc*, id est propter hoc indignantes. — *Verterunt*. Converterunt frementes equos, nempe ab eo ad Cæsarem transfugientes.

18. *Canentes Cæsarem*. Cæsaris nomen iterantes festis vocibus; ut solent qui regem adeunt: *Vivat Cæsar!*

19. *Hostiliumque, etc.* Et in actiaco portu latent puppes hostilium navium, sitæ ad sinistram, id est, respicientes Ægyptum, quæ est ad sinistram portus actiaci, ut Italia ad dexteram.

20. *Citæ*. Veloces et expeditæ ad fugam sinistro mari capiendam.

21. *Io triumphe!* Triumphum quasi personam alloquitur. Propera, triumphe, expedi currus aureos, profer victimas.

22. *Intactas boves*. Nondum aratro subditas juvencas.

24. *Ducem*. Nempe Marium, qui de Jugurtha triumphavit. Vide od. I, lib. 2.

25. *Neque, etc.* Neque Scipionem Africanum ducem parem Augusto reportasti. Intelligit Africanum minorem, qui, eversa Carthagine, videtur in ejus ruinis sepulcrum omni monumento gloriosius invenisse.

27. *Terra*. Terrestrem Antonii exercitum ducebat Canidius; is ad Cæsarem, septimo post fugam Antonii die, defecit. — *Punico, etc.* Est hypallage: hostis victus mutavit puniceum, seu purpureum et coccineum sagum, lugubri, nigro, etc.

29. *Cretam*. Insulam e regione maris ægæi, *Candie*.

30. *Non suis*. Non faventibus, inimicis.

31. *Exercitatas*. Vexatas. — *Syrtes*. Littoris libyci vada.

32. *Fertur*. Errabundus.

33. *Capaciores*. Affer huc grandiores et ampliores pateras.

34. *Chia, lesbia*. Ex insulis Chio et Lesbo, in ægæo mari.

35. *Vel, quod, etc.* Vel affer cæcubum, quod impediat nauseam; quia nempe cæcubum erat acre vinum et austerius.

37. *Curam, etc.* Quæ nos antea sollicitos habuit, quum in metu essemus, ob incertum belli exitum, et Cæsaris salutem fortunamque periculoso loco positam.

ODE IX.

In Mævium poetam.

Ei tempestatem ac naufragium imprecatur.

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari,
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes illices;
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur æquore,
Quam graia victorum manus,
Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces et aversum ad Jovem,
Ionius udo quum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima quod si præda, curvo littore
Porrecta, mergos juveris,
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

1. *Mala alite.* Malis ominibus. — *Exit.* E portu, solutis rudentibus.

2. *Olentem.* Fetidum, grave olentem. — *Mævium.* Poetam insulsum et ineptum.

3. *Latus.* Navis.

5. *Inverso.* Susque deque verso et agitato.

6. *Differat.* Dissipet, jactet.

7. *Quantus.* Tam vehemens, quam esse solet, quum frangit ilices.

9. *Atra.* Tenebrosa, opaca, sine lunæ lumine.

10. *Orion.* Signum procellosum, de quo sæpe antea.

12. *Quam graia, etc.* Græci, quum e bello trojano victores patriam repeterent, sæva tempestate jactati sunt prope Eubœam insulam, ac præter ceteros, Ajax, Oilei filius; quem Pallas fulmine percussit, irata quod suum templum ille impius temerasset.

13. *Usto ab Ilio, etc.* Irata erat Trojanis, ob judicium Paridis.

14. *Impiam ratem.* Pro, impii Ajacis ratem.

16. *Luteus.* Flavus, flavos efficiens.

17. *Non virilis.* Feminea: ignavi gemitus, quos media in tempestate mittes.

18. *Aversum.* Tibi infensum, non auditurum.

19 *Ionius sinus.* Mare ionium alluit Græciam ab occasu, inter Siciliam et Cretam. — *Sinus Noto remugiens.* Id est, mare procellosum, et a ventis agitatum.

21. *Opima, etc.* Quod si eveniat ut naufragio pereas. *Mergi* sunt aves quædam marinæ: *des plongeons.*

22. *Juveris.* Paveris.

24. *Agna.* Hæc nigra vulgo erat, quum sacrificabatur Tempestati, aut Hiemi. Virg. *Æn.* lib. 3. *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.*

ODE X.

Ad amicos.

Illos, ut per hiemem genio indulgeant, invitat.

Horrida tempestas cœlum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem : nunc mare, nunc siluæ
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die; dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cetera mitte loqui : deus hæc fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et achæmenia
Perfundi nardo juvat, et fide cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
« Invicte, mortalis dea nate, puer, Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ
Rupere; nec mater domum cærula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis. »

1. *Cœlum contraxit.* Nubes in cœlo contraxit, coegit.

2. *Deducunt.* In terram trahunt. — *Jovem.* Aerem. — *Siluæ.* Sic legendum, non silvæ, ad metri mensuram. Trisyllabum est hoc in versu.

3. *Threicio.* Aquilone vento frigidissimo, e Thracia flante, quæ est ad septentrionem Italiæ.

4. *Occasionem.* Comessandi. — *De die.* Hoc ipso die oblatam : luce palam rapiamus, et ipsi diei extorqueamus. — *Virent genua.* Dum valetudo, et ætas juvenilis favet.

5. *Senectus.* Pro mœrore et tristitia hic sumitur, ut sæpe.

6. *Tu.* Unum aliquem ex amicis compellat. — *Move, etc.* Deripe ex horreo, vel apotheca. — *Pressa.* Expressa ex uvis, fusa in amphoras. — *Torquato consule meo.* Sub quo nempe sum natus, anno U. C. 689.

7. *Mitte.* Omitte sermones molestos de ceteris rebus. — *Deus hæc fortasse, etc.* Ea, quæ nunc animum tuum cruciant, grata fortasse deus vicissitudine seu mutatione in pristinum statum revocabit

8. *Achæmenia.* Persica : Achæmenes rex Persarum fuit.

9. *Nardo.* Unguento pretiosissimo. — *Fide.* Lyra. *Fides, fidis,* proprie est nervus, seu chorda lyræ. — *Cyllenea.* Sic dicta ab ejus inventore Mercurio, in Arcadiæ monte Cyllene nato.

11. *Grandi alumno.* Achilli. — *Centaurus.* Chiron, ejus præceptor et moderator.

13. *Te manet, etc.* Iturus es aliquando Trojam, in qua regnavit olim Assaracus, Trois alter filius, avus Anchisæ : alter autem Trois filius fuit Ilus, a quo trojani reges propagati, Laomedon, Priamus.

14. *Scamander, Simois.* Troadis flumina.

15. *Certo subtemine.* Certo filo, quod secare decreverunt, priusquam redeas.

16. *Mater Cærula.* Thetis.

17. *Illic.* Ad Trojam in castris.

18. *Dulcibus, etc.* Est appositio : quod vinum, qui cantus, sunt dulcia alloquia, id est solatia deformis ægrimoniæ, hoc est, tristium curarum. *Allocutio* pro consolatione apud Latinos interdum sumitur : *alloqui*, pro consolari.

ODE XI.

Ad populum romanum.

Eum hortatur ut Romam, bellis civilibus semper æstuantem, relinquat, et in insulas Fortunatas commigret.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Annibal,
Impia perdemus devoti sanguinis ætas,
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quæque carent ventis et solibus, ossa Quirini
(Nefas videre!) dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum

1. *Altera ætas.* Prima civilium bellorum ætas dici potest ea quæ Marium, Syllam, etc., tulit: altera quæ Pompeium, ejus filios, et Antonium, etc. — *Teritur.* Consumitur, traducitur.

3. *Quam neque, etc.* Pendet hoc a versu 9. Nos perdemus Romam, quam neque Marsi, etc. — *Marsi.* Italiæ populi fuere: qui, quum jus civitatis sibi promissum obtinere non possent, adjunctis sibi finitimis Romæ populis, bellum sociale, sive marsicum, conflaverunt.

4. *Porsenæ.* Porsena, rex Etruscorum, conabatur Tarquinium Superbum, ejectum Roma, restituere.

5. *Æmula, etc.* Capua urbs erat nobilissima in Campania romana, Romæ prope par (*Capoue*). — *Spartacus.* Servile bellum movit.

6. *Allobrox.* Allobroges, populi Galliæ, rebus novis et Catilinæ favebant: itaque merito inter hostes gravissimos romanæ reipublicæ numerantur.

17. *Germania.* Pæne Romam deleverunt Cimbri et Teutones; eos Marius profligavit. — *Cærulea.* Cæruleis oculis. — *Pube.* Juventute, militibus.

8. *Parentibus.* Quorum liberos tam multos interemit. — *Abominatus.* Invisus, detestabilis.

9. *Impia ætas.* Nos impii, et impio sæculo nati.

10. *Rursus, etc.* Tellurem hanc, ut ante Romam conditam, feræ habitabunt.

11. *Barbarus, etc.* Barbari, post victoriam de nobis partam, incensæ urbis cineres calcabunt.

13. *Quæque, etc.* Et Romuli tumulum tectum et clausum aperiet: cineres ejus in ventos dividet.

14. *Nefas videre.* Religio erat, apud veteres, tumulos effodere, ossa scrutari et dissipare.

15. *Forte quid, etc.* Forte quæritis, o cives, communiter, id est, omnes universe, aut melior, seu, major pars vestri, quid expediat, quid opus facto sit, carere, id est, ad carendum malis laboribus, ut careatis bellis civilibus.

17. *Phocæorum.* Phocæa civitas Ioniæ fuit; quam quum obsiderent Persæ, Græcis infesti, cives navibus deos et conjuges imposuere, ac nunquam redituri, profugerunt in eam Galliæ partem, ubi nunc est Massilia.

Velut profugit exsecrata civitas
Agros, atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit, et rapacibus lupis,
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus matina laverit cacumina;
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvio;
Credula nec fulvos timeant armenta leones;
Ametque salsa lævis hircus æquora.
Hæc, et quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter et volate littora.
Nos manet Oceanus circumvagus; arva, beata

18. *Exsecrata.* Diris exsecrationibus et imprecationibus usa; vel, lares et agros suos detestata, diris devovens, profugit.

19. *Fana.* Templa: ea deseruit a feris incolenda.

21. *Ire, pedes, etc.* Prævaleat hæc sententia, nempe ire, etc.

23. *Suadere.* Quod suadeat. — *Secunda alite.* Bonis ominibus.

25. *In hæc, etc.* In hæc verba. Ita juramentum concipiamus: nimirum ne sit nefas redire, hoc est, vela facere ac in patriam reverti, simul ac saxa, quæ sunt imo in mari, renaverint, emerserint, imis vadis, id est, fluctibus.

28. *Padus.* Italiæ fluvius: *le Pô.* *Matinus* est mons Calabriæ. Fieri autem nequit, ut Padus supra illum montem attollatur.

29. *Apenninus.* Mons per Italiam mediam a septentrione in meridiem porrectus; atque adeo hinc inde a mari disjunctissimus.

30. *Novaque, etc.* Et amor mirus junxerit nova et inaudita libidine monstra, id est, feras disparis generis, tigres cervis, columbas milviis.

33. *Credula.* Quando armenta adeo fuerint credula, ut non timeant leones.

34. *Lævis, etc.* Sine pilis sit hircus, qui natura pilosus et hirsutus est.

35. *Hæc, et quæ, etc.* Eamus, omnis civitas, omnes cives, postquam adhibuimus istas jurandi, et exsecrandi reditum, formulas, aliasque consimiles, quæ nos a redeundo deterreant.

37. *Aut pars, etc.* Omnis civitas, aut pars ejus saltem sanior et melior, consultiorque indocili grege, id est, vulgo et plebecula, quæ, instar stupidi gregis, ratione duci nequit. — *Mollis, etc.* At quæ pars est mollis, delicata, quæ non tangitur spe fortunæ melioris, maneat in urbe, ubi otiose in cubilibus jaceat.

38. *Inominata.* Infausta, inauspicata. — *Perprimat.* Id est, valde premat.

40. *Etrusca.* Etruria est pars Italiæ, in medio, ad mare tyrrhenum. — *Præter et volate littora.* Celeri cursu mare tyrrhenum transvecti Oceanum versus navigate. *Volare* de celeri navium cursu dicitur.

41. *Manet.* Exspectat.

Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea;
Germinat et nunquam fallentis termes olivæ;
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus.
Nulla nocent pecori contagia; nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia.
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non huc argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Jupiter illa piæ secrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum,
Ære; dehinc ferro duravit sæcula, quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

42. *Arva beata*. Fortunatas insulas. Sunt illæ in mari Atlantico, non procul ab Hispania. In iis insulis videtur Homerus campos Elysios collocare : nunc vocantur, *les Canaries*.

43. *Cererem*. Fruges, segetes.

44. *Imputata*. Non amputata. — *Floret usque*. Semper.

45. *Termes*. Ramus semper feracis olivæ.

46. *Suamque*. Non insitam, naturalem. — *Pulla*. Nigricans; matura.

48. *Crepante pede*. Leniter, id est, cum leni murmure.

49. *Mulctra*. Vasa in quibus excipitur lac e pressis uberibus.

50. *Tenta*. Distenta, plena.

52. *Intumescit*. Ob latebras serpentium, sub terra delitescentium.

54. *Impotentia*. Vis immodica, et potentia exitialis.

56. *Arva radat*. Nimbi, et largiores pluviæ terram radunt et verrunt; non rigant, non insinuant ac influunt.

57. *Pinguia, etc*. Mirabimur quemadmodum calor et siccitas nimia non urat pinguia semina in sulcis arentibus, inter glebas siccas.

58. *Utrumque*. Aquas, et siccitatem.

59. *Non huc, etc*. Non huc venerunt Argonautæ, etc. — *Pinus*. Arbor, ex qua vulgo naves fabricantur, hic pro ipsa navi sumitur.

60. *Impudica Colchis*. Medea, cujus pater Æeta rex Colchidis fuit, quem per libidinem prodidit.

61. *Sidonii*. Sidon, urbs Phœniciæ, ad mare, commercio celeberrima. — *Cornua*. Scilicet antennarum, id est vela.

62. *Laboriosa*. Quæ multos labores pertulit.

64. *Ut*. Ex quo. — *Inquinavit ære*. Postquam ætatem auream mutavit ærea deteriore.

65. *Duravit*. Dura fecit, et æri ferroque similia.

66. *Piis*. Hominibus probis. — *Secunda*. Felix et auspicata. — *Vate me*. Me prædicente, ac spondente secuturam felicitatem.

ODE XII.

Ad Canidiam.

Veniam petit a Canidia venefica, cujus artem spreverat.

Jam jam efficaci do manus scientiæ,
Supplex et oro regna per Proserpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat
Unxere matres iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem;
Postquam, relictis mœnibus, rex procidit,
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei,
Volente Circe, membra; tunc mens et sonus
Relatus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque pœnarum tibi,

1. *Do manus.* Victum me fateor. — *Scientiæ.* Arti magicæ.

3. *Non movenda.* Non irritanda, non movenda ad iracundiam : erat enim Diana, et iracundior, et in peccantes acerba. Alii intelligunt, non ante oculos promovenda, secreto gaudentia.

4. *Valentium.* Quæ possunt.

5. *Refixa.* Detracta. His verbis, libros magicos et incantationes indicat. — *Devocare.* E cœlo in terras vocare et trahere.

6. *Parce, etc.* Noli me persequi et vexare carminibus tuis sacris, id est, magicis et diris.

7. *Retro solve, etc.* Retro age turbinem sive rhombum magicum, id est vi magica, qua nunc vincior, me solve. Incantatores frequentissime utebantur turbine sive rhombo, quem vittis involutum circumagebant.

8. *Nepotem Nereium, etc.* Achillem, genitum Thetide, filia Nerei. — *Telephus.* Mysorum rex; qui, quum Trojam petentes Græcos arceret Mysia, negaretque transitum, ab Achille vulneratus est : oraculo consulto, responsum fuit, eum ab eodem sanari tantum posse a quò vulnus accepisset : supplex igitur Achillem adiit, qui, decussa in vulnus Telephi hastæ suæ rubigine, hominem persanavit.

9. *Ordinarat.* In quem instruxerat exercitum.

11. *Unxere, etc.* Matres, id est, matronæ iliæ, trojanæ, unxerunt balsamo, et aromatis delibutum tumularunt cadaver Hectoris, *addictum*, id est, destinatum ab Achille vulturibus, feris.

13. *Rex.* Priamus : is corpus Hectoris ab Achille petiit et exoravit.

15. *Setosa, etc.* Porcina membra exuerunt.

17. *Sonus relatus.* Vox ipsis fuit reddita.

18. *Notus honor.* Humana facies et dignitas.

19. *Dedi, etc.* Satis me vexasti tuis magicis carminibus.

Amata nautis multum et institoribus.
Fugit juventas, et verecundus color
Reliquit ora pelle amicta lurida.
Tuis capillus albus est odoribus:
Nullum a labore me reclinat otium;
Urget diem nox, et dies noctem; neque est
Levare tenta spiritu præcordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque marsa dissilire nænia.
Quid amplius vis? O mare, et terra! ardeo
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec sicana fervida
Virens in Ætna flamma. Tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina colchicis.'
Quæ finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide pœnas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari. « Tu pudica, tu proba
Perambulabis astra, sidus aureum. »
Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina.

21. *Verecundus color, etc.* Rubicundus: rubor enim est verecundiæ et pudicitiæ color. Color vividus deseruit ora mea, quæ nunc sunt amicta lurida pelle et pallida.

22. *Amicta.* Vestita.

23. *Tuis odoribus.* Sic vocat ironice pharmaca et venena Canidiæ, a qua immissam sibi ante tempus senectutem queritur.

24. *Reclinat.* Solvit, liberat: quiescere enim solemus reclinati.

25. *Urget, etc.* Diem, molestiæ laborisque plenum, excipit laboriosa graviorque nox. — *Neque est, etc.* Neque licet spiritum ducere, libere respirare non possum, et pulmones fessos distentosque liberiori anhelitu relaxare.

27. *Ergo, etc.* Ordo est: ergo nunc miser vincor, id est, adducor ut credam negatum, hoc est, quod antea negabam: nempe carmina magica pectus increpare, id est, animos hominum perturbare, quatere, agitare.

29. *Dissilire.* Findi, frangi.—*Marsa nænia.* Magica incantatione.

32. *Nec sicana, etc.* Ordo est: ardeo, quantum non ardet sicana, id est, sicula flamma, virens in Ætna fervida. *Virentem* flammam appellat, quæ nunquam exstinguitur, et senescit. Alii legunt *vivens* vel *furens*.

33. *Tu donec, etc.* Tu, o Canidia (tanquam officina in qua fiunt igne multo venena colchica), nova et efficaciora in dies adhibes, quibus urere me miserum non cessas, donec in cineres solvar, et in ventos dissiper.

36. *Quæ finis?* Quem terminum statuis istis meis malis? — *Stipendium.* Pœna, redemptionis pretium.

37. *Jussas.* A te constitutas. — *Cum fide.* Fideliter.

38. *Expiare.* Subaudi crimen: te placare.

39. *Centum juvencos.* Sacrificium quod hecatomben Græci vocant. — *Mendaci lyra.* Falsis carminibus.

40. *Sonari.* Laudari.

41. *Perambulabis astra.* In cœlo a me collocaberis instar eximii sideris.

42. *Infamis, etc.* Sensus est: Castor, ejusque frater Pollux, offensi vice, id est, ignominiosa calamitate et sorte adversa Helenæ, sororis suæ, quam poeta Stesichorus infamem reddiderat, victi ta-

Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.
Tibi hospitale pectus, et puræ manus.

men et placati precibus ejusdem poetæ ac palinodia, illi reddiderunt visum, quo eum privaverant.

45. *Potes nam.* Nam id potes facile. — *Dementia.* Quam magicis tuis carminibus mihi attulisti.

46. *O nec, etc.* O Canidia, quæ neque ob parentum ignobilitatem infamis es, etc. — *Obsoletum.* Id proprie dicitur, quod vetus ac vietum est, atque adeo detritum et putridum.

47. *Nec in, etc.* Hæc omnia contrarium in sensum sunt accipienda, seu ironice dicta.

48. *Novendiales.* Significabit cineres per dies novem servatos : proprie enim novendiale est, quod novem diebus durat.

49. *Hospitale.* Mite in hospites, pium et humanum. — *Puræ.* Innoxiæ, puræ sceleris, nullius imbutæ sanguine.

ODE XIII.

Respondet Horatio Canidia se nunquam illi placatam fore.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et esquilini pontifex venefici,
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?

1. *Obseratis.* Clausis, surdis.

2. *Non saxa, etc.* Scopuli, qui a fluctibus iratis verberantur alto in mari, non sunt surdiores nautis nudis, id est naufragis, quam ego sum tibi.

3. *Salo.* Mari.

4. *Inultus, etc.* Tunc riseris impune nocturna, quæ fiunt Cotyttoni, sacra; in quibus liber Cupido dominatur? tunc postquam ea vulgavisti, inultus id feceris? — *Cotyttia.* Subaudi mysteria, sacrificia. Cotytto, sive Cotys, dea quædam fuit, impudicitiæ præses, apud Thracas et Græcos.

5. *Sacrum liberi, etc.* Nocturna quædam sacra, quæ magi et venefici omni licentiæ genere celebrabant. — *Liberi.* Effrenis.

6. *Et esquilini, etc.* Et quasi esses censor ac judex veneficiorum, quæ tractare soleo et peragere in Esquilino monte, et nocturnorum sacrificiorum, me tanquam infamem urbe tota cantaveris ac traduxeris? — *Pontifex.* Cura sacrorum et cognitio pertinebat ad maximum pontificem : quo nomine Canidia Horatium hic vocat, quia ausus erat sacra magica insectari, et exquirere. — *Venefico.* Extra portam Esquilinam multa erant sepulcra : quamobrem eo convenire plurimum solebant veneficæ.

8. *Quid proderit, etc.* Locus obscurior. Fingitur Horatius, ut se dementia solveret, sibi per Canidiæ incantationes immissa, adiisse et consuluisse alias veneficas, et velocius, id est præsentius, aliquod ab iis toxicum seu venenum petiisse, quo emori statim, et vita simul ac dementia solvi posset. — *Pelignas.* Peligni, Marsis et Sabellis vicini, ob veneficia infames erant.

Ingrata misero vita ducenda est, in hoc
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Jovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus norico recludere;
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis ægrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meæque terra cedet insolentiæ.
An, quæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum,
Plorem artis, in te nil agentis, exitum?

11. *Ducenda.* Producenda.— *In hoc.* Eam ob rem.

12. *Suppetas.* Sufficias : ut dures in nova supplicia.

13. *Pelopis pater.* Tantalus.

14. *Benignæ, etc.* Affluentis, copiosæ : alii, utilis, optatæ.

15. *Obligatus.* Destinatus et devotus vulturi.

18. *Desilire.* Præceps ruere.

19. *Norico.* Noricum est regio Germaniæ, ferax optimi ferri.—*Recludere.* Aperire.

21. *Fastidiosa.* Quæ facit ut omnia fastidiamus

22. *Vectabor, etc.* Tunc tibi inequitabo, id est insultabo ; te irridebo, inimicum meum.

23. *Meæque, etc.* Alii sic explicant: et mihi insolentius in altum enitenti, ut tuis humeris insideam, terra cedet, recedet. Alii vero : et tota terra insolentem potentiam meam agnoscet.

24. *Cereas, etc.* Imaginibus hominum e cera fictis utebantur magicæ artis periti, easque movebant, feriebant, laniabant, ut vivos homines agitatos et percussos volebant.

25. *Polo.* Cœlo.

26. *Vocibus.* Carminibus.

28. *Desiderique, etc.* Poculum, potionem aptam ad amorem excitandum.

29. *Nil agentis, etc.* Nihil valentis.

ODE XIV.

CARMEN SÆCULARE.

Chorus puerorum nobilium ac puellarum deos, ac præsertim Apollinem et Dianam, orat pro imperii romani felicitate.

CHORUS PUERORUM ET PUELLARUM.

Phœbe, silvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, o colendi

SÆCULARE. Ita dictum est, quod ludis Sæcularibus caneretur. Jussus est Horatius ab Augusto istam oden ea de causa scribere, anno U. C. 737.

1. *Potens.* Domina, præses.

2. *Lucidum, etc.* In ambos, Apollinem et Dianam, ea vox lausque cadit.

Semper et culti, date quæ precamur
Tempore sacro,
Quo sibyllini monuere versus,
Virgines lectas puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

PUERORUM.

Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere majus!

PUELLARUM.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis:
Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

UTERQUE CHORUS.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque veraces cecinisse, Parcæ,

3. *Precamur*. Pueri, et puellæ.

4. *Sacro*. Festis diebus, qui vertente sæculo, summa religione peragi solebant.

5. *Sibyllini*. Sibyllinorum librorum versus præcipiebant ut puerorum puellarumque chorus deos gentis romanæ tutelares hymno celebraret.

7. *Septem colles*. Aventinus, Capitolinus, Cælius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis Additi postea duo Vaticanus, et Janiculus.

10. *Promis et celas*. Profers, et condis. — *Aliusque et idem*. Qui alius sol ab hesterno videris esse, licet unus idemque sis.

11. *Possis*. Utinam, dum orbem universum lustras, nullam urbem possis videre Roma pulchriorem et majorem; id est, fac ut nulla urbs in toto terrarum orbe Roma sit potentior.

13. *Rite, etc*. Ordo est: o Ilithyia, quæ lenis es, facilis et propitia; *aperire*, id est, in lucem proferre maturos partus.

14. *Ilithyia*. Est nomen Dianæ quatenus parientes juvat. — *Genitalis*. A gignendo, quasi ad gignendum juvans.

15. *Probas*. Mavis.

17. *Producas*. Amplifices. — *Patrum*. Senatorum.

18. *Prosperes*. Fortunes; felicia et fortunata esse jubeas. — *Super, etc*. De feminarum matrimonio, et de maritali lege. — *Jugandis, etc*. In matrimonio rite collocandis.

21. *Certus, etc*. Ordo est: precamur, vel, facite, ut certus orbis, id est, certa annorum conversio, per annos decies undenos facta, referat cantus et ludos frequentes, per tres dies claros, totidemque gratas noctes. — *Undenos, etc*. Sæculares ludi non centesimo quoque, ut multi putant, anno, sed centesimo decimo celebrabantur, quod patet ex ipsis sibyllinorum versuum vocibus, et romana historia.

25. *Vosque, etc*. Et vos, o Parcæ, quæ veraci ore cecinistis id quod semel dictum est quodque certus rerum eventus confirmabit, addite nova fata felicia præteritis Romanorum fatis. *Veracesque*

Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servet, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona :
Nutriant fetus et aquæ salubres,
Et Jovis auræ.

PUERORUM.

Condito mitis placidusque telo,
Supplices audi pueros, Apollo.

PUELLARUM.

Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.

UTERQUE CHORUS.

Roma si vestrum est opus, iliæque
Littus etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare lares, et urbem
Sospite cursu;
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas, patriæ superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis :
Di, probos mores docili juventæ,
Di, senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque,
Et decus omne.
Quique vos bobus veneratur albis,
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem

cecinisse, more græco, pro, quæ deæ estis veraces in canendo.

30. *Spicea*, *etc*. Spicæ offerebantur Cereri post messem.

31. *Fetus*. Pecudum alumnos.

32. *Jovis*. Pro aere sumitur.

33. *Condito*, *etc*. Conjectis enim in terras telis, pestem et morbos putabatur immittere.

35. *Bicornis*. Quia primis novæ lunæ diebus isti ludi celebrabantur. Luna porro et Diana pro eodem numine sumuntur.

37. *Roma si*, *etc*. Apollo præcipue Trojanis favebat ac Æneæ. — *Iliæque*. Trojanæ.

38. *Etruscum*. Tyrrhenum.

39. *Jussa pars*, *etc*. Quæ turmæ fuere pars Trojanorum exigua, quos dii jusserant solum vertere, et Trojam relinquere. Vide *Æneid*. lib. 3.

40. *Cursu*, *etc*. Navigatione salva et secunda.

41. *Cui*, *etc*. Cui turmæ, cui Trojanorum parti pius Æneas, superstes patriæ, per medios Trojæ ignes iter aperuit in Italiam. — *Fraude*. Periculo, damno.

42. *Castus*. Pius, sceleris purus.

44. *Plura relictis*. Ampliora quam quæ relicta essent, id est, urbem relicta majorem et potentiorem.

47. *Remque*. Opes. — *Et decus omne*. Quidquid gloriam ac majestatem imperii promovere possit.

49. *Quique*, *etc*. Et Augustus, qui, albis bobus mactatis, nunc splendidum in vestrum honorem instituit sacrificium, summum porro teneat imperium, et hostium victor victis se mitem et lenem præbeat.

51. *Manus potentes*. Romanorum potentiam; vel, Augusti victrices manus.

Lenis in hostem.
Jam mari terraque manus potentes
Medus, albanasque timet secures:
Jam Scythæ responsa petunt, superbi
Nuper et Indi;
Jam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.

PUERORUM.

Augur, et fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus;
Si palatinas videt æquus arces,
Remque romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum meliusque semper
Proroget ævum.

PUELLARUM.

Quæque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.

UTERQUE CHORUS.

Hæc Jovem sentire, deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phœbi chorus et Dianæ
Dicere laudes.

54. *Albanas*. Romanas : Alba enim quasi Romæ mater fuit. — *Secures*. Securis, in medio virgarum fasce posita, erat insigne romanorum magistratuum, consulum, ac prætorum, quod ab Etruscis, sive Albanis, Romani sumpserant.

55. *Responsa*. Proprie oraculorum responsa.

58. *Neglecta*. Virtus superiori tempore ab hominibus despecta.

61. *Augur*. Commemorat Apollinis munia : primum, divinandi artem; 2° jaculandi, 3° canendi; 4° medendi; tot enim illi tribuebantur.

62. *Acceptus*. Gratus propter musicam.

63. *Salutari*. Arte medicinali. — *Fessos*. Morbo defatigatos.

65. *Palatinas*. Romanas. In monte Palatino templum Apollini Augustus dedicaverat. — *Æquus*. Propitius.

66. *Remque romanam, etc.* Rem romanam et Latium felix, id est, reipublicæ romanæ et Latii felicitatem in lustrum alterum et in ævum semper melius propaget et extendat.

68. *Proroget*. Propaget, producat.— *Ævum*. Sæculum.

69. *Aventinum, Algidum*. Duo montes, ille, Romæ; hic, non procul, in quibus ædiculæ duæ Dianæ sacræ visebantur.

70. *Quindecim virorum*. Libris sibyllinis custodiendis præfectorum.

71. *Curet*. Exaudiat.

72. *Applicet aures*. Benignis auribus audiat.

74. *Reporto*. Loquitur chorus puerorum et puellarum. Nos pueri puellæque, qui carmen in Apollinis et Dianæ laudem dicere edocti sumus, etc. — *Sentire*. Velle et probare.

SATIRARUM

SIVE SERMONUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Ad Mæcenatem.

Neminem sua sorte esse contentum prædicat.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
« O fortunati mercatores! » gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus austris,
« Militia est potior. Quid enim? concurritur; horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta. »
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi

SATIRARUM. Satira est carmen quoddam dicax, et salsum, carpendis hominum vitiis institutum : ita dictum a Satyris veterum diis petulantibus ac protervis.

SERMONUM. Satiræ Horatii Sermones vocantur ; quia carmina sunt, ut ipse vocat, sermoni et prosæ propiora.

1. *Qui fit ?* Quid esse causæ dicam ut, etc., quonam tandem pacto fit ? — *Nemo.* Omnis homo non vivat contentus, etc., omnis homo vero laudet, etc.

2. *Seu ratio, etc.* Sive consilio et ratione certa, certum vitæ genus et institutum amplexus fuerit ; sive casu et temere. — *Dederit.* Dat ratio et prudentia ; objicit casus et fortuna.

3. *Diversa sequentes.* Diversa vitæ genera et suo dissimilia profitentes.

5. *Fractus membra.* Græca locutio : habens membra labore fracta.

6. *Contra.* Subaudi dicit.

7. *Potior.* Quam mercatura. — *Quid enim ?* Quidni ? cur non ? quid enim tantum in ea laboris et periculi est ? — *Concurritur.* Pugna committitur.

10. *Sub.* Paulo post, circa. — *Consultor.* Qui causidicum super lite sua consulit, consilium ab eo petit.

11. *Datis vadibus.* *Vas, vadis,* est qui spondet alterum in jure adfuturum ad diem condictam, ut obeat vadimonium, ac, nisi compareat, jubetur ipse de suo satisfacere, illius loco, pro quo vadem se dedit.

13. *Adeo, etc.* Tam multa sunt ejusmodi exempla.

14. *Delassare.* Defatigare. — *Fabium.* Fabius Narbonensis, equestris

Quo rem deducam. Si quis deus, « En ego, dicat,
Jam faciam quod vultis : eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus modo, rusticus; hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
Quid statis? » Nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causæ est merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
  Præterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram, (quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima);
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, quum sibi sint congesta cibaria; sicut
Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quæsitis sapiens : quum te neque fervidus æstus
Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat immensum te argenti pondus et auri

ordinis, scripsit aliquot libros de philosophia stoica, satis verbose, et cum Horatio delitigavit.

15. *Quo rem deducam?* Quod mihi sit consilium, quousque progrediar, quo tendam?

17. *Tu consultus, etc.* Tu, qui modo eras consultus, id est, causidicus, eris rusticus.

18. *Mutatis partibus.* Conditionibus vitæ mutatis.

19. *Nolint.* Non mutabunt suam sortem alterius conditione. — *Licet esse beatis.* Græce pro, licet eos esse beatos.

20. *Illis.* Illis iratus.

21. *Buccas inflet.* Succenseat, excandescat. Qui ira exardescunt, buccas inflare solent.

23. *Ne sic, etc.* Ne rem tantam delibem leviter, ut solent facere qui narrant res joculares, qui joci et voluptatis causa scribunt.

25. *Ut.* Sicut. — *Olim.* Interdum, nonnunquam.

27. *Quæramus seria.* Causam hujus inconstantiæ serio investigemus.

28. *Ille gravem, etc.* Agricola.

29. *Perfidus.* Caupo pejerare et fidem fallere solitus.

30. *Hac mente, etc.* Ordo est : aiunt eo consilio se laborem ferre, ut, quum senes erunt, habeant perfugium suæ senectuti et paratam quietem, nempe collectis per laborem opibus, et provisis cibis : sicut formica, quæ, licet parvula, est tamen animal magni laboris (nam hoc utuntur exemplo), ore trahit, etc.

36. *Quæ, simul.* Simul atque, ubi primum. Ibi incipit Horatii responsio. — *Inversum.* Inclinatum hiemem; mutatum. Annus, quum denuo redit et incipit, dicitur verti, sive reverti. — *Aquarius.* Signum cœleste hiemale, in quod sol intrat sub fine januarii.

37. *Non usquam, etc.* Foras non exit; domi se continet. — *Ante quæsitis.* Æstivo tempore acquisitis.

40. *Dum.* Modo.

Furtim defossa timidum deponere terra?
— Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem. —
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus : ut si
Reticulum panis, venales inter, onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat, intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? — At suave est ex magno tollere acervo.
— Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas. « Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere. » Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falso,
«Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.»
Quid facias illi? jubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit : ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus : « Populus me sibilat; at mihi plaudo

43. *Quod si, etc.* Responsio est avari.

44. *At, ni id fit.* At, respondet Horatius : nisi id facis, nisi quæsita pecunia uteris.

45. *Millia, etc.* Quamvis area tua triverit centum millia modiorum frumenti, non tamen hoc, id est, propter hoc, idcirco, tuus venter, etc. — *Area.* Locus patens, ubi tunduntur spicæ, ut ex iis triticum excutiatur.

47. *Reticulum.* Sacculum ad panem gerendum, retis in modum factum. — *Venales inter.* Inter servos.

49. *Quid referat, etc.* Quid intersit illius, qui paucis contentus est, et naturæ necessitate, non avaritiæ libidine, sua vota definit, utrum aret centum, an mille jugera ?

51. *At suave est.* Id objicit avarus. — *Tollere.* Sumere.

52. *Dum, etc.* Horatii responsio. — *Haurire relinquas.* Sumere concedas.

53. *Cumeris.* Cumera dicitur vas ingens vimineum, in quo frumenta conduntur. — *Granaria.* Sunt vasta horrea, ubi grana servantur.

54. *Liquidi.* Liquidum in neutro posuit, pro substantivo, liquor, aqua.

56. *Eo fit, etc.* Hinc accidit, ut qui amant copiam superfluam, qui a flumine aliquo copioso et uberiore malunt bibere, v. g. ex Aufido (est Apuliæ fluvius præceps ac rapidus, *l'Ofanto*), eos, cum parte ripæ avulsa cadentes, flumen sæpe auferat, hauriatque.

61. *Bona.* Magna. — *Falso.* Quia suam avaritiam excusant gloriæ cupiditate; quum revera non gloriam, sed opes ipsi quærant.

62. *Tanti sis.* Tanti æstimeris, quantas opes habeas.

63. *Quid facias, etc.* Quid agas cum homine, ita sentiente ? Sane omittas illum, et sinas esse miserum, sua miseria frui : *quatenus*, id est, siquidem libenter *id facit*, ipse sua miseria delectatur, se ipse miserum facit.

64. *Athenis.* Athenæ, urbs Græciæ princeps, in Attica.

65. *Sordidus.* Avarus.

66. *Sibilat.* Explodit, irridet.

Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca. »
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus, quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius; adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque,
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
— At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te affixit, habes qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac reddat natis carisque propinquis.
— Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem?
At si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat retinere velis, servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Denique sit finis quærendi; quumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, et finire laborem
Incipias, parto quod avebas: nec facias quod
Umidius quidam (non longa est fabula) dives,

69. *Quid rides?* Inducitur avarus, ridens Horatium, quasi bonarum rationum inopia coactum ad fabulas confugere. — *Mutato nomine, etc.* Tu es ille Tantalus, idem ac ille facis: pone tuum nomen pro illius nomine; in te res tota, et fabula ista conveniet.

71. *Inhians.* Sic solent qui mirantur, concupiscunt, etc., ore diducto et hianti. — *Sacris.* Tanquam a rebus sacris abstinere.

73. *Quo valeat, etc.* Quis nummorum esse usus fructusque debeat? Is est nempe, ut ematur panis, etc.

74. *Sextarius.* Mensura capiens cyathos, seu calices communes duodecim, sexta pars congii. — *Adde, etc.* Adde res humanæ vitæ et naturæ necessarias: quas illi si neges, merito doleat.

76. *An vigilare, etc.* An hoc te juvat, scilicet vigilare? etc. — *Vigilare.* Somnum præ metu amittere.

78. *Compilent.* Spolient. — *Hoc juvat?* Hoccine te delectat? hæccine tandem est opum utilitas? — *Horum, etc.* Si res ita se habet, ego istis carere bonis, quam abundare, malim.

80. *At si, etc.* Verba sunt avari. — *Frigore.* Febri.

82. *Fomenta.* Omnia remedia.

84. *Non uxor salvum, etc.* Respondet Horatius.

88. *Nullo labore.* Scilicet tuo, id est sponte, gratuito, ut natura dare solet.

92. *Quærendi.* Opes congerendi. — *Quumque, etc.* Siquidem habes plura, quum rebus plurimis abundes: vide ut in minore paupertatis metu sis.

94. *Parto.* Si quidem comparasti.

95. *Dives, ut, etc.* Ita dives, ut

Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret. Ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat : at hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
— Quid mi igitur suades? ut vivam Mævius? aut sic
Ut Nomentanus? — Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Quum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemon', ut avarus,
Se probet, ac potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat :
Ut, quum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.

nummos non, ut fit, numeraret, sed eorum acervos metiretur.

97. *Ad usque.* Usque ad extremum tempus vitæ.

98. *Victus.* Ciborum.

99. *Liberta.* Serva donata libertate : sui juris facta.

100. *Divisit.* Eum interfecit, ac secuit in duas partes. — *Fortissima, etc.* Non secus, ac si fuisset altera Clytæmnestra, Tyndari filia, quæ Agamemnonem interemit, securi in caput impacta.

101. *Ut vivam, etc.* An mihi suades ut vivam instar Mævii, aut sicut Nomentanus? (Duo erant famosi nepotes ac prodigi.

102. *Pergis. etc.* Respondet Horatius : at tu pergis male ratiocinari, res omnino contrarias conjungere. — *Frontibus adversis.* Comparantur avari et prodigi cum gladiatoribus vel tauris, qui, dum inter se pugnant, adversis frontibus se invicem petunt.

104. *Vappam.* Prodigum et moribus perditum.

105. *Est inter Tanaim, etc.* Discrepant inter se duo illi, quos probe nosti, Tanais, et Visellii socer.

108. *Nemon', etc.* Mirantis est et indignantis; qui fieri tandem potest, ut avari sua sorte contenti non sint (quod initio dicebam), et tabescant quod vicini capellæ suis sint pinguiores.

114. *Carceribus.* Carceres, locus ille dicitur, seu repagulum, ex quo in circum equi admittuntur, et currere occipiunt, *les barrières.* — *Missos.* Emissos. — *Ungula.* Equi ungula præditi.

115. *Instat.* Eos urget, a quibus vincitur; eos antevertere nititur. — *Illum, etc.* Contemnens, et non respiciens alios, quos præterit, qui in extremo currunt pulvere; sed illos tantum, qui antecedunt, a quibus sui equi vincuntur.

117. *Inde fit, etc.* Ordo est : inde fit, ut raro queamus reperire hominem, qui se dicat, etc.

119. *Cedat, uti, etc.* Et qui migret e vita, quemadmodum solet conviva a mensa decedere exsaturatus.

Jam satis est : ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

120. *Jam satis est.* Finem dicendi facio. — *Crispini.* Erat stoicus philosophus, et poeta, multorum librorum exigui judicii. — *Lippi.* Lippus, proprie oculis laborans; sæpe idem valet ac ineptus, insulsus.

121. *Compilasse.* Scrutatum ac furatum esse.—*Scrinium.* Est cista, capsula, in quam abduntur chartæ, etc., *une cassette, un portefeuille.*

SATIRA II.

Dum improbi vitia quædam fugiunt, incidunt in contraria.

Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli :
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coemens obsonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.

1. *Ambubajarum.* Tibicinarum, a syra voce, *ambub*, quæ tibiam significat. — *Collegia.* Cœtus, sodalitates. — *Pharmacopolæ.* Unguentarii, pigmentarii, unctores, et balneatores: *des parfumeurs.*

2. *Mendici.* Quidem hoc vocabulo intelligunt agyrtas circumforaneos ; qui, objectis populo præstigiis, vel recitandis næniis, stipem colligebant, *des charlatans.* — *Mimæ.* Mimus hominem significat, qui alios scurriliter imitatur. — *Balatrones.* Scurræ, saltatores.

3. *Tigelli.* Tigellius, natione Sardus, artis musicæ peritus, et non infacetus scurra, gratus Augusto fuit magnasque collegit opes, quas male profudit.

4. *Benignus.* Liberalis, commodus. — *Contra hic, etc.* Alius quispiam, metuens ne dicatur esse prodigus, etc.

8. *Præclaram rem.* Amplas opes. — *Stringat.* Amputet, imminuat. — *Ingrata.* Patri, majoribus; quorum opes, frugalitate et artibus bonis bene partas, malis comessationibus male perdat.

9. *Conductis.* Mutuo acceptis, fœnori sibi datis, pro quibus mercedem solvere debeat. — *Obsonia.* Cibaria, dapes.

10. *Sordidus, etc.* Respondet id se facere, quod nolit haberi sordidus, etc.

12. *Fufidius.* Avarus fœnerator.

14. *Quinas hic capiti, etc.* Hic unoquoque mense pro sorte fœnori data quinas mercedes sive usuras extorquet, id est, quinque nummos pro centum nummis per unum mensem commodatis præcipit. — *Capiti.* Summæ integræ fœnori datæ; quæ sors etiam dicitur. — *Mercedes.* Usuras ; usura enim est merces pecuniæ mutuo datæ, et quasi fructus. — *Exsecat.* Adimit ab integra summa.

15. *Quanto, etc.* Quanto quisque est luxu perditior ac profligatior, tanto

Nomina sectatur, modo sumpta veste virili,
Sub patribus duris, tironum. « Maxime, quis non,
Jupiter, » exclamat, simul atque audivit? At in se
Pro quæstu sumptum facit. Hic vix credere possis
Quam sibi non sit amicus; ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quærat: « Quo res hæc pertinet? » illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium est...

acrius illum urget Fufidius, et graviori fœnore mactare properat ac perdere.

16. *Nomina sectatur, etc.* Ambit ac studet in primis fœnerari tironibus, amat debita tironum, id est adolescentium, qui nuper sumpsere vestem virilem, qui nondum satis habent experientiæ ac prudentiæ ut sibi a malis fœneratorum artibus caveant, qui sunt in potestate patrum durorum, a quibus quum nihil accipiant pecuniæ, mutuam sumunt a fœneratore, magna mercede promissa. — *Nomina.* Vox ea sæpe sumitur pro ære alieno, quia debitores nomen suum scribunt in syngrapha, in codice argentarii. — *Veste virili.* Sumebatur anno 17, quo deponebatur prætexta.

18. *At in se, etc.* At, inquiet aliquis, iste Fufidius, in se, id est in suo victu, vestitu, etc., sumptum facit pro quæstu, id est accommodatum tanto quæstui, nempe ingentem et lautum? Hic vero (respondet Horatius, vel quilibet alius) vix credas quam parum sibi indulgeat.

20. *Pater ille.* Menedemus, in fabula Terentii dicta *Heautontimorumenus.*

21. *Fabula quem, etc.* Qui inducitur in comœdia terentiana.

22 *Atque hic.* Quam hic fœnerator, etc.

23. *Quo res hæc, etc.* Quid mihi istis velim; quorsum hæc attulerim?

25. *Pastillos.* Pilulas unguentarias ex odoratis succis confectas, suaves odores quos assidue in ore habet. — *Hircum.* Est odor gravis, qualis sub alis nascitur, ob sudorem incoctum: ita dicitur ab hirco, animali admodum olido: *un bouc.*

SATIRA III.

Aliena pervidemus vitia, nostra ignoramus. Multa sunt amicis comiter ignoscenda, neque omnia, ut stoici docent, in scelerum numero ponenda.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,

1. *Omnibus, etc.* Incipit a cantorum et Tigellii cujusdam insectatione: mox velut e media audientium turba sibi opponit adversarium, quærentem, an ipse, qui alios tam libere insectatur, immunis ab omni vitio sit? Qua ex interrogatione totius sermonis occasio bellissima nascitur.

2. *Inducant animum.* Velint, exorari se patiantur ut cantent.

3. *Sardus.* Natus in Sardinia, *la Sardaigne*, insula prope Italiam, ad Siciliæ latus.-- *Habebat hoc.* Hoc vitio laborabat.

4. *Tigellius.* Quis ille fuerit dictum satira superiori. — *Cæsar.* Augustus. — *Posset.* Potuisset.

Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
Quidquam proficeret : si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa
Voce, modo hac, resonat quæ chordis quatuor, ima.
Nil æquale homini fuit illi. Sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem; persæpe velut qui
Junonis sacra ferret. Habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem servos : modo reges, atque tetrarchas,
Omnia magna loquens; modo : «Sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri, et toga, quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. » Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento; quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat : nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi : «.Quid tu?
Nullane habes vitia? » Imo alia, haud fortasse minora.
Mænius absentem Novium quum carperet : « Heus, tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? — Egomet mi ignosco, » Mænius inquit.
Stultus, et improbus hic amor est, dignusque notari.
Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens epidaurius? At tibi contra

5. *Patris*. Julii Cæsaris, a quo adoptatus fuerat.

6. *Si collibuisset*. Si libido eum cantandi cepisset. — *Ab ovo, etc*. Per totam cœnam, in qua ova primum, demum poma apponebantur. Hinc, ab ovo aliquid narrare, id est, a primo initio rem repetere.

7. *Citaret*. Clara et alta voce caneret. Unde, recitare, est palam et clare dicere. — *Io Bacche*. Initium est bacchicæ et potoriæ cantilenæ. — *Summa*. Acutissima.

8. *Ima*. Gravi et depressa.

9. *Nil æquale, etc*. Pergit insectari Tigellium. — *Æquale*. Constans, temperatum. — *Sæpe velut qui, etc*. Sæpe currebat velut qui hostem fugiens curreret.

11. *Junonis sacra ferret*. Qui sacra ferebant, composito et gravi passu incedebant.

12. *Tetrarchas*. Rege est minor tetrarcha, eumque sonat, qui quartam aut ditionis partem obtinet.

13. *Loquens*. Quasi regum illorum amicus intimus foret.

14. *Concha, etc*. Salinum nitidum ex concha, aut conchæ in morem factum : *une salière*.

15. *Decies, etc*. Si dedisses Tigellio, qui modo parcimoniam tantopere laudabat, decies centena millia sestertiorum (circiter 100,000 fr.), post dies quinque omnia vir ille parcus decoxisset, absumpsisset.

17. *Loculis*. Crumena.

19. *Impar*. Dissimile, discrepans a seipso.

20. *Imo, etc*. Respondet Horatius : Fateor, habeo mea quoque vitia, et fortasse majora Tigellii, quem carpo, vitiis.

23. *Verba dare*. Est fallere, multa polliceri, nihil præstare.

24. *Hic amor*. Quo nobis, ut Mænius, omnia ignoscimus. — *Notari*. Reprehendi. Notabant proprie censores civem, quidquid deliquisset.

25. *Inunctis*. Aliquo unguento et collyrio delibutis, quo acies oblimatur, vel lippientibus.

26. *Acutum*. Pro, *acute*. Neutrum pro adverbio sæpe ponitur.

27. *Aut aquila*. Aquilæ, et dracones acerrima sunt oculorum acie. — *Epidaurius*. Sacer Æsculapio, medicorum deo præsuli.

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
   Iracundior est paulo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calceus hæret. At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique teipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
   Illuc prævertamur, amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnæ.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut nati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pætum pater; et pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc varum, distortis cruribus; illum
Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit; frugi dicatur: ineptus
Et jactantior hic paulo est; concinnus amicis
Postulat ut videatur: at est truculentior, atque
Plus æquo liber; simplex fortisque habeatur.
Caldior est; acres inter numeretur. Opinor,

28. *Et illi*. Ut illi, quos carpis, tua quoque vitia investigent.

30. *Horum hominum*. Qui nunc vivunt; vel, certorum, quibuscum versatur.

35. *Concute*. Examina, expende. — *Num qua, etc.* Num aliqua vitia. — *Inseverit*. Ingeneraverit, indiderit.

36. *Consuetudo mala*. Assiduitas peccandi. — *Namque, etc.* Ferax vitiorum est natura corrupta, nisi evellantur. Sic sua sponte nascuntur in agris incultis filices et paliuri. Filix, *de la fougère*; paliurus, *ronce*, *chardon*.

38. *Illuc, etc.* Illud ante omnia faciamus: imitemur eos qui amant, quique veluti cæcutiunt in earum vitiis, quas amant.

40. *Polypus*. Narium morbus, dictus a polypo, pisce quodam, qui multis fibris, tanquam pedibus, nititur.

44. *Strabonem*. Qui oculos distortos habet.

45. *Pætum*. Cui oculi nictantes et semiclausi sunt. Strabo est oculis plane distortis, inquit Porphyrio; pætus, leviter declinatis. — *Pullum*. Pusillum. — *Male parvus*. Supra modum parvus.

46. *Abortivus*. Ante tempus solitum, et imperfecte natus.

47. *Sisyphus*. Puer Antonii triumviri pumilio, duos pedes altus, vafer et subdolus, atque ideo dictus Sisyphus; qui fuit Æoli quondam filius, a Theseo interfectus, vaferrimus.—*Hunc varum*, *etc*. Est varus, is qui crura introrsum versa et arcuata habet: sicut valgus, qui crura extrorsum versa et recedentes a se invicem suras.

48. *Scaurum*, *etc*. Scauri vocantur qui vitio aliquo talorum laborant, quibus inflexo et inverso talo pedes distorti sunt.

49. *Frugi dicatur*. Homo frugi dicitur et temperatus.

51. *Postulat*, *etc*. Videri expetit, haberi vult urbanus in amicos, elegans et festivus.

52. *Simplex*. Qui candide quid sentiat eloquitur, et sine ambagibus. — *Fortis*. Qui nihil timet.

Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multum est demissus homo : illi
Tardo, cognomen pinguis damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Quum genus hoc inter vitæ versetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina; pro bene sano,
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est (qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas), ut forte legentem
Aut tacitum impellat, quovis sermone molestus;
« Communi sensu plane caret, » inquimus. Eheu!
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur : optimus ille est
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius. Æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cetera item nequeunt stultis hærentia; cur non

55. *Invertimus.* Ipsas virtutes in vitia quasi vertimus, vitia interpretamur, vitiorum nomine donamus.

56. *Sincerum, etc.* Quum vasa erant male cocta, vel aliquid in iis erat odoris mali, liniebantur intus oleo quodam et glutine; unde fiebat incrustatio quædam et tectorium in ipso vase : non vero quum erant proba et sincera, id est, pura, incorrupta.

57. *Demissus.* Abjectus, exigui animi.

58. *Pinguis, etc.* Pinguem et crassum vocamus eum, qui paulo est tardior ac segnior.

59. *Malo.* Insidiis, periculo.—*Obdit.* Offert.

60. *Quum genus, etc.* Qui cum hominibus ejusmodi versatur, est in eo vitæ genere et instituto, ubi multi sunt invidi, multi delatores, criminatores.

63. *Qualem, etc.* Qualis fieri facile potest ut ad te accesserim, o Mæcenas, importune me tibi obtrudens.—*Libenter.* In hoc loco, idem est ac parum considerate; quum voluntati plus et indoli tribuitur, quam judicio et prudentiæ.

64. *Ut forte, etc.* Adeo ut amicum : qui quid legat, qui sileat, interpellet, eique in omni sermone sit molestus, compellando, et obstrependo.

67. *In nosmet legem, etc.* Gravissimam legem nobis imponimus.

70. *Quum mea, etc.* Quum compenset mea bona vitiis meis; excuset vitia virtutibus.

71. *Inclinet, etc.* Faveat. Amet me ob bona plura, potius quam oderit, ob mala pauciora et vitia. — *Amari si volet, etc.* Par pari referam, et eadem utar in eum trutina. — *Trutina.* Trutina, sive ansa, est foramen per quod horsum et illorsum ligula sive examen vergit, quod examen, quum extra ansam non prodit, intelligitur esse æquilibrium; jugum vocatur, ferrum transversum ex quo pendent hinc inde lances.

73. *Qui, ne, etc.* Qui cupit ut amicus ignoscat suis tuberibus, id est, gravioribus peccatis; ille verrucis amici, id est, levioribus vitiis ignoscat. *Verruca* est caruncula durior, quæ interdum in digitis excrescit, vel fronte, instar tuberculi.

74. *Æquum est, etc.* Decet eum, qui poscit veniam sibi dari et suis peccatis, et alienis vitiis ignoscere.

76. *Quatenus.* Quandoquidem. — *Excidi penitus.* Radicitus exstirpari.

77. *Stultis.* Ita stoici vocabant omnes qui sapientes et virtute præditi non essent.

Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces, tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius, atque
Majus peccatum est! Paulum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus;
Odisti et fugis, ut Drusonem debitor æris:
Qui nisi, quum tristes misero venere kalendæ,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum dejecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit?
Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui.
Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter

78. *Ponderibus*. Quibus in lance trutinæ positis res pendimus. — *Modulis*. Ad quos res metimur. — *Res ut quæque, etc.* Ut quæque culpa est; seu levis, seu gravis.

80. *Tollere*. E mensa.

81. *Ligurierit*. Digitis lingendo, aut lambendo lingua, hauserit.

82. *Labeone*. M. Antistius Labeo, jurisconsultus peritus ille quidem, at Augusto infensus, in quem multa dixerat proterve.

85. *Quod nisi concedas*. Nisi huic levissimæ culpæ ignoscas.

86. *Drusonem*. Famosum fœneratorem, cujus acerbitas nota erat.

87. *Kalendæ*. Tristes vocat, quia kalendis usuræ solvebantur.

88. *Mercedem*. Usuram. — *Nummos*. Caput, sive sortem. — *Unde, etc.* Alicunde parat, extunditque.

89. *Amaras historias*. Fabulas insulsas, aut historias, quas ille Druso ipsi denarrabat; vel amaras, id est terrificas, quum narret quomodo in debitores alios sævierit. — *Porrecto jugulo*. Quasi enecandus molesta narrationum recitatione, se occidendum quasi tradens recitanti.

90. *Comminxit, etc.* Amicus tuus, bene pransus et potus, lotio lectum fœdavit, in quo ad mensam accumbebat.

91. *Evandri, etc.* Adeoque antiquum, et fragilem.

93. *Hoc*. Ideo, ob hoc factum.

91. *Commissa*. Arcana. — *Fide*. Pro fidei, ut apud Virg. *die*, pro diei, etc. — *Sponsumve, etc.* Inficiatus sit aliquod promissum, solenni formula et stipulatione factum.

96. *Queis placuit, etc.* Stoici, qui aiunt omnia peccata esse paria, laborant, id est, difficile se expediunt, opinionem suam tueri commode nequeunt, quum ipsa rei veritas expenditur: huic enim stoicorum placito repugnat ipse communis hominum sensus, qui aliter vulgo existimant: mores etiam et consuetudo adversantur; denique utilitas: quia utile est non esse paria peccata, neque pares omnibus pœnas irrogari; ut homines a gravioribus flagitiis deterreantur pœnarum graviorum metu.

98. *Justi mater*. Ob utilitatem enim, et ad conservandum suum cuique jus, inventæ sunt leges.

99. *Primis*. Recens creatis. Quum in terram homines primo emerserunt.

100. *Mutum, etc.* Homines, instar mutarum pecudum, propter glandem,

Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere. Dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos, venerem incertam rapientes, more ferarum,
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis fugienda petendis;
Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divum sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne scutica dignum horribili sectere flagello;
Nam, ut ferula cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor; quum dicas esse pares res
Furta latroniciis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est rex;
Cur optas quod habes? « Non nosti quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens? — quo? —
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque

qua una tum vescebantur, pugnabant, primo pugnis et unguibus, deinde fustibus, postremo armis.

106. *Fur*. Hoc differt a latrone quod iste palam, et pèr vim rapiat; fur autem clam et astu.

107. *Mulier, etc.* Fuerunt ante Helenam aliæ mulieres, quæ belli causas præbuerunt.

110. *Viribus editior*. Qui potentior erat, viribus superior.

111. *Metu injusti, etc.* Sensus est; leges ac jura idcirco reperta esse, ut hominum injustitiam vimque comprimerent.

112. *Fastos mundi*. Annales, in quibus rerum in mundo origines consignatæ sunt. Fasti libri erant in quibus Romani describebant ea quæ toto anno fierent; ponebatur initio nomen consulum.

113. *Nec natura, etc.* Natura sola per se non potest, sine legum adminiculo, justum ab injusto discernere.

115. *Vincet*. Probabit.

117. *Legerit*. Furatus sit: hinc sacrilegus.

118. *Peccatis æquas*. Aut gravioribus aut levioribus accommodatas.

119. *Scutica*. Loro leviori, quo leviora peccata puniebantur. — *Flagello*. Ita loris nodisque contexto ut ad mortem usque eo cæderentur servi et malefici.

124. *Si dives, etc.* Arripit exagitatque postremam hanc stoici voculam, *si tibi regnum permittant homines*, si te regem creare velint: cur id optas, nempe rex esse, o stoice? jam rex es, siquidem qui sapiens est, solus est dives, sutor, rex.

127. *Chrysippus*. Zenonis auditor, stoicæ sectæ philosophus.

129. *Ut, quamvis, etc.* Responsio stoici: quemadmodum Hermogenes optimus et cantor, quamvis taceat: ut Alfe-

Optimus est modulator : ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat : sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. » Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri ; quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante, miserque
Rumperis, et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam, dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur ; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici ;
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

nus erat optimus sutor, licet non tractaret reipsa subulam, et sutrinam haberet clausam : sic, etc. — *Hermogenes.* Hermogenes Tigellius erat Augusti cantor, diversus ab Tigellio Sardo, quem in satiræ limine mortuum ponit.

130. *Alfenus.* Antea sutor, postea jurisconsultus Romæ clarissimus, et consul, Catullo et Virgilio amicissimus.

133. *Vellunt, etc.* Probat non esse regem, qui hoc a pueris patiatur.

134. *Lascivi.* Protervi, procaces. Philosophi quidam, et cynici, Romæ ludibrio, etiam pueris, erant.

136. *Rumperis.* Scilicet præ ira. — *Latras.* Convicia jacis.

137. *Quadrante.* Merces, publicis balneatoribus dari solita, quadrans erat, id est, quarta pars assis, exigua moneta ærea.

138. *Stipator.* Comes : proprie stipatores dicuntur illi milites, qui regum latera protegunt armati.

140. *Stultus.* Per imprudentiam : vel forte, quia stoici eos omnes qui quid peccarent, stultos vocabant.

142. *Magis.* Magis beatus, felicior te, qui tuo judicio rex es.

SATIRA IV.

Se primum, deinde satiricos vates excusat.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

1. *Eupolis.* Poeta comicus græcus, qui populo inprimis carus, et in carpendis vitiis liberrimus fuit. — *Cratinus.* Atheniensis : floruit tempore belli peloponnesiaci, homo vinosus, et gulæ deditus. — *Aristophanes.* Haud ita multo post Cratinum floruit : exstant ejus comœdiæ facetissimæ : Socratem maxime exagitavit.

2. *Atque alii, etc.* Atque alii priscæ comœdiæ scriptores. — *Comœdia prisca.* Olim comœdia nil aliud erat, quam carmen quoddam a rusticis, confecta vindemia, in honorem Bacchi recitari solitum ; mox inventæ et additæ personæ, jactata in obvios convicia ; notati etiam amaro joco certi homines, invisi vulgo ; quæ libertas deinde vetita legibus fuit, cautumque deinceps ne quis in comœdia describeretur, et nomine appellaretur. Huic veteri comœdiæ nova et modestior successit, in qua, fictis argumentis et personis, quotidiani mores describuntur.

4. *Sicarius.* Homicida. Sica est ensis brevior, et incurvus : genus pugionis.

5. *Famosus.* Infamis.

Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,
Emunctæ naris, durus componere versus:
Nam fuit hoc vitiosus; in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte; nam ut multum, nil moror. Ecce
Crispinus minimo me provocat: « Accipe, si vis,
Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit. »
  Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis, et imagine, quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, ut pote plures
Culpari dignos. Quemvis media crue turba:

6. *Hinc, etc.* Eos imitatur, et quasi vestigiis sequitur. — *Lucilius.* Primus latinæ satiræ auctor, natus Auruncæ in Italia.

7. *Mutatis pedibus.* Quia scripsit hexametris, quum illi poetæ iambicis usi sint. In versibus, quæ differentia sit inter numeros et pedes, vide lib. 4. od. I.

8. *Emunctæ naris.* Prudenter salsus, urbanus. — *Durus, etc.* In aptandis versuum pedibus, concinnandisque numeris parum diligens: asperior et agrestior.

9. *Hoc.* Ob hoc, ideo.

10. *Ut magnum.* Ratus se rem magnam præstare, difficilem et egregiam. — *Stans, etc.* Brevissimo tempore; nemo enim diu pede niti uno potest.

11. *Quum flueret, etc.* Flumini similis erat ipse, quod lutulentas aquas volvit. — *Erat quod tollere, etc.* Erat aliquid dignum quod tolleretur, lectu dignum et notatu.

12. *Garrulus, etc.* Lucilius effutiebat multa temere, et componendi laborem ægre ferebat.

13. *Ut multum.* Scilicet scribat. — *Nil moror.* Parum curo.

14. *Crispinus.* Poeta qui multum scribebat. — *Minimo.* Subaudi digito. Isto enim modo significat, qui contemnendum adversarium provocat, eum vel minimo digito dejiciendum ac prosternendum esse.

15. *Tabulas.* In tabulis ligneis, cera obductis, scribebant Romani.

16. *Custodes.* Qui observent ne aliena utamur opera, scriptis alienis, etc.

17. *Di bene fecerunt.* Gratias ago superis. Multum illis debeo. — *Inopis* Sterilis, jejuni, infecundi.

18. *Finxerunt.* Crearunt.

19. *At tu, etc.* O Crispine, imitare, si mavis, si tibi collibet, tuis versibus turgidis et ambitiosis, folles vento distentos, qui fornacem accendunt, donec illi molliatur ferrum. Arrogantiam Crispini, et ejus versuum levitatem notat. — *Hircinis.* Ex hircino corio factis.

20. *Laborantes.* Videntur folles laborare et anhelare graviter, dum ventum vehementius emittunt.

21. *Beatus Fannius, etc.* Næ Fannius (insulsus poeta) beatus est, cui, licet immerenti, ac non petenti, senatus detulit, obtulit capsas, id est, arculas et loculos, quibus libri ejus in bibliotheca, per Augustum, prope templum Apollinis Palatini exstructa, reponerentur una cum sua imagine.

22. *Quum mea, etc.* Fannius, ut captaret hominum famam, recitabat ac venditabat sua carmina; quod poetis Romæ tunc solenne fuit.

24. *Genus hoc.* Satirici carminis. — *Juvat.* Delectat.

25. *Quemvis.* Sensus est: de medio populo quemvis cedo, producito.

Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat.
Hunc capit argenti splendor: stupet Albius ære:
Hic mutat merces surgente a sole, ad eum quo
Vespertina tepet regio: quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
« Fœnum habet in cornu; longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico;
Et, quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros, et anus. » Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comœdia necne poema
Esset, quæsivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. — At pater ardens
Sævit quod, meretrice nepos insanus amica,
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante

27. *Argenti*. Signorum, vasorum ex argento factorum. — *Stupet*. Defixis oculis, animoque, miratur, et concupiscit. — *Ære*. Æreis statuis.

28. *Mutat merces*. Mercaturam exercet.

29. *Per mala*. Per naufragia, pericula.

30. *Turbine*. Vento.

31. *Summa deperdat*. De summa perdat, de opibus jam quæsitis imminuat. — *Ampliet*. Amplificet. — *Rem*. Opes.

32. *Versus*. Satiram.

33. *Fœnum habet, etc*. Si cujus equus, aut bos, damnum aut malum fecisset, domino mulcta legibus erat indicta; quare, ut ab ejusmodi animalibus sibi caverent homines, solebant domini aliquid signi dare; v. g. cornibus bovis, cornu petere soliti, fœnum illigabant, etc.

34. *Excutiat*. Moveat. — *Sibi*. In suam voluptatem.

35. *Chartis illeverit*. Scriptitaverit, temere in chartam fuderit.

36. *Gestiet, etc*. Omnibus a furno et fonte redeuntibus leget. — *Lacuque*. Fonte. Solet autem vulgus frequens esse ad furnos et fontes.

37. *Contra*. Contra illos, quibus satira displicet.

38. *Dederim quibus, etc*. Quibus poeta nomen tribuendum arbitror.

39. *Concludere*. Certis pedibus includere.

40. *Satis*. Ut quis poeta sit.

41. *Sermoni propiora*. Similiora sermoni quotidiano et orationi solutæ, quam versibus.

44. *Necne*. Quæsivere num comœdia esset poema, necne, id est, utrum non esset poema.

46. *Nisi quod, etc*. Neque aliud est discrimen inter sermonem, quo utitur comœdia, et vulgarem merumque sermonem, nisi quod, nisi quantum et quatenus, unus sermo ab alio differt certis pedibus; nisi quod sermo comicus pedes certos habet, non item vulgaris et popularis.

47. *At pater, etc*. Est alicujus objectio. — *Pater*. Demea, apud Terentium, in filium suum Æschinum vehementius invehitur.

48. *Nepos*. Flagitiosus, discinctus.

Noctem cum facibus. — Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem,
Quo personatus pacto pater. His, ego quæ nunc,
Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa, modosque, et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, præponens ultima primis:
Non, ut si solvas: « Postquam discordia tetra
Belli ferratos postes portasque refregit, »
Invenias etiam disjecti membra poetæ.
Hactenus hæc: alias, justum sit, necne, poema,
Nunc illud tantum quæram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat, et Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus: at, bene si quis
Et puris vivat manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Cœli, Birrhique latronum,
Non ego sim Capri, neque Sulci. Cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli:
Nec recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent sunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,

51. *Cum facibus.* Ante mulierum, quas adibant, fores stare solebant cum facibus, et cantitare.—*Numquid, etc.* Responsio et solutio est objectionis. Atqui, inquit Horatius, pater Pomponii (erat iste dissolutus aliquis adolescens, qui, patre mortuo, perditam vitam vivebat; quem Horatius quasi aliud agens nominat et carpit) in familiari sermone eodem modo filium alloqueretur; non levioribus eum verbis castigaret, si viveret, quam Demea Æschinum.

53. *Puris.* Propriis, bene latinis.

54. *Quem si dissolvas.* Quem versum si pedibus suis solvas.

55. *Personatus pater.* Comicus actor, qui patris personam gerit.

57. *Tempora.* Quantitatem syllabarum; quarum aliæ sunt breves, quæ breviori tempore pronuntiantur; aliæ longæ, quæ longiori. — *Modos.* Numeros ad certam mensuram compositos.

59. *Non, ut si, etc.* Non invenies membra disjecti poetæ, et quasi lacerati, ut invenies, si solvas hunc Ennii versum plenum spiritus et ardoris poetici: *Postquam discordia, etc.*

60. *Belli ferratos, etc.* Per belli postes intelligit portas templi Jani, quæ, indicto bello, aperiebantur, composito, claudebantur.

62. *Hactenus, etc.* Sed hæc sane de satira et comœdia dicta sint hactenus.

64. *Sulcius, Caprius.* Acerrimi et notissimi delatores.

65. *Male.* Valde.—*Libellis.* In quibus eorum crimina et nomina servabant, quos accusare vellent.

67. *Puris.* Scilicet a scelere. — *Contemnat.* Possit merito contemnere.

70. *Taberna.* Officina libraria.—*Pila.* Postis vel columna, ubi libri venales affigi solent, aut prope quas bibliopolæ suas officinas ponebant.

71. *Insudet.* Eos tenendo et legendo.

74. *Lavantes.* In balneis.

75. *Locus conclusus.* Balnea undique clausa vocem suaviter remittunt. Clauduntur autem accurate balnea, ne calor effluat. — *Inanes.* Homines parum occupatos, vacuos.

76. *Haud illud quærentes.* Non curantes.

Tempore num faciant alieno. « Lædere gaudes,
Inquis, et hoc studio pravus facis. » Unde petitum
Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit, hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos,
E quibus unus avet quavis aspergere cunctos,
Præter eum, qui præbet aquam; post, hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur
Infesto nigris: ego, si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
« Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis lætor quod vivit in urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. » Hic nigræ secus loliginis, hæc est
Ærugo mera; quod vitium procul abfore chartis,

78. *Studio*. Dedita opera.

79. *In me jacis?* Mihi objicis? *Est auctor, etc.* Ordo est: quis eorum, quibuscum vixi, eorum auctor est, quæ mihi exprobras?

80. *Absentem, etc.* Ostendit quinam sint potius fugiendi, quam satirici. — *Rodit*. Carpit maledictis.

81. *Culpante*. Accusante.

82 *Captat risus*. Qui amat risum aliis movere, et dicax haberi.

83. *Fingere, etc.* Qui potest mentiri et dicere a se visa esse, quæ non visa sunt. — *Commissa*. Arcana.

84. *Niger*. Improbus, mali ominis.

85. *Sæpe tribus, etc.* Sententia est: reperitur sæpe in frequentissimo convivio, in quo non tres in singulis lectulis, pro more, sed quatuor, accumbant, unus aliquis qui aveat, id est, gestiat alios in omnem partem aceto et dicteriis suis aspergere, præter illum tamen qui aquam ad lavandum, qui balnea convivis præbet, qui domus et convivii dominus est: illum enim excipit, illi soli parcit, ac ne parcit quidem semper; sed hunc quoque post alios carpit, suisque salibus irrorat, *potus*, id est, quando plusculum adbibit, quum factus est potando hilarior, etc. — *Quaternos*. In lectulis ad mensam non cubabant, nisi terni; ad summum, ubi plures erant convivæ, quaterni.

86. *Quavis, etc.* Subaudi via, ratione.

90. *Nigris*. Dicacibus et maledicis hominibus.

91. *Pastillos*. Vide satiram 2.

92. *Lividus*. Malignus, invidus.

93. *Capitolini*. Petillius, cognomine Capitolinus, quum accusatus fuisset de peculatu, aut, ut alii malunt, quod coronam e statua Jovis auream detraxisset, tamen, corruptis judicibus, est absolutus.

94. *Defendas*. Non dubito quin eum sis defensurus: quin dicas te cum illo communi mensa usum esse, etc.

98. *Sed tamen, etc.* His verbis Horatius indicat hominem, qui per ambages et clam de alterius fama detrahit; qui laudat eum principio, quem ad extremum accusat et carpit, ut iste Petillii amicus. *Loligo* est piscis quidam, succum atrum in aquam effundens ore, ne a piscatoribus videri et capi possit: *Calmar*.

100. *Ærugo*. Tabes quædam est æs corrodens; ut rubigo, ferrum.

Atque animo prius, ut, si quid promittere de me
Possum aliud, vere promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset;
« Nonne vides, Albi ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. » A turpi meretricis amore
Quum deterreret : « Sectani dissimilis sis. »
Ne sequerer mœchas, concessa quum venere uti
Possem : « Deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat. Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi : mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem possim : simul ac duraverit ætas
Membra, animumque tuum, nabis sine cortice. » Sic me
Formabat puerum dictis, et sive jubebat,
Ut facerem quid : « Habes auctorem quo facias hoc; »
Unum ex judicibus selectis objiciebat :
Sive vetabat : « An hoc inhonestum, et inutile factu,
Necne sit, addubites, flagret rumore malo quum
Hic atque ille? » Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe

101. *Prius.* Quam a chartis abfuturum. — *Ut si quid, etc.* Ut promitto, si quid possum, etc., tam bona et certa fide promitto, quam quod optima.

104. *Insuevit.* Ea re me insuevit, assuefecit. Quidam legunt, *insevit hoc mi* pro *mihi* : eos mihi mores indidit, atque ingeneravit.

105. *Ut fugerem, etc.* Ordo est : ut fugerem vitiorum quæque, ea notando exemplis.

108. *Male vivat.* Vitam ægre sustentet, enecetur fame.

109. *Inops.* Subaudi sit, vel vivat; quæ vox est in priore versu. — *Patriam rem.* Patrimonium, opes a majoribus acceptas.

111. *Dissimilis.* Subaudi inquiebat.

112. *Concessa venere.* Legitimis et honestis nuptiis.

113. *Deprensi.* In adulterio, in stupro.

114. *Sapiens, etc.* Philosophus aliquis causas tibi et rationes dabit cur hæc fugienda, illa optanda sint; ego, qui philosophus non sum, exemplis id faciam, juxta morem nobis ab antiquis traditum.

117. *Eges.* Opus habes.

118. *Duraverit.* Corroboraverit.

119. *Nabis sine cortice.* Per te, sine meo adminiculo, virtutem coles. Metaphora ducitur a pueris, qui corticis ope ac suberis, *du liége*, natare discunt.

121. *Habes auctorem.* Habes aliquem, cujus auctoritate et exemplo possis hoc recte atque honeste facere, etc.

122. *Selectis.* Quotannis ab urbano prætore deligebantur viri optimi ex omnibus ordinibus, qui judicia exercerent, ipsumque adjuvarent.

123. *Inutile.* Non utile, noxium.

124. *Rumore.* Fama.

125. *Avidos, etc.* Famelicos, et a cibo vix sibi temperantes.

126. *Exanimat.* Terrore complet. — *Sibi parcere.* Valetudinis suæ curam habere.

Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quæcumque ferunt, mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa ætas, liber amicus,
Consilium proprium. Neque enim quum lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi: « Rectius hoc est;
Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis
Occurram; hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? » Hæc ego mecum
Compressis agito labris: ubi quid datur oti,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum: cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniet manus, auxilio quæ
Sit mihi (nam multo plures sumus), ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

128. *Ex hoc.* Ex hac mei patris institutione prudentissima et disciplina ego sanus sum, id est, immunis ab vitiis gravioribus, quæ pestem hominibus præsentissimam afferunt.

130. *Istinc, etc.* Plurimum emendabit et detrahet ex his levioribus meis vitiis ætatis accessio, amici libera monitio, etc.

132. *Consilium, etc.* Meditatio mea et animadversio, qua me admoneo ipse, et emendo.

133. *Porticus.* Erant multæ in urbe porticus, in quibus confabulari, opacum frigus captare, spatiari mos erat. — *Desum mihi.* Me ipse admoneo et erudio.

134. *Amicis occurram.* Cum amicis versabor.

135. *Non belle.* Subaudi facit.

137. *Compressis labris.* Tacitus.

138. *Illudo chartis.* Scriptito, ludo in chartis.

139. *Concedere.* Ignoscere.

140. *Manus.* Turba.

142. *Judæi, etc.* Judæi, qui erant Romæ, plurimos ad veri Numinis cultum, et religionem suam pertrahebant. — *In hanc concedere turbam.* Hujus poetarum agminis socium fieri, et ipsum carmina satirica componere.

SATIRA V.

Facete describit iter suum ab urbe Roma Brundusium usque.

Egressum magna me excepit Aricia Roma,
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longe doctissimus. Inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis unum: minus est gravis Appia tardis.

1. *Aricia.* Oppidulum, in via Appia, per quam Roma iter est Brundusium. Nunc *la Rizza* vocatur.

2. *Rhetor.* Ita vulgo appellabantur qui eloquentiam docebant ac profitebantur. —*Comes.* Subaudi erat.

3. *Forum Appi.* Forum Appii erat oppidum, in eadem via, ad ripam Pomptinæ paludis, quo mercatores solebant frequentes convenire. Nunc excisum, cujus in vicinia, seu ruinis, est locus *Santo Donato* dictus.

4. *Differtum.* Plenum. — *Malignis.* Perfidis.

5. *Hoc iter.* Roma ad forum Appii. — *Divisimus.* In duos dies, biduo confecimus.

6. *Unum.* Unius diei iter, quod uno

Hic ego, propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Exspectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras, et cœlo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere: « Huc appelle. — Trecentos inseris; ohe!
Jam satis est. » Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices, ranæque palustres,
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim : tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, quum nil procedere lintrem
Sentimus : donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ nautæque caput, lumbosque saligno
Fuste dolat : quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.

die confici solet. — *Minus gravis*. Quia via Appia, declivis asperaque, festinantibus erat incommoda. — *Appia*. Ita vocata est hæc via, ab Appio Claudio Cæco, censore, qui eam lapide straverat. — *Tardis*. Lentius ambulantibus.

7. *Hic*. In Appii Foro. — *Ventri, etc.* Abstineo a cœna.

8. *Haud animo æquo*. Ægre.

9. *Comites*. Eos, quibuscum Feroniam cymba iturus erat; ut fieri solet in publicis lintribus.

10. *Signa*. Stellas, signa cœlestia.

11. *Pueri*. Servi.

12. *Ingerere*. Cœperunt affatim et large dicere. — *Huc appelle*. Huc applica cymbam, littori admove.

13. *Jam satis est*. Jam satis multi a te in lintrem sunt admissi. — *Æs*. Pecunia nautis dari solita : naulum. — *Ligatur*. Nautico fune lintri alligatur, ut eum adversa aqua traheret.

15. *Avertunt, etc.* Nobis lintrem ingressis. — *Ut*. Dum.

16. *Multa, etc.* Vino malo et acescente madidus, potus largiter. Sat. 1.— *Viator*. Subaudi aliquis.

18. *Ac missæ, etc.* Mulam nauta solvit, eamque in proximum pratum dimittit pastum.

19. *Supinus*. In tergum jacens.

21. *Cerebrosus*. Iracundior. — *Prosilit*. E lintre.

22. *Saligno*. Salix arbor nota, un saule.

23. *Dolat*. Verberat. — *Quarta hora*. Nempe quarta post ortum solis. — *Exponimur*. In littus descendimus e cymba.

24. *Lavimus*. Ea vox temporis est præsentis, ab antiquo, *lavo, lavis, lavit*. — *Feronia*. Nympha fuit, a libertis præcipuo in honore habita; in cujus templo pileum, libertatis insigne, raso capite, accipiebant. Fons illi dicatus, et silva prope Terracinam erat.

25. *Millia tria*. Subaudi *passuum*, spatium sunt leucæ gallicæ. — *Repimus*. Ægre ascendimus.

26. *Late candentibus*. Quæ procul apparent, ob candorem et altitudinem. — *Anxur*. Urbs Volscorum, dicta quoque Terracina, in monte posita.

28. *Cocceius*. Cocceius Nerva, Nervæ imperatoris avus, celeberrimus erat jurisconsultus. — *Magnis de rebus*. De componendis scilicet inter Augustum et Antonium dissidiis.

29. *Aversos*. Dissidentes.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam, et latum clavum, prunæque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Muræna præbente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessæ, Virgiliusque
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O, qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, et parochi, quæ debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Lusum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.

30. *Hic.* Tunc. — *Collyria.* Oculorum quædam medicamenta, quibus illinuntur, ad humorem siccandum, quo laborant lippi.

32. *Capitoque, etc.* Et una cum illis Fonteius Capito: insignis jurisconsultus, a M. Antonio missus. — *Ad unguem factus.* Homo scitus, elegans, perfectus ac politus.

33. *Non ut, etc.* Ut non alius esset magis Antonii amicus.

34. *Fundos, etc.* Præterimus urbem Fundos (est oppidum in via Appia, nunc *Fondi*), in qua erat prætor Aufidius Luscus. — *Prætore.* Prætor, magistratus qui jus dicebat: ita dictus, quod juri dicendo præesset, vel quod præiret.

35. *Præmia.* Insignia. — *Scribæ.* Aufidii qui scriba fuerat. Scriba is est, qui res publice gestas, jubente magistratu, scribit, in concione recitat, refert in acta.

36. *Prætextam.* Togam prætoriam, cujus limbus erat prætextus purpura. — *Latum clavum, etc.* Erat latus clavus tunica, cujus duæ partes ante pectus jungebantur fibulis, et erant tænia quadam purpurea assuta ornatæ.

37. *Mamurrarum urbe.* Formiis, *Formies;* unde Mamurræ, equites romani nobilissimi, erant oriundi.

38. *Muræna, etc.* L. Licinius Varro Muræna, frater Terentiæ, uxoris Mæcenatis, tectum præbebat, Capito sumptus in cœnam faciebat.

40. *Sinuessæ.* In urbe Sinuessa quæ est ad fluvium Lirim.

41. *Quales, etc.* Tales homines, quales alios nullos terra candidiores tulit.

42. *Devinctior.* Amicior, obligatior.

44. *Nil ego, etc.* Si sapiam, nihil cum amico jucundo comparaverim; rebus illum omnibus anteponam.

45. *Proxima, etc.* Mansimus deinde in villula, quæ est proxima campano ponti: intellige pontem trans fluvium Savonem ad viam Appiam.

46. *Parochi.* Certi homines erant, qui legatis populi romani, et magistratibus iter facientibus, præbebant omnia quæ hospitibus necessaria sunt, ut salem, ligna, etc.

47. *Hinc.* Ex hac villula, ponti campano proxima, muli nostri Capuam usque perrexerunt: ubi clitellas tempore, id est, tempestive, ante noctem, deposuerunt. — *Capuæ.* Capua, urbs olim Italiæ amplissima, non procul Neapoli: *Capoue.*

49. *Namque pila, etc.* Nam est noxium pila ludere, iis qui stomachi cruditate laborant: vehemens enim exercitatio, qualis est in hoc ludo, nocet plurimum male cibos digerentibus.

Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
Quæ super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam, Messique Cicerri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat. Ab his majoribus orti,
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus : « Equi te
Esse feri similem dico. » Ridemus; et ipse
Messius : « Accipio; » caput et movet. « O, tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, quum
Sic mutilus minitaris? » At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicerrus ad hæc : Donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat : scriba quod esset,
Deterius nihilo dominæ jus esse : rogabat
Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo
Prorsus jucunde cœnam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes

50. *Plenissima*. Locupletissima, ubi nihil desit.

51. *Quæ superest, etc.* Quæ est supra cauponas Caudi, pro Caudii. Erat autem Caudium oppidum Hirpinorum, quatuor fere leucis Benevento distans.

52. *Scurræ*. Est scurra is qui risum salibus et dictis insulsis movet.

53. *Musa, etc.* Facete Musas, quasi rem magnam dicturus, invocat.

54. *Contulerit lites*. Digladiatus cum socio sit, rixam inierit ac pugnam. — *Messi, etc.* Ordo est : Osci sunt clarum genus Messii : Messius ortus est e regione Oscorum. Erat illa natio vilissima, in Campania italica; ejusque et sermo, et mores inquinatissimi.

55. *Domina, etc.* Hera, cujus fuit servus Sarmentus, adhuc vivit.

58. *Accipio*. Accipio provocationem, paratus sum reponere : quod ultimum gestu potius, quam verbis expressit, caput movendo, quod minitantis est.

61. *Setosam*. Capillis fœde hirsutis horrentem. — *Lævi oris*. In læva oris parte.

62. *Campanum*. Ejusmodi papulis Campani vulgo laborabant, ob intemperantiam.

63. *Pastorem, etc.* Rogabat Messium ut saltaret pastorem Cyclopem, id est, ut Polyphemum saltando imitaretur.

64. *Cothurnis*. Erant calcei altiores, quibus utebantur actores tragici. Polyphemi autem historia sæpe in tragœdiis acta erat.

65. *Donasset, etc.* Quærebat a Sarmento, num donasset diis Laribus catenam, qua olim vinctus fuisset, quum servus in agro, pro more, opus faceret : quærebat, num libertatem denique adeptus esset.

66. *Ex voto*. Quasi vovisset, se catenas appensurum Laribus, in accepti beneficii monumentum, si libertatem fuisset aliquando consecutus. — *Scriba, etc.* Etsi esset Sarmentus scriba, tamen ipsius dominam nihil idcirco de jure suo amisisse, quod in ipsum, ut in suum servum, haberet.

68. *Fugisset*. E domo suæ dominæ.

69. *Farris*. Panis. Fugiebant servi durius a dominis habiti, quique contenti non erant una farris libra in dies singulos; quod erat servorum diarium.

70. *Produximus*. In longum duximus, extraximus, ob istam Messii et Sarmenti litem ridiculam.

71. *Beneventum*. Urbs ampla Italiæ, in Samnitibus : nunc *Benevento*. — *Sedulus*. Officiosus et strenuus.

Pæne arsit, macros dum turdos versat in igne:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam, servosque timentes,
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
  Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultro
Callidus ut soleat humeris portare viator:
Nam Canusi lapidosus, aquæ non ditior urna,
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit mœstus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior; via pejor ad usque
Bari mœnia piscosi. Dehinc Gnatia, lymphis
Iratis exstructa, dedit risusque jocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro

72. *Arsit*. Hospitem arsisse dicit, pro domum hospitis. — *Turdos*. Aves notas, *des grives*. — *Versat*. Id est, ad ignem assat.

73. *Veterem*. Vetustate putridam et siccam.

74. *Lambere*. Contingere.

76. *Rapere*. E flamma, ut cœnam servarent. — *Videres*. Videre licebat.

77. *Ex illo*, *etc*. Ex urbe Benevento, ex ejus agris, apparere incipiunt montes Apuliæ. — *Notos*. Quia Horatius erat Apulus.

78. *Atabulus*. Ventus Apuliæ infestus et damnosus.

79. *Erepsemus*, *etc*. Erepsissemus, superassemus quasi rependo, nisi substitissemus Trivici, quod oppidum est in finibus Campaniæ, *Trevico*.

80. *Lacrimoso*. Quia fumus lacrimas exprimit.

82. *Quattuor*, *etc*. E Trivici villa celeriter vecti sumus rhedis, confecimusque quatuor et viginti millia passuum.

83. *Oppidulo*. Vocabatur Equotutium. Erat in Hirpinis: nunc urbicula est regni neapolitani, *Ariano*. — *Non est*. Non licet.

84. *Signis*, *etc*. Facile est illud oppidum signis, id est indiciis quibusdam dicere et indicare.

86. *Callidus*, *etc*. Adeo ut viatores, qui per Equotutium iter habent, soleant inde panes auferre, et imponere humeris.

87. *Canusi*. Canusium est oppidum Apuliæ, *Canosa*. — *Lapidosus*. Durus, male coctus, et stomacho gravis est panis Canusii. — *Aquæ*, *etc*. Non est major aquæ copia Canusii, quam Equotutii, vel, non salubrior.

88. *Qui locus*. Canusium. — *Diomede*. Tydei filio, duce Græcorum fortissimo.

90. *Rubos*. Rubi, nunc *Ruvo*, urbs Canusio distans decem admodum leucis.

92. *Tempestas*. Dies, et cœli facies.

93. *Bari*. Pro Barii. Est Barium, urbs Apuliæ, ad mare, nunc *Bari*. — *Gnatia*. Dicta quoque Egnatia, civitas maritima inter Barium et Brundusium.

95. *Dum flamma*, *etc*. Ordo est: dum cupit nobis persuadere tura, in sacro limine, id est, in templi aditu posita, liquescere sua sponte, et flammam concipere sine igne, nullo igne admoto.

Persuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego : namque deos didici securum agere ævum;
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto cœli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque viæque.

96. *Apella.* Nomen cujusdam Judæi, Romæ tunc noti.

97. *Didici.* Epicuro docente. — *Securum.* Sine cura rerum humanarum.

99. *Tristes.* Sollicitos, aut iratos hominibus.

100. *Brundusium.* Urbs ampla Calabriæ, et maritima, in extrema Italia, qua spectat Græciam et orientem ; nunc *Brindes.*

SATIRA VI.

Vera nobilitas, non in generis splendore, sed in virtute posita.

Non, quia, Mæcenas, Lydorum quidquid etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te;
Nec, quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint;
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me, libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos sæpe viros nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos :
Contra, Lævinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis

1. *Non quia.* O Mæcenas, non ideo suspendis naso adunco, id est, irrides et contemnis ignotos, hoc est, ignobiles, quia Lydorum quicumque Etruriam incoluerunt, nemo te generosior, id est, nobilior est. — *Lydorum.* Lydi, Asiæ minoris natio, venerunt in Italiam, duce Tyrrheno, Herculis vel filio, vel nepote; ubi varias urbes aut incoluerunt, aut condiderunt. — *Etruscos.* Etruria, sive Tuscia, pars Italiæ.

4. *Legionibus.* Exercitibus. Legio proprie erat pars exercitus romani, milites complectens ad summum 6000, interdum pauciores.

5. *Naso suspendis.* Acutus et aduncus nasus fertur esse signum dicacis indolis.

6. *Libertino.* Libertinus est filius liberti. Libertus est servus donatus libertate.

7. *Quum referre.* Quia dicis nihil interesse, parvi esse momenti.

8. *Dum ingenuus.* Modo sit ingenuus. Est autem ingenuus interdum, qui patre libero, non servo natus est : in hoc loco, is qui honestis et probis moribus est. — *Persuades.* Habes hoc persuasum.

9. *Ignobile regnum.* Servius Tullius, ignobili et obscuro loco natus, ancillæ filius, Tarquinii Prisci gener, rex Romanorum sextus fuit.

13. *Pulsus fuit.* A. L. Junio Bruto, et Tarquinio Collatino, pulsus quidem fuit Superbus ; sed quum abrogata dignitas Collatino fuisset, suffectus est ei P. Valerius Publicola, qui, ne restitueretur Tarquinius Superbus, in primis laboravit.

Non unquam pretio pluris licuisse, notante
Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores
Sæpe dat indignis, et famæ servit ineptus;
Qui stupet in titulis, et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe lateque remotos?
Namque esto; populus Lævino mallet honorem,
Quam Decio mandare novo; censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus;
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quæ minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: « Quis homo hic est? quo patre natus? »
Ut si qui ægrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Injiciat curam quærendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo.

14. *Licuisse*. Proprie licere merx aliqua dicitur, quæ venditur in auctione, et pluris licitanti addicitur; hic sonat, valuisse. — *Notante*. Notare hic est, ignominiæ notam et labem inurere.

15. *Quo nosti*. Græce pro, quem nosti, qualis judex sit.

16. *Famæ servit*. Majorum illustrium potius quam virtutis rationem habet.

17. *Qui stupet*. Qui veteris familiæ alicujus titulos, et imagines cereas, quas nobiles in atrio collocatas habebant, miratur. — *Quid oportet, etc.* Si populus de Lævino tam sapienter judicavit, nonne magis nos id facere decet, ac solam nobilitatem in virtute ponere?

18. *A vulgo*. A vulgi erroribus.

20. *Decio*. P. Decius Mus, consul factus, bello latino, circa annum U. C. 814, cum T. Manlio Posthumo, multa præclare gessit. — *Novo*. Novos homines, appellabant Romani eos, quorum majores honoribus ornati non fuerant. — *Censorque*. Si me, v. g. senatoribus adscriptum, Appius censor loco moveret, id est senatu expelleret.

21. *Appius*. P. Appius Claudius censor insigni severitate fuit : erat autem censorum munus civitatis mores emendare, etc.

22. *Vel merito, etc.* Nec immerito, quia in mea conditione manere debuissem. — *Pelle*. Ducitur metaphora ab asino æsopico; qui, quum leonis pellem induisset, detectus, et irrisus est.

23. *Trahit*. Quasi captivos ad currum triumphalem alligatos.

24. *Non minus, etc.* Ignobiles perinde ac nobiles. — *Quo tibi, etc.* Quid tibi profuit? — *Tilli*. Vetus interpres ait Tillium quemdam a Cæsare, quod Pompeio faveret, senatu motum esse : occiso vero Cæsare, dignitati pristinæ restitutum, et tribunum militum factum esse.

25. *Sumere*. Recipere dignitatem senatoriam depositam, tibi ab Cæsare olim abrogatam. — *Tribuno*. Alii erant tribuni plebis, qui magistratus urbani erant, rationibus populi consulentes; alii tribuni militum, qui jus militi dicebant.

26. *Privato*. Qua minus laborares, si privatus fores.

27. *Insanus*. Stulte ambitiosus. — *Nigris, etc.* Calcei senatorum ex aluta nigra, seu pelle hædina, confecti erant, et ad medium usque crus loris revinciebantur.

29. *Audit*. Percontantes quoslibet e populo.

30. *Ut si qui, etc.* Quemadmodum, si quis ægrotet eodem morbo quo Barrus ægrotat, eo nempe, ut formosus et elegans haberi velit.

33. *Sura*. Pars posterior cruris est; anterior tibia dicitur.

Sic qui promittit, cives, urbem sibi curæ,
Imperium fore, et Italiam, et delubra deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quærere cogit.
— Tune Syri, Damæ, aut Dionysi filius, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?
— At Novius collega gradu post me sedet uno:
Namque est ille, pater quod erat meus.—Hoc tibi Paulus
Et Messala videris? At hic, si plaustra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo, libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc, quia, Mæcenas, tibi sum convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio romana tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem,
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Præsertim cautum dignos assumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possum casu, quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit. Optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus
(Infans namque pudor prohibebat plura profari),
Non ego me claro natum patre, non ego circum

38. *Tune, etc.* Voces populi sunt, indignantis hominem aliquem, obscuro loco natum, ad consulatum et honores evehi. — *Syri, etc.* Syrus, Dama, etc., nomina sunt, vel ficta, vel vera, hominum ignobilium: vulgo solebant servi his nominibus appellari.

39. *E saxo.* Tarpeio, seu Capitolino. — *Cadmo.* Nomen est carnificis, ea tempestate noti.

40. *At Novius, etc.* Respondet ille ignobilis, Syri, aut Damæ filius, se quidem esse ignobilem, at Novium tamen, collegam suum, se esse ignobiliorem uno gradu; quia nimirum libertus est, quum ipse sit libertinus.

41. *Quod erat.* Nimirum libertus, id est, servus manumissus. — *Hoc tibi, etc.* Respondet Horatius, vel quilibet alius e populo. Ideo, ob hoc tibi videris esse alter Paulus Æmilius aut Valerius Messala qui de republica optime meriti sunt?

42. *At hic, etc.* Saltem iste Novius valet voce, quæ possit superare murmur editum a ducentis, id est, multis plaustris, et tibiis tubisque trium funerum.

43. *Concurrant.* Conveniant, simul confluant variis e locis. — *Funera.* Ea per forum deduci, ubi frequens populus erat, solebant. — *Magna sonabit.* Alte clamabit. — *Sonabit, quod vincat.* Vocem emittet, quæ vincat, etc.

44. *Tubas.* Illæ in funeribus adhibitæ, cum tibiis, cantu, etc. — *Tenet, etc.* Delectat, capit.

46. *Rodunt.* Carpunt, accusant.

47. *At olim.* Scilicet rodebant.

49. *Dissimile, etc.* Hoc, videlicet fuisse tribunum militarem, non est idem atque illud, scilicet tibi nunc esse familiarem et amicum. — *Forsit.* Forsitan.

52. *Ambitione.* Ambitu, favore. — *Felicem, etc.* Quia felicitas fortunæ affectus est, non judicii, et meriti argumentum.

54. *Optimus, etc.* Virgilius, Varius olim tibi renunciarunt qualis essem, nempe, poeta non malus, etc.

56. *Ut veni coram.* Ubi tuum in conspectum prodii. —*Singultim.* Amputata, et parum cohærentia.

57. *Infans.* Qui fari prohibet, qui mutos reddit.

Me satureiano vectari rura caballo;
Sed, quod eram, narro : respondes, ut tuus est mos,
Pauca : abeo; et revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita, et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta (velut si
Egregio inspersos reprendas corpore nævos);
Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra
Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
(Ut me collaudem), si vivo carus amicis,
Causa fuit pater his; qui macro pauper agello,
Noluit in Flavi ludum me mittere; magni
Quo pueri, magnis e centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus æra;
Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos : vestem servosque sequentes
In magno ut populo si quis vidisset, avita
Ex re præberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi :
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim

59. *Satureiano.* Satureiana pascua erant in Apuliæ et Calabriæ finibus, ad urbem Satureum : ibi equi generosi alebantur.

64. *Non patre, etc.* Qui tibi placui, non ob meum patrem nobilem, etc.

65. *Atqui, etc.* Meus tamen ille pater, quamvis tantum libertinus, præclare me educavit, etc.

67. *Nævos.* Maculas.

68. *Sordes.* Vitam et mores incultos, agrestes, vel sordidam tenacitatem. — *Lustra.* Loca latebrosa.

70. *Ut me collaudem.* Liceat hæc meam in laudem pauca dicere.

71. *His.* Istis virtutibus et moribus meis.

72. *Ludum.* Scholam. Docebat iste Flavius Venusii artem numerandi, legendi, et scribendi, etc. — *Magni.* Nobiles.

73. *Centurionibus.* Centuriones centum peditibus præerant in exercitu. Sexaginta erant in singulis legionibus.

74. *Lævo, etc.* Ferentes loculos, et tabulam, sinistro brachio suspensam.— *Loculos.* Crumenam, ubi calculi ad numerandum. — *Tabulam.* In qua calculos ponerent.

75. *Octonis, etc.* Afferentes æra, id est parvum stipendium, quod idibus cujusque mensis ludimagistro solvere debebant. — *Octonis, etc.* Quorum octo sunt dies.

76. *Puerum.* Me videlicet adhuc puerum. — *Portare.* Deducere.

77. *Doceat.* Docendas curet.

78. *Semet prognatos.* Ex se genitos, suos liberos.

79. *Ut.* Adeo ut.—*In magno populo.* In frequenti civitate.—*Avita ex re, etc.* Avitis fortunis.

81. *Ipse.* Pater meus.

82. *Circum, etc.* Mihi, operam danti magistris, aderat præsens.

84. *Opprobrio, etc.* Turpi fama. Providit ut ne facerem, ut ne audirem male.

85. *Nec timuit, etc.* Non ideo me tam laute pater educavit, quod timeret ne

Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor,
Mercedes sequerer; neque ego essem questus : ob hoc
Laus illi debetur, et a me gratia major. [nunc
Nil me pœniteat sanum patris hujus; eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox, et ratio. Nam, si natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum;
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes
Optaret sibi quisque; meis contentus, honestos
Fascibus et sellis nolim mihi sumere : demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus, haud unquam solitus, portare molestum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque salutandi plures : ducendus et unus,
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum;
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,

essem, ut ipse erat, præco, vel coactor, quod me vellet aliud insignius vitæ genus et institutum sequi; sed id spectabat unum, ut essem aliquando vir probus. — *Olim*. Aliquando.

86. *Præco*. Is erat, qui in auctione res vendendas appellabat, qui leges ferendas, aut edicta, in concione recitabat etc. — *Coactor*. Erat publicanorum administer, qui pecunias, publice pendi solitas, colligebat.

87. *Mercedes sequerer*. Parva mercede operam meam locarem; pretia et pecunias exigerem. — *Ob hoc*. Quod me tam sancte instituerit.

89. *Nil me pœniteat, etc.* Si sapiam, nihil est quod doleam talem mihi patrem obvenisse. — *Eoque*. Et ideo.

90. *Non ut, etc.* Ordo est : non sic me excusabo ac defendam, ut magna pars hominum, qui affirmant sine suo dolo, id est, culpa et vitio, factum esse, quod non ingenuos parentes et nobiles habeant.

93. *Ratio*. Judicium, sententia.

94. *Ævum remeare, etc.* Renasci; redire ad eam ætatem, in qua judicium habemus, et eligere possumus.

95. *Atque alios, etc.* Ac si juberet natura eligere parentes alios atque illos quos quisque nactus est : quicumque tandem illi essent, quos sibi quisque optaret ac legeret, ego meos non mutarem. — *Ad fastum*. Ambitionis causa : tam nobiles et claros, quam cujusque fastus et ambitio ferret.

96. *Honestos fascibus*. Consulari, vel prætoria dignitate præditos.

97. *Sellis*. Majoribus magistratibus licebat eburneam sellam in curru gestare, in eaque, quum senatus habebatur, considere.

100. *Res*. Opes, supellex, apparatus.

102. *Rus*. Suburbanam in villam. — *Peregre*. Procul iter longinquum suscepturus.

103. *Calones*. Viliores servi.

104. *Petorrita*. Quædam vehicula, Gallis usitata. — *Curto*. Qui caudam habet decurtatam, vel, parvo.

105. *Tarentum*. Urbs est in extrema Italia, *Tarente*, qua Siciliam respicit; ad sinum cognominem.

106. *Mantica*. Vidulus, pera, quæ equo imponitur : *une valise*.—*Lumbos*. Tergum, humeros. — *Armos*. Costas, latus.

107. *Sordes*. Avaritiam, mores, et sumptum non parem dignitati, ut Tillio objicitur. — *Tilli*. De quo egit, initio satiræ.

Quum tiburte via prætorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes, œnophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, præclare senator,
Millibus atque aliis vivo. Quacumque libido est,
Incedo solus; percontor, quanti olus, ac far:
Fallacem circum vespertinumque pererro
Sæpe forum: assisto divinis: inde domum me
Ad porri et ciceris refero, laganique catinum.
Cœna ministratur pueris tribus; et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam jaceo; post hanc vagor, aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum juvet; ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast, ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Hæc est
Vita solutorum misera ambitione gravique.
His me consolor, victurus suavius ac si
Quæstor avus, pater atque meus patruusque fuisset

108. *Tiburte.* Quæ Tibur ducit.

109. *Pueri.* Servi. — *OEnophorum.* Vas vinarium.

110. *Hoc.* Ideo; ea re.

111. *Quacumque libido.* Quocumque libet.

112. *Quanti.* Subaudi vendatur.

113. *Vespertinumque, etc.* Id est, vesperi spatior in foro, seu platea.

114. *Assisto, etc.* Divinos seu hariolos audio, stans cum plebecula.

115. *Porri, etc.* Porrum, cicer, legumina sunt.—*Lagani.* Laganum, oleris vel placentæ genus est.

116. *Pueris.* A servulis tribus. — *Lapis albus.* Nuda e saxo, seu marmore, mensula, quæ abaci vicem gerat.

117. *Pocula duo.* Alterum vini, aquæ alterum. *Cyathus,* vero, erat vasculum exiguum, quo ex his poculis, quantum placeret, hauriretur. — *Echinus vilis, etc.* Vas quoddam rotundum instar echini, ad manus abluendas, aut cyathos. *Patera* utebantur, ut libarent diis in mensa.

118. *Guttus.* Vasculum, unde guttatim acetum, oleumve, defunditur. — *Campana.* Fictilis, ita dicta ob argillæ copiam, et bonitatem, in Campania italica.

120. *Marsya.* Forum, in quo erat statua Marsyæ, ad quam convenire solebant causidici.

122. *Ad quartam.* Usque ad horam ab sole orto quartam.— *Lecto, scripto.* Lectito, scriptito: formæ sunt frequentativæ verborum *scribo, lego.*

123. *Juvet.* Delectet, deceat. — *Ungor, etc.* Ad vires firmandas et valetudinem, sæpe ungebantur oleo Romani.

124. *Non quo, etc.* Non vili oleo, quale est illud, quod Natta adhibet, e lucernis suis subductum.

125. *Sol acrior.* Meridianus.

126. *Fugio.* Æstum Caniculæ fugio et balneis tempero.

127. *Pransus, etc.* ubi prandi moderate et parce, quantum sufficit. — *Interpellet.* Interrumpat inediam diei integræ.

128. *Domesticus otior.* Intra domum meam contineor otiosus.

129. *Solutorum.* Eorum qui liberi sunt.

130. *His me, etc.* Ita me de mea ignobilitate consolor.

131. *Quæstor.* Qui ærarii curam habet.

SATIRA VII.

Describit rixam Rupilii, cognomento Regis, cum Græculo quodam, cui nomen Persius.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum, et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas;
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
Hectora Priamiden, animosumque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia vexet inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco; discedet pigrior, ultro
Muneribus missis), Bruto prætore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat; uti non

1. *Proscripti*. Ab Augusto, quum olim triumvir esset, inter proscriptos relati. — *Pus atque venenum*. Convicia veneni et fellis plena, pestiferam maledicentiam.

2. *Hybrida*. Patre asiano, et romana matre natus. — *Quo pacto, etc*. Ordo est: opinor notum esse omnibus lippis, et tonsoribus, quo pacto Persius hybrida sit ultus maledicentiam Rupilii.

3. *Lippis*. Lippi sunt admodum curiosi: quanto minus oculis, tanto plus auribus utuntur; apud tonsores autem convenire homines otiosi et gerrones solent.

4. *Negotia*. Res tractandas, de quæstu qui redit ex fœnore.

5. *Clazomenis*. Clazomenæ, urbs erat Asiæ minoris, ampla et dives, in ea parte, quæ Ionia asiatica dicebatur. — *Cum Rege*. Cum Rupilio, qui rex cognominabatur.

6. *Odio*. Sermonis acerbitate, dicacitate importuna, audacia.

7. *Confidens*. Audax. — *Tumidus*. Superbus.

8. *Sisennas, etc*. Homines famosos dicacitate, conviciis, linguæ petulantia. — *Ut equis præcurreret albis*. Proverbiali locutione pro, superaret maledicentia. Equi albi habebantur celerrimi in ludis.

9. *Postquam, etc*. Quum lites suas componere non possent, et inter se convenire Persius et Rupilius, ad Brutum prætorem, qui tum Asiam obtinebat, venerunt, litem eo judice suam disceptaturi.

☞17. *Glauco*. Glaucus, regis Lyciæ filius, quum Trojanis auxilio venisset, commisso prælio, in Diomedem incidit, virum fortissimum, Græcorum ducem; Glaucus, viribus impar, statim de pace egit, ac Diomedi arma sua aurea, sumptis illius æreis, dono dedit.

18. *Prætore*. Prætor, magistratus erat juri dicendo præpositus.

19. *Uti non, etc*. Adeo ut Bithus et Bacchius, famosi duo gladiatores, non sint melius compositi et commissi, magis pares.

Compositus melius cum Bitho Bacchius. In jus
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
   Persium exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem:
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege: canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat,
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Prænestinus salso multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.
   At Græcus, postquam est italo perfusus aceto,
Persius exclamat: « Per magnos, Brute, deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum [est. »

21. *Procurrunt.* Tanquam gladiatores in arenam.

25. *Excepto Rege.* Qui proscriptus ab Octavio, se Bruto adjunxerat, et inter ejus comites ac milites versabatur. — *Canem illum.* Subaudi clamat; dicit illum Rupilium venisse, cani cœlesti, Caniculæ et Syrio, astro exitiali, et agricolis inviso, similem, ut omnia perderet.

26. *Ruebat, etc.* Tanta celeritate perorabat, tam incondito impetu ferebatur, ut flumini esset hiberno, id est, hibernis aucto imbribus alicui torrenti similis.

28. *Prænestinus.* Rupilius Præneste (quæ urbs Italiæ est, nunc *Palestrina*) natus. — *Salso, etc.* Rupilius regerit, id est, reponit, reddit Persio convicia, eaque salsissima, et expressa arbusto, id est vite quam arboribus maritabant, id est convicia qualia e vineis suis vinitores conjicere solent in viatores.

29. *Durus, etc.* Similis vindemiatori molesto et pertinaci, quia viatores conviciis appetitos, et alia regerentes, silere tamen victos, et abire cogit.

31. *Cucullum.* Ignavum: quia avis dicta cucullus (*coucou*) ovis suis non incubat.

32. *At Græcus, etc.* Persius.

34. *Qui reges, etc.* Junius Brutus, Tarquinio, rege Romanorum septimo, exacto, consul primus factus. Ab eo ducebat originem iste Brutus, qui Cæsarem, regnum affectantem, in senatu peremerat.

35. *Hunc Regem.* Rupilium, cognomento Regem. — *Operum, etc.* Hoc facinus ad te quoque pertinet: unum est ex operibus tuis.

SATIRA VIII.

Priapum inducit Canidiæ et Saganæ veneficia describentem ac detestantem.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque

1. *Ficulnus.* Stipes ex ficu arbore. — *Inutile lignum.* Lignum nullam ad rem utile ob fragilitatem

2. *Priapum.* Priapus, hortorum deus erat, ejusque statua in hortis vulgo ponebatur e rudi facta ligno, falcem tenens manu, et arundinem in capite summo gestans, qua fures avesque proterreret.

3. *Maluit, etc.* Salse ridet inanes

Maxima formido : nam fures dextra coercet ;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca :
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum ;
Quum mihi non tantum furesque, feræque suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atque labori,
Quantum, carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum,
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem : pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam

deos, eorumque simulacra : quo spectare tota hæc satira videtur. — *Deus*. Subaudi exstiti, sum.

4. *Coercet*. Falcem ligneam habebat in manibus.

5. *Arundo*. Ramus aliquis aut pertica longior.

6. *Terret*. Abigit, absterret. — *Novis*. Nuper Mæcenate factis.

7. *Huc prius, etc*. In hunc, ubi jam sum, hortum olim afferebantur servorum cadavera. Pauperum corpora sepeliebantur ; divitum, cremabantur.

8. *Locabat*. Vespillonibus portanda, certo pretio dabat.

11. *Mille pedes, etc*. Sensus est : Cippus, id est lapis erectus cum inscriptione dabat, concedebat plebeculæ spatium agri mille pedes *in fronte*, id est, juxta viam, in latitudinem, et trecentos pedes *in agrum*, id est in longitudinem. — *Heredes monumentum, etc*. Ea adjecta conditione, ne hoc sacratum monumentum ad heredes perveniret, sive ne quid juris in hoc monumentum heredes haberent.

13. *Nunc, etc*. Erat ea pars montis Esquilini, in qua horti et domus Mæcenatis.

14. *Quo*. In quo aggere, seu monte. *Agger* est proprie, *un rempart, une terrasse*. — *Modo*. Paulo ante, non ita pridem.

15. *Informem*. Deformem.— *Spectabant*. Cives. — *Ossibus*. Vel servorum, qui ibi olim tumulati fuerant ; vel reorum, qui eodem in loco supplicio olim fuerant affecti.

16. *Quum mihi*. Nunc mihi non tantum negotii facessunt fures ac feræ ; quantum præbent veneficæ, quæ suis incantationibus homines vexant ac torquent.

19. *Has*. Veneficas.

20. *Vaga luna*. *Vagam* appellat, quia, dum cursum suum peragit, vagari et errare dicitur. Luna autem incantationibus præesse putabatur.

21. *Legant*. Colligant.

22. *Palla*. Veste longiori.

23. *Passoque capillo*. Soluto, diffuso.

24. *Majore*. Forte, quia senior, vel quia major erat duarum sororum ejusdem nominis.

25. *Scalpere terram*. Scilicet ut scrobem vel fossam facerent.

26. *Pullam*. Nigram. Diis inferis nigræ victimæ immolabantur.

Cœperunt : cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea : major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem;
Cerea suppliciter stabat servilibus, utque
Jam peritura, modis. Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen. Serpentes, atque videres
Infernas errare canes, lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Sagana resonarent triste et acutum?
Utque lupi barbam, variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea,
Largior arserit ignis; et ut, non testis inultus,
Horruerim voces Furiarum et facta duarum?
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus; at illæ currere in urbem :
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres.

27. *Confusus.* Temere injectus et raptim, cum humo ipsa mixtus.

28. *Manes*, *etc.* Animas mortuorum evocarent; quæ interrogantibus veneficis responderent de futuro rerum eventu.

30. *Pœnis compesceret.* Puniret, ulcisceretur, torqueret ceream imaginem, v. g. quum urunt ejusmodi imaginem, uritur homo, etc.

31. *Suppliciter.* Supplicii in morem.

32. *Hecaten.* Proserpinam. — *Altera.* Canidia.

33. *Altera.* Sagana. — *Tisiphonen.* Unam e Furiis, sic appellatam, quod cædes ulciscatur.—*Serpentes*, *etc.* Quia Tisiphonen serpentes, Hecaten vero canes comitari dicuntur.

34. *Errare canes.* In horto evocatas ex inferis. — *Rubentem.* Lucentem. *Rubere* passim de lunæ splendore dicitur.

36. *Alterna loquentes*, *etc.* Interrogabat scilicet Sagana, et animæ respondebant. — *Umbræ.* Manes carminibus acciti.

37. *Triste et acutum.* Cum voce lugubri et acuta.

38. *Variæ.* Maculosæ : cujus pellis variis coloribus distincta.

39. *Et imagine*, *etc.* Et in cerea imagine magnus ignis arserit; ut imago cerea igne subito absumpta fuerit. — *Cerea.* Duarum hic syllabarum est.

41. *Furiarum.* Canidiæ et Saganæ.

42. *Displosa.* Discussa et rupta.

43. *Ficus.* Ego e ficu factus. — *Currere.* Subaudi cœperunt.

44. *Dentes.* Emptos et appositos, quibus vetulæ uti solent, ut reparent amissos. — *Caliendrum.* Comas adscititias, et alienas. *Altum* vocat, quia romanæ mulieres comas solebant post verticem rejicere, et in modum turriculæ, seu racemi desinentis in acumen, componere.

45. *Incantata.* Quibus utebantur ad suas incantationes, magicis carminibus infecta et devota. — *Lacertis*, *etc.* Ex earum brachiis cadere videres.

46. *Vincula.* Fila et funes, quibus imagines suas vinciebant.

SATIRA IX.

Garruli cujusdam improbam loquacitatem facete describit; et quam ægre se ab illo expedierit, narrat.

Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.
Occurrit quidam, notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu : « Quid agis, dulcissime rerum?—
Suaviter, ut nunc est, inquam, et cupio omnia quæ vis. »
Quum assectaretur : « Num quid vis? » occupo. At ille :
« Noris nos, inquit; docti sumus. » Hic ego : « Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. » Misere discedere quærens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero : quum sudor ad imos
Manaret talos. « O te, Bolane, cerebri
Felicem! » aiebam tacitus. Quum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam : « Misere cupis, inquit, abire,
Jamdudum video : sed nil agis; usque tenebo,
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi?—Nil opus est te
Circumagi; quemdam volo visere, non tibi notum :
Trans Tiberim longe cubat is, prope Cæsaris hortos.—
Nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus, [te. »

1. *Via sacra.* Per quam ibatur in forum romanum, atque inde ad hortos Cæsaris. *Sacra* dicebatur, quia per eam ibatur in Jovis Capitolini templum. — *Sicut, etc.* Ut soleo; versus factitans : has enim suas poetæ nugas vocant.

2. *Totus, etc.* Animo toto et cogitatione defixus in illis nugis.

4. *Quid agis?* Qui vales? — *Dulcissime rerum?* Carissime; iste genitivus *rerum*, hic abundat.

5. *Suaviter.* Subaudi ago, vivo, valeo. — *Ut nunc est.* Ut quidem nunc se res habent : in præsentia. — *Cupio omnia quæ vis.* Bene tibi omnia, et ex voto evenire : formula salutandi.

6. *Occupo.* Prior illum sic alloquor.

7. *Noris, etc.* Id cupio, ut me noscas : homo sum doctus, et litterarum, ut tu, amans. — *Hic ego, etc.* Tum ego, hoc nomine, eam ob rem, pluris te faciam.

8. *Misere.* Anxie, vehementer.

9. *Ire.* Subaudi cœpi.

10. *Puero.* Servo.

11. *O te, etc.* Næ tu felix es, Bolane, cujus cerebrum non obtundatur eorum loquacitate, ut meum. *Bolanus* erat civis romanus, ea tempestate notus ob insignem lenitatem et facilitatem. Alii autem intelligunt hunc Bolanum fuisse hominem cerebrosum et fervidioris ingenii.

13. *Ut illi, etc.* Quum illi nihil responderem.

14. *Misere.* Anxie.

15. *Nil agis.* Nihil proficis. — *Usque tenebo.* Semper : a tuo latere non discedam.

16. *Nil opus est te, etc.* Verba sunt Horatii : Noli, quæso, te vexare, me prosequendo, et huc illuc frustra circumcursare mecum.

18. *Cæsaris hortos.* Erant illi citra Tiberim, in urbis regione decima quarta, a Julio Cæsare populo legati fuerant publice.

19. *Nil habeo, etc.* Respondet garrulus.

20. *Demitto auriculas.* Territus igi-

Quum gravius dorso subit onus. Incipit ille :
« Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies; nam quis me scribere plures,
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto. »
Interpellandi locus hic erat : « Est tibi mater,
Cognati, queis te salvo est opus? — Haud mihi quis;
Omnes composui. — Felices! nunc ego resto; [quam-
Confice; namque instat fatum mihi triste, sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna :
« Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
« Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
« Garrulus hunc quando consumet cumque; loquaces,
« Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas. »
Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei
Præterita; et casu tunc respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
« Si me amas, inquit, paulum hic ades. — Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero quo scis. — Dubius sum quid faciam, inquit;
Tene relinquam, an rem? — Me, sodes. — Non faciam, »
Et præcedere cœpit. Ego, ut contendere durum est [ille,
Cum victore, sequor. « Mæcenas quomodo tecum? »
Hinc repetit. « Paucorum hominum, et mentis bene
— Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes [sanæ;

tur hac denuntiatione garruli Horatius, et exanimatus est. — *Iniquæ*, *etc.* Qui sarcinam graviorem malitiose conatur excutere.

22. *Viscum*, *etc.* Viscus et Varius, erant insignes poetæ, Horatii amici.

23. *Pluris facies.* Subaudi quam me.

24. *Movere.* Saltando.

25. *Invideat*, *etc.* Ordo est : tam belle cano, ut mihi jure invidere possit Hermogenes.

26. *Interpellandi*, *etc.* Ex iis laudibus, quas arrogabat sibi garrulus, videbar, inquit Horatius, occasionem idoneam nactus esse illum interpellandi.

28. *Composui.* Sepelivi, proprie; amisi.

29. *Sabella anus.* Anus sortilega et divinandi perita. Apud Sabinos, gentem superstitiosam, vaticinandi ars exercebatur.

30. *Puero.* Mihi. — *Divina urna mota.* Postquam anus illa agitasset urnam fatidicam, in quam sortes conjecerat, quibus eductis divinaret futura, et prædiceret.

32. *Hunc.* Puerum, Horatium.

33. *Quandocumque.* Aliquando.

35. *Vestæ.* Subaudi templum : erat in foro romano. Od. 2, lib. I. — *Quarta*, *etc.* Post horam a sole orto quartam.

36. *Casu.* Forte. — *Vadato.* Alicui, qui eum erat vadatus, id est, a quo admonitus fuerat, et coactus sistere se judice, hora constituta.

38. *Si me amas.* Hæc vocula, *me*, non eliditur, et fit brevis, ob sequentem vocalem brevem. — *Ades.* Mecum in jus veni : ut meam tua saltem præsentia causam adjuves.

40. *Quo scis.* Ad hortos Cæsaris.

41. *Rem.* Litem meam. — *Sodes.* Oro te : vox rogantis quidpiam, et blandientis, facta ex, *si*, et, *audes*. — *Ille.* Subaudi ait.

43. *Cum victore.* Cum pertinaci. — *Tecum.* Subaudi agit, vivit.

44. *Hinc repetit.* Ab hoc exordio sermonem intermissum repetit ac resumit. — *Paucorum hominum*, *etc.* Paucis familiarem se præbet; hoc Horatius dicit.

45. *Nemo*, *etc.* Voces garruli : nemo dexterius secunda fortuna usus est, scilicet quam Mæcenas qui plurimum apud

Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni
Summosses omnes. — Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo; domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis. Nil mi officit unquam,
Ditior hic, aut est quia doctior : est locus uni-
Cuique suus. — Magnum narras, vix credibile.— Atqui
Sic habet. — Accendis quare cupiam magis illi
Proximus esse. — Velis tantummodo; quæ tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
Difficiles aditus primos habet. — Haud mihi deero :
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quæram;
Occurram in triviis, deducam : nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. » Hæc dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus : « Unde venis? et
Quo tendis? » rogat, et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet : male salsus
Ridens dissimulare : meum jecur urere bilis.
« Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. — Memini bene; sed meliori

Augustum valebat. — *Haberes*, *etc.* Sententia est; si hunc hominem, id est, me (seipsum enim indicat), velles tradere; hoc est, Mæcenati offerre, haberes me magnum adjutorem, id est, juvarem te egregie.

46. *Adjutorem*. Adjutor proprie in tragœdiis dicebatur ille qui actores gestu, interdum voce, quasi præcentor et modulator, adjuvabat. — *Secundas*. Inter actores ille qui primas ferebat, id est, qui principem gerebat personam, ceteros in dicendo et agendo ita vincere consueverat, ut ceteri demissius loquerentur agerentque, quamvis illi gestu et voce plus possent; ut sic nimirum primi actoris laudi et existimationi consulerent, et ille princeps quam maxime excelleret.

48. *Illic*. Apud Mæcenatem.

50. *His malis*. Invidia, ambitione. — *Officit*. Nocet, incommodat.

52. *Magnum*. Rem miram dicis. — *Atqui*, *etc.* Loquitur Horatius : ita res tamen se habet.

53. *Accendis quare*, *etc.* Facis ut magis cupiam illi esse familiaris.

54. *Velis*, *etc.* Eris voti compos, modo tantum velis.

55. *Eoque*, *etc.* Quia sentit Mæcenas se facile expugnari posse, non patitur facile homines ad se accedere, vix adire se sinit.

56. *Haud mihi deero*. Respondet garrulus; nihil, quod quidem in me situm erit, omittam, quo rem conficiam e sententia.

58. *Tempora*. Idoneas occasiones.

59. *Deducam*. Domum suam : assectabor per urbem. Nobiliores a clientibus in forum deduci et reduci solebant.

61. *Illum*. Garrulum.

63. *Rogat*. Me Aristius. Grammaticus nobilis erat, Horatii amicus. — *Respondet*. Mihi eadem interroganti, ut salutando fit.

64. *Lentissima*. Quæ tractari se, pungi, velli, paterentur, quasi sensu carentia. — *Nutans*. Ego, nutu illi significans, ut me ab illo garrulo liberaret.

65. *Male salsus*, *etc.* Aristius, ut maligne me ludificaretur, ridere cœpit ac dissimulare, id est, ita se gerere, quasi non caperet quid vellem.

66. *Urere*. Subaudi cœpit.

68. *Aiebas*. O Aristi. — *Memini*. Inquit Aristius. — *Meliori*. Opportuniori.

Tempore dicam : hodie tricesima sabbata : vin' tu
Curtis Judæis oppedere? — Nulla mihi, inquam,
Relligio est. — At mi; sum paulo infirmior, unus
Multorum : ignosces; alias loquar. » Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi? Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius; et : « Quo tu, turpissime? » magna
Inclamat voce; et : « licet antestari? » Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus : clamor utrinque;
Undique concursus : sic me servavit Apollo.

69. *Tricesima sabbata.* Alii intelligunt tricesimum lunaris mensis diem, ad præcepta quædam a Judæis celebratum. Alii autem volunt tricesimum illud sabbatum ipsum pascha esse, quod incideret in medium aprilem : a septembre autem, unde suum annum Judæi ducebant, usque ad aprilem medium, numerantur triginta hebdomades.

70. *Curtis.* Circumcisis. — *Oppedere.* Contradicere; quia hac die apud Judæos negotia agere non licebat.

71. *Relligio.* Mora, scrupulus. — *At mi.* At est mihi, inquit Aristius. — *Infirmior.* Religiosior, superstitiosior.

72. *Unus multorum.* Ut ceteri e vulgo. — *Loquar.* Tecum de hoc negotio. — *Hunccine, etc.* Horatius loquitur : Siccine diem mihi tam nigram, tam infaustam, illuxisse?

73. *Surrexe.* Pro surrexisse. — *Fugit.* Aristius. — *Improbus.* Jocosus, salsus : per ludum et jocum.

74. *Sub cultro.* Ut victimam immolandam. — *Illi.* Garrulo.

75. *Adversarius.* Is qui litem illi intendebat. — *Quo tu.* Subaudi pergis?

76. *Licet antestari?* O Horati, possumne testem citare te et facere contra hunc, ut testeris illum a me deprehensum et citatum esse?

77. *Oppono.* Præbeo, porrigo. Qui litem alicui intendebant solebant testium aures tenere, et ita dicere : Memento quod tu mihi in illa causa testis eris. — *In jus.* In locum ubi jus dicitur, ad prætoris tribunal.

78. *Apollo.* Is a periclitantibus invocari solebat. Adde quod Deus est poetarum præses.

SATIRA X.

Quod de Lucilio quarta superiori scripserat, in hac asserit et explicat.

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic

1. *Nempe, etc.* Respondet iis quos, reprehendendo Lucilium, offenderat. — *Incomposito.* Haud ad rhythmum et numeros composito. — *Dixi.* Supra, sat. IV.

3. *At idem, etc.* At idem Lucilius eadem satira mea laudatur, quod urbis vitia probe insectatus sit. — *Sale multo.* Salis acrimonia notat styli mordacitatem, et facetias.

5. *Nec tamen, etc.* Quamvis autem illum eo nomine laudandum putem, nimirum quod satiricus, quod salsus sit; non tamen ceteras illi dotes concesserim, quas inesse optimis poetis oporteat.

Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris; et est quædam tamen hic quoque virtus.
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures.
Et sermone opus est, modo tristi, sæpe jocoso,
Defendente vicem modo rhetoris, atque poetæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.
— At magnum fecit, quod verbis græca latinis
Miscuit. — O seri studiorum! quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? — At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut chio nota si commixta falerni est,
Quum versus facias. — Teipsum percontor, an et quum

6. *Laberi*. Decimus Laberius sub Julio Cæsare floruit, scriptor facetus ille quidem, at parum accuratus in scribendo. — *Mimos*. Sunt mimi poemata quædam, e comœdiarum genere, facta ad ciendum populo risum: in iis multa procacia gravibus sententiis miscebantur.

7. *Rictum*. Os: risum movere auditoribus.

8. *Virtus*. Dos, gloria.

9. *Ut currat, etc.* Prima dos bonæ satiræ, brevitas: ut paucis verbis, quod sentias, explices.

12. *Defendente vicem, etc.* Id est, sermone ita comparato, ut modo partes rhetoris et poetæ scriptor agat, modo urbani hominis personam.

13. *Urbani, etc.* Hominis urbani, comitate et honestate præditi, qui ridere malit aliquando, et ridendo verum dicere, quam mordere acriter, et lacerare.

14. *Ridiculum*. Jocosa oratio. — *Plerumque*. Sæpe. — *Secat*. Dirimit. — *Acri*. Quam oratio aspera et mordax.

16. *Illi, scripta, etc.* Poetæ, auctores veteris comœdiæ; de quibus egit satiræ quartæ initio.

17. *Hoc stabant*. Propter eas, quas dixi virtutes, placebant.

18. *Hermogenes*. Hermogenes Tigellius, cantor (de quo supra sat. IX), fuerat Lucilii contra Horatium fautor: homo imperitus, et comam vultumque quam versum componere doctior. — *Simius iste*. Demetrius poeta, fabularum scriptor, Lucilii Calvi et Catulli imitator.

19. *Doctus*. Solitus. — *Cantare Calvum*. Id est cantare quod jam cantavit Calvus. — *Calvum, Catullum*. Poetas tunc celebres. Hujus exstant carmina, bene latina quidem, sed parum sæpe casta.

21. *O seri, etc.* O tardi ad res præclaras condiscendas. — *Qui ne*. An ii estis, qui putetis, etc.

22. *Rhodio, etc.* Pitholeon, ex insula Rhodo (*Rhodes*), poeta ineptus, epigrammata scripsisse dicitur, in quibus græca verba cum latinis mixta erant.

23. *At sermo, etc.* Objectio est: at enim suavior est oratio (si quis versus faciat) in qua concinne voces utriusque linguæ, græcæ et latinæ, misceantur. *Nota falerni* est amphora, cadus falerni, notatus anno certo, et nomine consulis. Chium vinum lenitate, falernum austeritate præstabat: itaque alterum altero bene temperabatur.

25. *Percontor*. Interrogo, consulo. — *An et quum, etc.* An etiam si prosa scribas, et causam Petillii v. g. defendas, subaudi putes concinnam esse orationem, utraque lingua mixtam? — *Petilli*. Iste Petillius (de quo supra sat. IV), furti reus, quod coronam au-

Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitus patriæque, patrisque Latini,
Quum Pedius causas exsudet Publicola, atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atque ego quum græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus.
Post mediam noctem visus, quum somnia vera:
« In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Græcorum malis implere catervas. »
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
Quæ nec in æde sonent certantia, judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso; forte epos acer,

ream statuæ Jovis in Capitolio abstulerat.

27. *Scilicet oblitus, etc.* Quum Pedius Publicola, et Messala Corvinus, ambo clarissimi oratores, causas suas agant, num tu malis eos, patriæ et patris Latini linguæ oblitos, verba petita foris, id est, aliunde, ex alia gente et lingua, intermiscere patriis et latinis, ut Canusini faciunt? certe nolis.

28. *Exsudet.* Magno cum sudore et labore peragat, elaboret.

30. *Canusini, etc.* Canusium (*Canosa*) erat oppidum Italiæ, a Græcis conditum in Apulia : unde in eo græca lingua et latina promiscue cives utebantur ; hinc illos bilingues vocat Horatius.

31. *Atque ego, etc.* Probat non esse græcas voces latinis commiscendas : quia vetuit eum in somnis Romulus ne omnino versus græcos faceret. — *Natus mare citra.* Natus in Italia, quam ab Græcia separat mare.

33. *Quum somnia vera.* Somnia putabant ea veriora, quæ sub auroram obvenirent, quando nimirum crassiores, e pridiana cœna fumi et vapores deferbuissent.

34. *In silvam, etc.* Si malis implere catervas Græcorum, subaudi poetarum, id est, si poetarum græcorum numerum augere mavis, græcos versiculos scribendo, quam Latinorum, latinos versus faciendo; non minus insanias, quam qui velit ligna in silvam ferre.

35. *Catervas.* Proprie caterva erat Gallorum legio, et sena fere militum millia complectebatur, ut legio romana. Pro quavis multitudine ponitur.

36. *Turgidus, etc.* Dum Alpinus, (poeta italus nescio quis, inflato stylo inaniter tumens) tragœdias, forte græcas totas, operose scribit, et Memnonem ab Achille jugulatum narrat. *Diffingit Rheni luteum caput*, id est, describit ac fingit, seu potius deformat et obscurat (id enim est, diffingere) fontem limosum fluminis Rheni; scilicet in aliquo poemate epico. — *Memnona.* Memnon Auroræ filius, ab Achille cæsus, Æthiopiæ rex, ut quidam volunt.

37. *Hæc ego, etc.* Ludo, scribo hæc, id est, tenuia ista carmina, non digna quæ recitentur magna voce, ac sonent in æde Apollinis, et certent cum aliorum poetarum carminibus.

38. *Judice Tarpa.* Metius Tarpa fuit unus e quinque judicibus ab Augusto constitutis.

39. *Nec redeant.* Id est, non scribo tragœdias. Quæ placuerunt tragœdiæ, sæpius edebantur.

40. *Arguta, etc.* O Fundani (erat poeta comicus, Augusto carus, Horatii amicus), tu unus virorum, nempe illorum, qui nunc vivunt, poetarum, potes magna urbanitate et festivitate scribere comœdias stylo familiari, vel tam fluente ac facili, quam si garrires ac fabulareris.

42. *Pollio.* Scriptor tragœdiarum : de quo ode I. lib. 2.

43. *Pede ter, etc.* Versibus iambicis

Ut nemo, Varius ducit : molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor : neque ego illi detrahere ausim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, sæpe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quæso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Quum de se loquitur, non ut majore reprensis?
Quid vetat et nosmet, Lucili scripta legentes,
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos, et euntes
Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cœnatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis, et Græcis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba : sed ille,

senariis, qui trimetri dicuntur. — *Forte epos, etc.* Varius poeta ducit, id est, componit forte epos, ut alius nemo. Nondum Æneidem suam Virgilius ediderat. — *Epos.* ἔπος, græca vox est, significans *verbum*, seu *narrationem* : sumitur pro eo genere carminis in quo res narrantur.

44. *Molle, etc.* Virgilius Bucolica tunc tantum ediderat; forte etiam Georgica.

46. *Hoc, etc.* Satiricum carmen unum supererat, quod melius possem scribere. — *Experto, etc.* Quod carmen frustra expertus est ac tentavit Varro Atacinus, sic dictus ab Atace, Galliæ narbonensis fluvio (*l'Aude*).

48. *Inventore minor.* Fateor tamen me multo inferiorem esse Lucilio, qui primus satiram invenit et scripsit.

49. *Coronam.* Imaginibus poetarum imponi solebant coronæ ex hedera, lauro, etc.

50. *Fluere lutulentum.* Impolitos et incomptos versus condere. — *Sæpe ferentem, etc.* Dixi eum sæpe ferre, scribere plura tollenda, id est eligenda, quam relinquenda, id est abjicienda.

52. *Homero.* Græcorum poetarum princeps fuit.

53. *Nil comis, etc.* Quid? ipse Lucilius nihilne mutatum vult in Accio? nihilne in Ennio reprehendit, ac alio scriptum esse modo vellit? — *Acci.* Accius post Pacuvium floruit : plures tragœdias scripsit.

54. *Enni.* Ennius, poeta latinus antiquus; de quo sæpe antea. — *Gravitate minores.* Id est, gravitate carentes.

55. *Loquitur.* Lucilius de seipso. — *Non ut, etc.* Non ita tamen ut se Lucilius putet majorem et præstantiorem esse Ennio, et aliis quos reprehendit.

57. *Num illius, etc.* Num ipsius Lucilii natura durior, non rerum, quas tractavit, natura siccior et sterilior, negarit illi versus meliores, id est, in causa fuerit, cur versus non ediderit politiores et molliores quam si quis, contentus tantum hexametros facere, amet scribere, etc.

63. *Capsis, etc.* Qui tam multos ediderat versus et libros, ut ejus libri et arculæ exstruendo rogo suffecerint.

64. *Fuerit Lucilius, etc.* Concedo Lucilium fuisse comem, etc.

66. *Græcis intacti.* Græci nullam scripsere satiram : merum Latinorum inventum, et opus est.

Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint
Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego; nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Mæcenas, Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus; et hæc utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio; te, Messala, tuo cum fratre; simulque
Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos,
Prudens prætereo; quibus hæc, sunt qualiacumque,
Arridere velim; doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

69. *Detereret*. Detraheret. — *Recideret, etc.* Amputaret omnia supervacanea.

71. *Caput scaberet*. Fricaret, scalperet unguibus. — *Vivos*. Ad vivum demorderet.

72. *Sæpe stylum, etc.* Id est, sæpe mutare et delere debes quæ scripseris, si velis scribere opera quæ iterum atque iterum legantur. Stylus erat acus ferrea, quali nunc utimur in pugillaribus : capite plano, extrema parte acuta : hac scribebant in cera; illa, scripta delebant, æquata cera et complanata. Hoc vocabatur stylum vertere, seu invertere, utendo capitata ejus parte, ad delendum quod acumine scriptum erat.

75. *Ludis*. Scholis.

76. *Equitem* Homines lectos et nobiles. — *Ut audax, etc.* Id quod dixit Arbuscula (mulier in comœdiis personam agere solita); quæ quum exploderetur a populo, dixit sibi satis esse, si equitibus probaretur.

78. *Cimex Pantilius*. Id est, Pantilius poeta putidus et ignobilis.

79. *Demetrius*. Ignobilis poeta, ut et Fannius, etc.

80. *Lædat*. Me conviciis vellicet.

82. *Octavius*. Poeta insignis, et historicus.

84. *Ambitione, etc.* Possum te inter illos amicos meos, virosque doctissimos numerare : citra fastum et adulationem, ex rei veritate, o Pollio.

86. *Bibule et servi*. Bibulus e gente Calpurnia, Servius e gente Sulpicia; hi non solum nobilitate, sed etiam doctrinæ laude insignes fuisse videntur. — *Simul his*. Una cum illis. — *Furni*. Furnius, historiarum scriptor, fide et elegantia claruit.

88. *Prudens*. Sciens ac volens.

89. *Arridere velim*. Placere cupio.— *Spe deterius*. Minus quam spero.

90. *Tigelli*. Hermogenes Tigellius, poeta imperitus.

91. *Jubeo plorare, etc.* Ringi, et invidere mihi non ægre video, in ludis vestris litterariis, ubi mulierculæ vos audiunt.

92. *Puer*. Amanuensem aliquem significat, qui scripta et dictata exciperet. — *Subscribe*. Post ceteras satiras, in hoc libello comprehensas, hanc etiam scribe, et aliis adde.

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Fingit se cum Trebatio deliberare utrum a scribendis satiris abstineat.

HORATIUS.
Sunt quibus in satira videor nimis acer, et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam præscribe.
TREBATIUS. Quiescas.
HORATIUS. Ne faciam, inquis,
Omnino versus?
TREBATIUS. Aio.
HORATIUS. Peream male, si non
Optimum erat: verum nequeo dormire.
TREBATIUS. Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Cæsaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus.
HORATIUS. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

1. *Acer*. Asper, severus. — *Ultra legem*. Progredi ulterius, acerbus scribere, quam lex sinat; ultra modum, et usitatam in vitiis notandis consuetudinem.

2. *Nervis*. Pondere sermonis et sententiarum gravitate.

3. *Pars altera*. Alii homines.

4. *Deduci*. Scribi. Metaphora sumitur a lana, quæ sine labore ducitur e colu. — *Trebati*. C. Trebatius Testa vocabatur, vir optimus, et juris scientissimus.

5. *Quiescas*. Auctor tibi sum, ut abstineas penitus a scribendo.

6. *Aio*. Ita censeo. — *Peream*, *etc*. Sane verum dicis, et præstaret versus omnino non facere: verum hanc unam artem habeo conciliandi mihi somni: vel, quum dormire non possum, in versibus faciendis noctem pono.

7. *Erat*. Pro *esset*, græco more. — *Ter uncti*. Sæpius uncti. Oleum corpori ante natationem illinebant; ut, poris oleo clausis, contra frigus aquæ muniretur.

8. *Transnanto*. Utitur imperativo, quasi legem, aut edictum ferret: facete. — *Alto*. Profundo.

9. *Sub noctem*. Paulo ante noctem.

12. *Cupidum*. Cupientem res Augusti scribere. — *Pater*. Trebatium sic vocat, honoris causa, ut seniorem et jurisconsultum.

13. *Horrentia*. Hirsuta et horrida. Est *pilum* hasta brevior, apud Romanos usitata.

14. *Fracta cuspide*. Sagittæ, quam Galli morientes, e corpore non potuerunt evellere, nisi fractam. Tela, cum impetu conjecta, frangi solent.

15. *Describat*. Possit describere.

TREBATIUS.

Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.

HORATIUS. Haud mihi deero,
Quum res ipsa feret : nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem :
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

TREBATIUS.

Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem!
Quum sibi quisque timet, quanquam est intactus, et odit.

HORATIUS.

Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis :
Castor gaudet equis ; ovo prognatus eodem,
Pugnis. Quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris; neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene : quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps
(Nam venusinus arat finem sub utrumque colonus,

16. *Attamen, etc.* Esto, non satis habeas nervorum ad res bellicas Augusti describendas : posses tamen illius justitiam et animi magnitudinem laudare.

17. *Scipiadam.* Scipionem Africanum minorem. — *Haud mihi deero.* Id equidem faciam.

18. *Quum res ipsa feret.* Quum ipsa hujus rei peragendæ se offeret opportunitas. — *Dextro.* Opportuno.

20. *Palpere.* Adulcris. Palpere proprie est palpo seu vola blande et leniter attrectare. — *Recalcitrat.* Rejiciet adulationem et laudes molestas : ut equi feroces et generosi se duriter et odiose attrectari non patiuntur. — *Undique tutus.* Id est, munitus contra assentationem.

21. *Hoc.* Laudare Cæsarem.—*Tristi.* Molesto, contumelioso.

23. *Quum, etc.* Eo magis abstinere debes a scribendo, quod, quando scribis, sibi omnes timeant, quanquam eos non tangas, et carpas nominatim; teque, ut maledicum et sycophantam, oderint.

24. *Icto.* Percusso vini vaporibus.

25. *Numerus.* Quum geminatus est numerus lucernarum; quum duas, pro una, lucernas videt; id quod ebriis accidit.

26. *Ovo, etc.* Pollux, Castoris frater, eodem *ovo*, quod Leda pepererat, prognatus.

27. *Studiorum.* Propensionum.

28. *Pedibus claudere verba.* Hoc est, versus facere.

29. *Melioris.* Poetæ præstantioris me et te.

30. *Ille, etc.* Ordo est : ille Lucilius credebat et committebat arcana sua libris et versibus, ut si fuissent fidi sodales sui.

31. *Si male, etc.* Si quid ei adversi accidisset.

32. *Decurrens alio.* Aliunde nullum solatium, quam a libris petens.

33. *Votiva, etc.* Qui morbos, naufragium, aliosve casus effugerant, aut aliquid ex animi sententia gesserant, in votivis, id est, in promissis ex voto tabellis, ea depingi jubebant, et templorum parietibus suspendi. — *Pateat.* Exstet in ejus versibus.

34. *Senis.* Lucilii. — *Sequor hunc, etc.* Ego hunc Lucilium imitor, Horatius anceps, id est, incertus, an sim Lucanus an Apulus.

35. *Colonus.* Aliquando significat agricolam, qui agros colit, aliquando civem,

Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis:
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod appula gens, seu quod lucania bellum
Incuteret violenta). Sed hic stylus haud petet ultro
Quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur distringere coner,
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex,
Jupiter, ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur, et urnam;
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum:
Grande malum Turius, si quid se judice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera.
TREBATIUS. Mirum!
HORATIUS.
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos;

ex alia quadam urbe ad aliam incolendam et frequentandam missum; quo sensu hic sumitur.

36. *Missus ad hoc, etc.* Ob hanc causam Venusinorum colonia missa est, ne hostes incurrerent Romanis per regionem vacuam, pulsis scilicet Sabellis. — *Sabellis.* Sabelli, a Sabinis orti, incolebant montes inter Sabinos et Marsos: olim etiam Samnites appellati.

38. *Sive quod, etc.* Sive colonia fuerit missa Venusium, quia Lucani aut Apuli bellum inferrent Romanis, essetque opus hac urbe et colonia, tanquam freno, ad utrosque coercendos. — *Appula gens.* Est Apulia regio Italiæ, ad mare Adriaticum prope Calabriam. — *Lucania.* Est regio extremæ, sive meridianæ Italiæ, versus Tyrrhenum mare porrecta, et Apuliæ finitima, qua clauditur ab Oriente.

39. *Sed hic stylus.* Hæc carminum ad Lucilii exemplum scribendorum ratio. Redit a diverticulo in viam. — *Ultro.* sponte.

40. *Animantem.* Vivum: neminem insectabor. — *Et me, etc.* Utar ego satira, tantum ad me defendendum.

41. *Quem.* Scilicet ensem.

43. *Ut pereat, etc.* Utinam hic ensis meus, depositus et inutilis, rubigine pereat et consumatur! nemo me amantem pacis cogat illum distringere.

45. *Commorit.* Aggressus fuerit, iram meam provocaverit.

46. *Cantabitur.* Famosis versibus a me describetur, et in omnium erit ore.

47. *Cervius, etc.* Aliquis tum insignis accusator, vel quæsitor.

48. *Albuti.* Subaudi filia. — *Venenum.* Subaudi minitatur; insignis, scilicet venefica.

49. *Malum.* Exitium, ruinam fortunarum. — *Turius.* Judex aliquis improbus et venalis.

50. *Quo.* Quibus armis. — *Ut quo, etc.* Ordo est: mecum collige, id est, conclude, atque intellige quemadmodum quisque illis armis utatur, quibus naturaliter pollet iisque terreat suspectos, illos unde timet: et quemadmodum natura hoc omnibus instillet imperetque, illud, inquam, ex eo intelliges, quod lupi dentibus feriant, etc.

52. *Nisi intus, etc.* Nisi quod hoc eos interna vis quædam et tacita naturæ vox doceat.

53. *Scævæ.* Scæva luxuriosus et perditus quidam fuit, qui matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret.

Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam, seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romæ, seu fors ita jusserit, exsul,
Quisquis erit vitæ, scribam, color.
TREBATIUS. O puer, ut sis
Vitalis, metuo, et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.
HORATIUS. Quid? quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Lælius, aut qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut læso doluere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti, atque ejus amicis.
Quin, ubi se a vulgo et scena, in secreta remorant
Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Læli,
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum, ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque

56. *Vitiato*. Corrupto, venenato.

58. *Circumvolat*. Jam nunc.

60. *Quisque erit color*. Ater, an albus; prospera vel adversa fortuna: vitæ ratio, et status, quicumque mihi futurus est. — *Scribam*. Satiras faciam. — *Ut sis vitalis*. Ut longa vita fruaris.

61. *Majorum ne quis amicus frigore te feriat*. Ne quis inter tuos nobiliores amicos erga te frigidus fiat, amicitiam deneget, te non jam familiariter excipiat (Mæcenas scilicet).

63. *Primus*. Ennius et Pacuvius ante Lucilium satiras quidem scripserant; at non ita eleganter, et accurate.

64. *Detrahere pellem*. Tollere externam hominum speciem. — *Per ora*. In conspectu hominum.

65. *Cederet*. Pro incederet. — *Lælius*. C. Lælius, sapiens dictus, quem Cicero loquentem facit in sermone de amicitia. — *Aut qui, etc*. Scipio Africanus, minor dictus.

67. *Metello*. Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, Scipionis Africani minoris, quem Lucilius colebat, inimicus fuit: unde in illum Lucilius invectus est.

68. *Lupo*. Lentulus Lupus consul fuit, anno U. C. 597, damnatus repetundarum; post damnationem tamen censor factus.

69. *Tributim*. Per singulas tribus, promiscue irruens in quemlibet.

70. *Ejus*. Virtutis.

71. *Et scena*. Ab reipublicæ administratione, et curia, ubi tanquam in theatro personam gravem et seriam gerebant: quam deponebant domi, et intra parietes.

72. *Virtus Scipiadæ*. Græca locutio: pro Scipio vir optimus: *mitis sapientia Læli*; pro Lælius sapientissimus ac mitissimus.

73. *Illo*. Lucilio. — *Discincti*. Soluti curis, et zona, quam Romani solebant deponere domi, aut laxiorem gerere ac solutiorem.

74. *Decoqueretur olus*. Donec appararetur cœna; quæ tum erat, etiam inter nobiles, valde frugalis, et magna parte, ex oleribus constans. — *Quidquid sum*. Quantuluscumque sim.

75. *Censum*. Opes. Erat enim Lucilius homo nobilis et locuples.

76. *Cum magnis*. Augusto, Mæcenate et ceteris.

77. *Et fragili, etc*. Et quærens, et conata illidere dentes in aliquam fragi-

Invidia; et, fragili quærens illidere dentem,
Offendet solido : nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis.
TREBATIUS. Equidem nihil hinc diffingere possum :
Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum :
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque.
HORATIUS. Esto, si quis mala; sed bona si quis
Judice condiderit, laudatur Cæsare; si quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse.
TREBATIUS.
Solventur risu tabulæ; tu missus abibis.

lem et mollem materiam, in solidam et duram incidet, sibique dentes oblædet.

79. *Nihil hinc diffingere possum.* Fateor me tuis rationibus nihil respondendum habere, vel non possum mutare tuum consilium.

80. *Sed tamen, etc.* Subaudi hoc tibi denuntio, ut caveas ne, etc.

82. *Mala.* Maledica.— *Jus.* Lex : actio jure constituta et legibus permissa.

83. *Judicium.* Accusandi in judicio facultas. — *Esto, etc.* Sit ita sane : valeat ea lex in eos, qui mala carmina scripserint. Ludit in voce *mala* : gallice *de méchants vers.*

85. *Integer ipse.* Quum ipse sit probus.

86. *Solventur, etc.* Leges, in tabulis scriptæ, explodentur cum risu, nihil in ejusmodi poetam valebunt, qui dimissus et absolutus a judicibus exibit. — *Tu.* Id est, poeta quilibet. — *Missus.* Solutus scelere et periculo.

SATIRA II.

Ofellus quidam, frugalitatem commendans, et varios gulæ errores ac flagitia vituperans, ab Horatio inducitur.

Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo
(Nec meus hic sermo est, sed quæ præcepit Ofellus,
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva),
Discite, non inter lances mensasque nitentes,
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum

1. *Quæ virtus, etc.* O boni, id est, o amici, discite quæ sit virtus et quanta parvo contentum esse. — *Vivere parvo.* Rebus et cibis parvo pretio constantibus.

2. *Nec meus, etc.* Non hic meis verbis loquor, sed Ofelli, cujus verba et præcepta refero.—*Sed quæ.* Sed verba sunt, quæ. — *Ofellus.* Dicitur hunc Ofellum bonis suis spoliatum eo reductum fuisse ut eos ipsos agros quos possederat, pro alio coleret.

3. *Abnormis sapiens.* Sapiens ille quidem, sed non imbutus philosophorum præceptis et regulis; nulli sectæ addictus. — *Crassaque Minerva.* Doctrina non excultus.

4. *Non inter, etc.* Hoc discite, non inter vina et mensas opiparas, etc.

5. *Insanis.* Immodicis, vel insanos homines facientibus. Stulti enim modum non tenent.— *Quum stupet, etc.* Quum oculi perstringuntur, et hebescunt, fulgore insigni vasorum, gemmis, auro et argento nitentium.

Acclinis falsis animus meliora recusat;
Verum hic impransi, mecum disquirite. — Cur hoc?
— Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito; vel, si romana fatigat
Militia assuetum græcari, seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aera disco;
Quum labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem : nisi hymettia mella falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare : cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quære
Sudando : pinguem vitiis albumque nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

6. *Acclinis*, *etc*. Quum animus, inclinatus voluptate ad falsa credenda, recusat veriora et meliora audire et credere.

7. *Impransi*. Jejuni et sicci. — *Mecum*. Ofellus loquitur ista omnia, ut dixi. — *Cur hoc?* Cur volo id a vobis impransis disquiri?

8. *Dicam*, *si potero*. *Male*, *etc*. Causam, si potero, afferam : animus scilicet, ciborum copia et jucunditate captus, veluti judex auro corruptus, male veritatem perscrutatur.

9. *Leporem*, *etc*. Venandi et equitandi studium pertinet ad militiam romanam, sive ad eas exercitationes quibus corpora ad labores in bello ferendos corroborarentur.

10. *Vel*, *si*, *etc*. Ordo et sensus sunt : quod si te nimium fatigat militaris aliqua exercitatio, quæ omnis quidem est laboriosa, sed maxime romana, te inquam, assuetum molliter vivere et comessari, quod Græcorum est; seu te agit, id est, te exercet, delectat pilæ ludus, quæ huc illuc celeriter pellitur, non sine labore, sed quem tamen laborem, studium, hoc est, ludi hujus amor fallit molliter, id est, leviorem multo facit, et quasi lusores decipit, ne laborem sentiant : seu te discus delectat : esto sane, lude pila, vel disco, atque ita famem collige.

13. *Pete aera disco*. Mitte discum per aera, in altum. — *Cedentem*. Dum discus aera trajicit, aer ei cedit. Discus autem est massa ferrea, vel lapidea, vulgo plana et rotunda, quæ per aerem conjicitur ad certum locum et metam, un *palet*.

14. *Quum extuderit*, *etc*. Quum laboriosæ hujusmodi exercitationes nauseam, quæ ex inertia et satietate oritur, depulerint. — *Siccus*. Qui non bibit, sitiens. — *Inanis*. Vacuo stomacho : jejunus.

15. *Hymettia*. Hymettus, mons Atticæ, ubi flores optimi, et mel exquisitum.

16. *Ne biberis*. Ironia est. — *Foris est promus*, *etc*. Imo, inquit, adeo cibos delicatos tunc spernes, ut si tuus promus (is dicitur, qui cibos e penu promit) domi non est.

17. *Hiemat*. Hieme inhorrescit, procellis agitatur, et inaccessum est.

18. *Latrantem*. Stomachum jejunum et inanem.

19. *Qui partum*, *etc*. Unde conciliatam et natam putas voluptatem in tam tenui victu, in pane et sale? — *Nidore*. Nidor est proprie fumus ille, quem tostæ carnes emittunt, et odor. — *Caro*. Magni pretii.

20. *Pulmentaria*. Condimenta.

21. *Pinguem vitiis*. Crapula et ingluvie turgidum ac pallidum. — *Ostrea*. Hæc vox pro spondeo ponitur : coalescunt enim in unam syllabam duæ postremæ vocales hujus dictionis.

22. *Scarus*. Piscis exquisitus, un *sarget*. — *Juvare*. Delectare. — *Lagois*. Piscis, aut avis rara, et peregre advehi solita; sic appellata, ob aliquam cum lepore similitudinem, vel in colore, vel in carnis gustu.

Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? coctove num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto:
Unde datum sentis, lupus hic tiberinus, an alto
Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video. Quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus;
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
« Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, » ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Præsentes, Austri, coquite horum obsonia: quanquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Ægrum sollicitat stomachum; quum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum; nam vilibus ovis,

23. *Eripiam*. Persuadebo, dedocebo te.

24. *Hoc*. Pavone. — *Tergere palatum*. Locutio apta rustico, ut aliæ multæ, id est, vesci.

25. *Vanis rerum*. Pro vanis rebus, id est, vana opinione et specie.— *Veneat*. Vendatur. — *Auro*. Majori pretio.

27. *Ad rem*. Ad gustum et saporem.

28. *Pluma*. Pavonis.—*Coctove, etc*. Quando coctus est pavo, estne idem color, eadem species pennarum, quæ vivo erat? neutiquam.

30. *Imparibus formis*. Diversa pavonis et gallinæ forma. — *Esto*. Id est, te forma decipi.

31. *Lupus*. Piscis est marinus ille quidem, sed qui flumina subeat: ita dictus a voracitate, ab oris ingenti rictu et hiatu. Gallice, *un loup marin*.

32. *Hiet*. Quia pisces, ut capti sunt, hiare et palpitare solent.

33. *Amnis tusci*. Tiberis, qui e Tuscia profluit in mare Tyrrhenum.

34. *Pulmenta, etc*. Frusta. *Mullus* est piscis exquisitus, *un mulet* ou *surmulet*.

35. *Ducit, etc*. Ejus magnitudo te capit ac delectat. — *Quo pertinet, etc*. Id est, cur ergo lupos pisces odisti, quum sunt proceri et majores?

37. *Modum, pondus*. Mensuram, magnitudinem.

38. *Vulgaria*. Communes cibos, et quales sunt a natura comparati.

39. *Magnum*. Subaudi piscem, mullum.

40. *Harpyiis, etc*. Erant illæ rapaces quædam deæ; de quibus Virgilium vide, *Æn*. lib. 3. — *Gula*. Homo gulosus, helluo.

41. *Præsentes*. Meis precibus faventes, propitii. — *Coquite*. Putrefacite, corrumpite. — *Austri*. Enim, venti a meridie flantis aura æstuosa est, ac rabida. — *Obsonia*. Cibos. — *Quanquam, etc*. Festiva correctio prioris imprecationis.

42. *Putet*. Sordet, nauseam creat. — *Rhombus*. Piscis est, *un turbot*. — *Mala*. Nimia. — *Copia*. Scilicet ciborum.

43. *Rapula*. Sunt radices edules et notæ, *des raves*.

44. *Inulas*. Inula, herba quædam, *l'aulnée*.

45. *Vilibus*. Parvi pretii.

Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni præconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus æquor alebat?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit prætorius. Ergo
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis romana juventus.
   Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Judice. Nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas est, et silvestria corna:
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret), cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis angit.
Mundus erit, qui non offendet sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit,

46. *Nigris*. Nigrescunt oleæ quum maturescunt.

47. *Galloni, etc.* Ante paucos annos merito vituperatus est Gallonius, quod primus omnium acipenserem piscem, *un esturgeon*, in sua mensa epulandum convivis apposuerit.

48. *Quid, etc.* Quando apponi cœptus est acipenser, nonne in mari quoque erant rhombi, in agris ciconiæ?

50. *Prætorius*. Nonnulli eum Asinium Sempronium Rufum appellant; voluntque dici prætorium joco; quia quum præturam peteret, repulsam tulit, ob ciconias interfectas, et mensæ appositas.

51. *Mergos*. Quamvis natura duros, et ita siccos, ut igne torreri vix queant, *des plongeons*. — *Edixerit*. Quasi pro imperio, ut solent magistratus, dixerit.

52. *Parebit*. Fidem adjunget, iis vescetur. — *Pravi docilis*. Quæ cito prava discit.

53. *Sordidus, etc.* Hoc secundum Ofelli axioma, et præceptum est.

54. *Illud*. Luxum et sumptuosum victum.

55. *Alio*. Ad contrarium vitium, id est, ad sordidum victum. — *Avidienus*. Homo sordidi et immundi victus, ideoque canis merito appellatus.

56. *Ex vero*. Ex morum veritate.

57. *Quinquennes, etc.* Oleas vetustate corruptas, ab annis quinque tectas. — *Est*. Edit. — *Corna*. Sunt fructus silvestres, e cerasorum genere, *des cornouilles*.

58. *Mutatum*. Acidum. — *Parcit*. Cavet, timet. — *Defundere*. Ex amphora in cyathum fundere.

59. *Et cujus, etc.* Et oleum, cujus odorem nequeas perferre, guttatim fundit e cornu, hoc est, vase corneo, duas libras capiente, vetus acetum large effundens. — *Licebit, etc.* Hoc loco idem est, ac *licet*.

60. *Reposita*. Epulas quæ die nuptias sequente fiebant. — *Natales*. Subaudi dies.

61. *Albatus*. Veste alba indutus, qui color lætitiæ convenit: quare in sacrificiis, spectaculis et conviviis, adhibebatur.

64. *Utrum*. Gallonium, an Avidienum? — *Lupus*. Homo luxuriosus. — *Canis*. Avarus. — *Hac, etc.* Proverbium hoc in eos cadit, qui suspenso sunt animo, duplici periculo urgentur, quo se vertant incerti.

65. *Mundus erit*. Censeo ut sapiens mundo, et medio quodam, inter sordidum sumptuosumque, utatur victu.

66. *Hic*. Sapiens.

67. *Didit, etc.* Dividit.

Sævus erit; nec sic, ut simplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam; vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam, variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una;
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus; ubique
Accedent anni, et tractari mollius ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus præsumis mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus
Illis nullus erat, sed credo, hac mente, quod hospes
Tardius adveniens, vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famæ, quæ, carmine gratior, aurem

68. *Simplex*. Negligens.

70. *Quæ*. Quæ utilitates, commoda.

71. *Valeas*. Hoc affert commodum, ut bene valeas.

73. *Assis*. Tostis carnibus.

74. *Elixa*. Coctas carnes.—*Conchylia*. Ostrea, pisces. — *Turdis*. Avibus. Turdus, avis notus, *une grive*.

75. *Bilem*. Bilis est humor, siccus et calidus; pituita, humor frigidus et humidus: unde inter se pugnant, et tumultum, id est, bellum intestinum stomacho afferunt.

77. *Cœna desurgat*. Surgat de cœna. — *Dubia*. Ubi convivæ dubitant, quas gustent ac sumant potissimum dapes; ita multæ, et variæ sunt.

78. *Vitiis*. Intemperantia.

79. *Auræ*. Id est, partem divini spiritus, et ipsius Numinis portionem, ut putabant.

80. *Alter*. Qui parcus et frugalis est. —*Dicto citius*. Exiguo tempore, obiter et quasi aliud agendo. — *Curata*. Cibo refecta. — *Sopori dedit, etc.* Somno recreavit.

82. *Ad melius, etc.* Ad lautiorem victum. Erit ubi vescatur benignius.

84. *Tenuatum*. Labore defatigatum. — *Ubique, etc.* Et ubi, et quando senex erit.

87. *Præsumis*. Ante opportunum et idoneum tempus sumis.

89. *Rancidum, etc.* Commendat frugalitatem, ab exemplo majorum. — *Laudabant*. Ut indicium frugalitatis: quia id erat signi, aprum sæpius mensæ appositum fuisse, et frustatim, diuque comesum.

90. *Hac mente*. Rati esse honestius illum, quamvis putentem et semesum, ab hospite consumi, quam integrum et recentem ab domino.

93. *Tellus prima*. Pro antiqua ætate ponitur.

94. *Das aliquid famæ*. Quod si te famæ tuæ cura tangit quæ omni canti-

Occupat humanam? grandes rhombi, patinæque,
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
As, laquei pretium. « Jure, inquis, Thrasius istis
Jurgatur verbis : ego vectigalia magna,
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. » Ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius, hic, qui
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum,
An qui, contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et natis, fortem mercede colonum,
« Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam, præter olus, fumosæ cum pede pernæ.
Ac mihi, seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem

lena et harmonia gratior, ad hominum aures accidit.

96. *Ferunt.* Afferunt.—*Cum damno.* Cum rei familiaris jactura.

97. *Iniquum.* Displicentem et odiosum.

99. *Laquei pretium.* Quo emas laqueum. — *Thrasius.* Aliquis lautus, et luxui deditus, idemque pauper.

100. *Jurgatur.* A te objurgatur, bis verbis reprehenditur, non ego. — *Vectigalia.* Pro censu, latifundiis, annuo proventu prædiorum, etc., accipitur ea vox.

101. *Tribus amplas regibus.* Quæ tribus regibus sufficerent.

102. *Quod superat.* Quod tibi superfluum est, illud melius non potes insumere.

103. *Eget.* Est pauper. — *Indignus.* Qui meretur non egere, qui divitiis est dignus.

105. *Emetiris.* Ex acervo metiris, decutis, seponis.

104. *Caræ.* Quæ tibi cara debet esse.

107. *Posthac.* Quum tibi res evenient adversæ, tunc risum præbebis magnum inimicis. — *Uterne?* Uter tandem? legitur etiam *uternum.*

108. *Fidet, etc.* Perfugium in rebus afflictis et miseris certius et paratius habebit. — *Hic qui, etc.* Is qui laute semper se tractaverit.

109. *Pluribus.* Rerum abundantiæ.— *Superbum.* Lauto cultu victuque corpus superbit, ac velut efferatur.

112. *Quo magis, etc.* Videtur hactenus locutus fuisse Ofellus : jam Horatius illi adstipulatur, ejusque axiomata confirmat.

113. *Latius, etc.* Largius.

114. *Accisis.* Imminutis. — *Videas.* Quilibet videre et audire potest ita dicentem et narrantem : non ego temere, etc.— *Metato.* Dimenso in certa jugera, ut militibus assignaretur.

116. *Temere.* Facile, passim, sine certa et gravi causa. — *Luce profesta.* Diebus non festis.

117. *Pernæ.* Perna est pars coxæ porcinæ, pedi proximior, juncta ipsi pedi.

119. *Operum vacuo.* Vacanti ab labore, et opere rustico.

Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hædo : tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat cuppa potare magistra :
Ac venerata Ceres, ut culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis.
Sæviat, atque novos moveat fortuna tumultus,
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura, neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris,
Postremo expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius; sed cedit in usum,
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus. »

120. *Bene erat.* Genio videbar indulgere. Abunde mihi erat ad convivium pullus, etc.

121. *Pensilis uva.* Uva passa et siccata. — *Secundas mensas.* In quibus bellaria et fructus apponebantur. Vide oden 4, lib. 4.

122. *Duplice ficu.* Alii intelligunt ficus bifidas seu in duas partes divisas; alii autem explicant ficum duorum generum, id est albam et nigram; alii denique accipiunt *duplice* pro latiore, ingentiore.

123. *Post hoc, etc.* Post illas epulas agrestes et inemptas, non alius nobis ludus magis arridebat, quam potitare, etc.

124. *Venerata.* Culta et rogata : ut culmos grandiores tolleret, messem opimam largiretur.

125. *Explicuit, etc.* Sensus est : pleni spe bona messis uberioris, quam nobis venerata Ceres facere videbatur, ad largius bibendum nos invitabamus, et curas ac negotia seria, quæ frontem contrahunt, discutiebamus vino; animos exhilarabamus.

127. *Hinc, etc.* Ex his angustiis opibus, ex hac regula, quid mihi poterit auferre, qui parvo contentus sum?

128. *O pueri, etc.* Ex quo novus incola, Umbrenus, agrum meum invasit, an ideo, o servi, ego et vos parcius viximus? — *Nituistis.* Pingues et nitidi, lauti fuistis.

129. *Propriæ.* Ut propria cuique maneat et perpetua quasi possessio. — *Illum.* Umbrenum.

131. *Nequities.* Luxuria, profusi sumptus, vita flagitiosa.

132. *Vivacior.* Diutius vivens.

133. *Nunc ager, etc.* Ille ager, qui non ita pridem ager Ofelli dicebatur, qui nunc Umbreni nomine dicitur, etc.

134. *Nulli proprius.* Nulli perpetuus.

135. *Vivite fortes.* Vivite forti animo adversus fortunæ incommoda.

SATIRA III.

Fuse tractat paradoxum illud stoicorum, Omnes prope homines insanire.

DAMASIPPUS.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,

1. *Sic raro.* Raro, et quidem tam raro, ut, etc.— *Scribis.* Scilicet carmina.

2. *Membranam.* Chartam. — *Poscas.* A servulo tibi dari jubeas. — *Scripto-*

Iratus tibi, quod vini somnique benignus,
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? ab ipsis
Saturnalibus huc fugisti; sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis : incipe. Nil est?
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dis, atque poetis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren
Desidia, aut quidquid vita meliore parasti
Ponendum æquo animo.
HORATIUS. Di te, Damasippe, deæque
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti?
DAMASIPPUS. Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære :
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset :

rum quæque retexens. Omnia, quæ scripsisti, emendans, expoliens.

3. *Iratus tibi.* Ægre te ipsum ferens, quod quum in urbe degeres, ubi vino et somno largius indulgebas, nihil scriberes dignum, quod in publicam lucem ederetur.

4. *Quid fiet?* Quorsum evadet ista tua socordia?

5. *Saturnalibus.* Saturnalia, Saturni feria, decembri mense celebrabantur; in iis genium curabant. — *Huc.* Rus. — *Fugisti.* Ut in otio et sobrius scriberes, te ab urbe (in qua omnia personabant Græcantium clamoribus) proripuisti.

6. *Nil est.* Subaudi, excusationis tibi. Alii intelligunt *nihil est*, nihil in medium profers, nihil scribis.

7. *Culpantur*, *etc.* Frustra calamos accusas, et feris parietem.

8. *Iratis dis.* Quod ad tristem sortem natum est, diis iratis natum esse dicitur.

9. *Atqui*, *etc.* Tamen mira quædam te scripturum promittebas.

10. *Vacuum.* Otiosum. — *Tepido.* Vel propter cœli clementiam, vel propter focum liberalem.

11. *Stipare*, *etc.* Congerere libros Platonis et Menandri.

12. *Eupolin.* Qui fuerit, vide satiram 2, lib. II. — *Archilochum.* De illo vide oden 6, Epodon lib.

13. *Invidiam*, *etc.* An paras superare invidiam, eos qui tibi invident mitigare, nihil scribendo, laborem et litteras relinquendo? Aberras tota via : contemnent illi te, qui prius invidebant, etc.

14. *Improba Siren desidia.* Desidia improba ut Sirenes, monstra marina, quæ cantus suavitate nautas in scopulos devocabant.

15. *Quidquid*, *etc.* Fama quam bonis artibus et studiis collegisti.

17. *Verum.* Sapiens, æquum. — *Tonsore.* Qui longam istam, et philosophicam barbam radat.

18. *Postquam*, *etc.* Ex quo fortunarum omnium jacturam feci; quum negotia propria jam habeam nulla, curo aliena. — *Janum ad medium.* Erat in foro romano vicus Jani, a Jani bifrontis vel templo vel statua ita dictus : eo conveniebant argentarii et fœneratores.

19. *Fracta est.* Ducitur a naufragio metaphora.

20. *Olim*, *etc.* Quum floreret mea res familiaris, veteres statuas et antiqua pocula curiose quærebam, etc.

21. *Sisyphus.* Æoli filius, Corinthi rex, homo mire astutus. — *Ære.* Vase æreo.

22. *Infabre.* Inscite, impolite. — *Fusum durius.* Conflatum ineleganter et aspere.

Callidus huic signo ponebam millia centum :
Hortos, egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram : unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita.
HORATIUS. Novi,
Et morbi miror purgatum te illius.
DAMASIPPUS. Atqui
Emovit veterem mire novus; ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri, capitisque dolore :
Ut lethargicus hic quum fit pugil, et medicum urget.
HORATIUS.
Dum ne quid simile huic, esto ut libet.
DAMASIPPUS. O bone, ne te
Frustrere : insanis et tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Descripsi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam, male re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit; et : Cave faxis
Te quidquam indignum; pudor, inquit, te malus urget,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram quid sit furere : hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quemcumque inscitia veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex

23. *Huic signo*. Statuæ alicui : certam pecuniæ summam pro incerta et qualibet nominat. — *Ponebam*, *etc*. Illa æstimabam centum millibus sestertium : quæ summa conficit 20,000 *fr*.

25. *Unde*, *etc*. Ideo compita frequentia, id est mercatores, qui solent in compita frequentes convenire, mihi cognomen Mercurialis, id est, a Mercurio dilecti, imposuerunt.

26. *Compita*. Loca in urbe, ubi plures viæ coeunt; *carrefour*.

27. *Morbi purgatum*. Græca locutio : morbo te isto purgatum. — *Atqui*, *etc*. Veteri morbo expulso novus successit : olim res meas, nunc alienas curo.

28. *In cor*, *etc*. Sic aliquando morbus lateris et capitis, solet in stomachum trajici et traduci. *Lethargus* est morbus, qui veternum et somnum pæne inexpugnabilem afferre solet.

31. *Dum ne quid*, *etc*. Esto ut libet, labora quo libuerit morbo, etc. — *O bone*, *etc*. O amice, rides, et phrenesiam insaniamque mihi objicis, etc.

32. *Frustrere*. Decipias. — *Omnes*. Subaudi sunt, vel, insaniunt : aiebant enim stoici, stultos omnes, id est aliqua vitiosa cupiditate implicatos, insanire.

33. *Stertinius*. Stoicus philosophus. — *Crepat*. Edicit, loquitur. — *Unde*. Ex quo Stertinio.

35. *Pascere barbam*. Suasit mihi philosophus ut essem.

36. *Fabricio ponte*. Unde me præcipitare volebam. Pons ille a Fabricio structus fuit, et insulam Tiberinam jungit, ab ea parte, quæ meridiem et montem Tarpeium respicit : ab altera vero parte, quæ Janiculum spectat et campum Martium, est pons Cestius.

37. *Male re gesta*. Amissis fortunis : mercatura non succedente. — *Operto*. Involuto. In luctu caput velabant, maxime si moriendi consilium cepissent, quasi vitam et lucem perosi.

38. *Dexter*. Auspicatus, felix.

39. *Pudor malus*. Vitiosus pudor ob rem male gestam te angit.

42. *Nil verbi*, *etc*. Non te pluribus verbis deterrebo ne fortiter mortem oppetas.

44. *Chrysippi*, *etc*. Stoici omnes, quorum dux Chrysippus.

Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe quare
Desipiant omnes, æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus. Hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiæ, nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur:
Alterum et huic varium, et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor:
« Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva! »
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te appello, clamantibus. Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
  Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? esto:

45. *Autumat.* Insanum putat.—*Hæc formula*, *etc.* Hoc axioma stoicæ scholæ, et quasi prætorium edictum, nempe *omnes improbos insanire;* populum regesque ipsos comprehendit.

49. *Palantes.* Vagantes. — *Certo tramite.* Recto itinere.

50. *Unus, etc.* Errant ambo, licet diversis partibus et itineribus.

52. *Nihilo ut, etc.* Adeo ut nihilo te sit sapientior, qui te ridet, similique ac tu ratione caudam trahat, id est, insaniat, ridendus sit. — *Caudam trahat.* Solent enim pueri deridentes nescientibus a tergo caudam suspendere.

53. *Est genus, etc.* Est, inquit, unum genus stultitiæ, eorum qui timent ea quæ non metuenda sunt, qui videre sibi ubique ignes videntur et rupes. Alterum huic varium, id est ab illo diversum, eorum est, qui non timent ea quæ jure sunt metuenda, qui ultro in ignes præcipitant sese, etc.

59. *Serva.* Cave, serva te.

60. *Fufius, etc.* Actor quidam, qui, quum Ilionæ personam ageret, eamque imitaretur dormientem, ita ut, ad vocem Polydori ipsam inclamantis, deberet expergisci, adeo præclare et vere dormivit, quod esset ebrius, ut excitari e somno nunquam potuerit, quamvis Catienus, qui Polydorum agebat, istas voces, *Mater te appello*, clamitaret. Tunc spectatores, numero mille et ducenti, cum Catieno succlamarunt: *Mater te appello.*

61. *Ilionam.* Erat Iliona maxima filiarum Priami, uxor Polymnestoris, Thraciæ regis, cui Priamus Polydorum filium alendum clam, ut amico regi et affini, tradiderat initio belli trojani, martis communis aleam veritus. At hunc Polymnestor auri quod a Priamo acceperat, ut Polydorum educaret ac celaret, amore captus, obtruncavit.

62. *Huic ego, etc.* Ego docebo et demonstrabo vulgum omnem insanire, et errare errorem, huic errori similem, id est, errore simili laborare: sic dicimus, *dolere dolorem alterius*, *gaudium gaudere*.

65. *Integer, etc.* An sanus est is, qui tibi ementi credit? — *Esto, etc.* Finge hoc a me tibi dici; accipe quod nunquam mihi reddas; certe non eris tu insanus, illud si accipias; esses autem profecto si id recusares, et lucrum rejiceres, quod tibi propitius offert Mercurius: ego potius insanirem, qui sic darem tibi. Idem faciunt omnes fere creditores: dant debitoribus quod nun-

« Accipe quod nunquam reddas mihi, » si tibi dicam;
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors
Rejecta præda quam præsens Mercurius fert?
— Scribe decem a Nerio.—Non est satis; adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas :
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.
Quum rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, quum volet, ar-
Si male rem gerere, insani est; contra, bene sani; [bor.
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli,
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria, tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris :
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro;
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri,

quam ab iis reddatur; unde multo sunt illis insaniores.

69. *Scribe, etc.* Ostendit debitores non reddere pecuniam ipsis datam, atque adeo insanire creditores a quibus eam accipiunt. *Scribe.* Scilicet te accepisse. — *Decem.* Subaudi millia sestertiorum (2000 *fr.*). — *Nerio.* Quodam argentario. — *Non est satis, etc.* Non sufficiat scribere nomen tuum et debitoris in argentarii tabulis : adde, ut res tibi sit tutior, tabulas Cicutæ, alterius argentarii, seu fœneratoris peritissimi, qui mille modis et nodis solet debitores constringere ne elabantur.

71. *Proteus.* Id est, debitor, in varias formas se versans, ut Proteus, deus marinus, Neptuni pastor.

72. *Malis, etc.* Malis, sive maxillis alienis ridere, est intempestive et nequiter ridere.

74. *Si male, etc.* Pergit ostendere creditores stultiores esse debitoribus. Nam, inquit, si stultus est, qui rem domesticam male administrat, qui sua inscitia et negligentia rem perdit, contra vero, si sapit ille qui rem facit; certe multo insanior est Perillus, creditor tuus, qui vendit tibi statuas, hortos, etc.

76. *Rescribere.* Est delere quod scriptum erat.

77. *Audire, etc.* Stertinius hoc, quasi pro concione diceret, pronuntiat. — *Togam componere.* Scilicet defluens toga et soluta non decet modestos et attentos auditores.

79. *Superstitione.* Cultus est falsus et supervacaneus Numinis : pro falsa religione sæpe usurpatur.

80. *Propius, etc.* Adite me propius, ut quosque appellabo.

82. *Danda est, etc.* Avaros primo insanire docet. *Elleborum* est herba, qua insania purgatur; *de l'ellébore* : nascebatur in insula Græciæ Anticyra optimum.

84. *Heredes.* Staberius quidam, avarus insignis, idemque ditissimus, jussit ab suis heredibus notari et scribi in marmore quo ejus tumulus tegebatur, quam eorum quisque summam in hereditate cernenda cepisset : quo testatum esset posteris, quam dives obiisset.

85. *Ni sic, etc.* Cavit testamento suo, ut, nisi summam illam suo sepulcro scriberent, damnarentur dare centum paria gladiatorum, etc.

86. *Damnati.* Hac utebantur vulgo formula : *Heres damnas esto dare, etc.* Atque ita sanctissime ac firmissime obligati heredes ad faciendum id, quod testamento cavebatur, censebantur. — *Paria.* Par gladiatorum, duo gladiatores inter se compositi. — *Epulum.* Hoc quoque observatum in funeribus.

Frumenti quantum metit Africa. « Sive ego prave,
Seu recte, hoc volui, ne sis patruus mihi. » Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse.
DAMASIPPUS. Quid ergo
Sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit?
STERTINIUS. Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus.
DAMASIPPUS. Sapiensne?
STERTINIUS. Etiam et rex,
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore.
DAMASIPPUS. Quid simile isti
Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
STERTINIUS.
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec musæ deditus ulli;
Si scalpra, et formas, non sutor; nautica vela,
Aversus mercaturis; delirus, et amens
Undique dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti

ut in ædibus demortui, aut publice convivium præberetur. — *Arri*. Alicujus prodigi et sumptuosi hominis; qui proinde sumptum esset prolixe facturus.

87. *Quantum*, *etc*. Id est, maximam vim frumenti; subaudi largiri populo. — *Sive ego*, *etc*. Inducitur Staberius loquens, et testamentum condens.

88. *Ne sis patruus mihi*. Noli me reprehendere : *patruus*, objurgator, vituperator.

89. *Hoc vidisse*. Id eo consilio fecisse. Nempe quod postea subjicit, timuisse ne pejor videretur, si pauper moreretur : speravit magnæ sibi laudi opes fore, ut virtute paratas et industria.

92. *Cavit nihil acrius*. Nullam rem attentius vitavit.

93. *Uno quadrante*. Quadrans est quarta pars assis, unciæ tres.

98. *Hoc*. Divitem esse. — *Virtute*. Frugalitate, parcimonia, sapientia.

99. *Quid simile*, *etc*. Subaudi, fecit? Aliud stultitiæ proponit exemplum, in opum contemptu parum moderato.

100. *Aristippus*. Socratis auditor, Cyrene in Libya natus.

102. *Uter*, *etc*. Staberius, an Aristippus? Certe Staberius videtur insanior, avarus, prodigo, aut uterque æque desipit.

105. *Musæ*. Hoc nomen de musica pariter et qualibet scientia, præsertim vero de poetica dicitur.

106. *Scalpra*. Gladioli sunt sutorii, quibus corium scinditur, *des tranchets*. — *Formas*. Ligneas formas, quas sutores in calceos conficiendos inducunt et immittunt, *des formes*.

107. *Aversus mercaturis*. Abhorrens a mercatura facienda et navigatione.

Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus chii veterisquè falerni
Mille cadis, nihil est, ter centum millibus, acre
Potet acetum : age, si et stramentis incubet, unde-
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca :
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? Tun' sanus? Populum si cædere saxis
Incipias, servosve tuos, quos ære pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellæ :
Quum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprendere possis :
Non Pyladem ferro violare, aususve sororem

110. *Compositis*. Collectis.

112. *Cum longo fuste*. Ad amovendas bestiolas.

113. *Esuriens dominus*. Quamvis sit acervi dominus.

114. *Foliis*. Leguminibus.

115. *Intus*. In cella vinaria.

116. *Nihil est*. Parum est.

117. *Acetum*. Vappam, vinum corruptum. — *Stramentis*. Palea textili, *natte*, *paillasse*.

118. *Unde-octoginta*. Septuaginta novem; quasi, uno dempto de octoginta. — *Stragula*. Quæ lecto insternitur, *une couverture*, *une courtepointe*, a sternendo dicta : non tam ad usum, quam ad ornatum comparata.

119. *Blattarum*. Blattæ, ac tineæ, vermiculi sunt, vestem arrodentes : *mites*, *teignes*, *vers qui rongent les habits*.

122. *Filius*, *etc*. Hæc omnia custodis, o senex, ut filius tuus bibendo absumat.

125. *Caput*, *etc*. Curabant caput oleo odorato, sive unguentis.

126. *Porrigine*. Est morbus quidam capitis, quum inter pilos enascuntur squamulæ quædam; quod impexis fere accidit.

127. *Si quidvis*, *etc*. Si tibi exiguum quidpiam sufficit ad victum.

129. *Ære pararis*. Pecunia emeris.

131. *Uxorem*, *etc*. Ut ejus dotem possideas. — *Matrem*. Ut fruaris hereditate.

132. *Quid enim? etc*. At enim ita te excusabis, dicesque hæc non facere Argis, in Græcia, non uti ferro, ut Orestes, etc.

135. *Furiis*. Furiæ, sive Eumenides, Noctis filiæ.

Electram : tantum maledicit utrique, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus; ut heres
Jam circum loculos et claves lætus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer, atque fidelis,
Excitat hoc pacto : mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit. Addit et illud :
« Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet heres. —
Men' vivo? — Ut vivas igitur, vigila : hoc age. — Quid
Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque [vis? —
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ. —
Quanti emptæ? — Parvo. — Quanti ergo? — Octussibus. —
Quid refert, morbo, an furtis, pereamne rapinis? » [Eheu!

DAMASIPPUS.
Quisnam igitur sanus?

STERTINIUS. Qui non stultus.

DAMASIPPUS. Quid avarus?

STERTINIUS.
Stultus, et insanus.

DAMASIPPUS. Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus?

STERTINIUS. Minime.

DAMASIPPUS. Cur, stoice?

STERTINIUS. Dicam.

141. *Aliud.* Alio nomine, alio convicio, quod ira suggessit. — *Splendida.* Flava bilis, quæ furorem excitat.

142. *Pauper argenti.* Qui quamvis aurum argentumque intus, id est, domi in arca positum et reconditum haberet, ejus tamen erat pauper, quia illo non utebatur.

143. *Veientanum.* Vinum vile, in agro Etruriæ veientano natum.

144. *Trulla.* Vase fictili, facto in Campania; vili patera. — *Vappam.* Vinum acidum et fugiens.

145. *Lethargo.* Morbus est, quo qui laborant somno gravi et perpetuo obruuntur.

146. *Loculos.* Arcas, sacculos, ubi erant Opimii nummi.

147. *Celer.* Scilicet in consilio capiendo. — *Fidelis.* Sedulus.

148. *Mensam.* In qua numeraret nummos.

150. *Erigit.* E somno lethargico excitat nummorum tinnitu.

152. *Men' vivo?* Verba sunt Opimii : Mene adhuc vivente et superstite, meos mihi nummos heres auferet? — *Vigila.* Somnum excute. — *Hoc age.* In hoc unum incumbe, attende quid dicam : audin'? — *Quid vis?* Voces Opimii.

153. *Deficient, etc.* Loquitur medicus. — *Inopem.* Languentem et jejunum. — *Venæ.* In quibus sanguis et vires.

154. *Fultura.* Præsidium, robur.

155. *Tu cessas?* Quid cunctaris? — *Ptisanarium, etc.* Ptisanam, seu pultem, confectam ex oryza, *du riz.*

156. *Quanti.* Petit hoc Opimius. — *Parvo.* Respondet medicus. — *Eheu! etc.* Quid refert, inquit Opimius, an peream furtis et rapinis meorum heredum, an morbo, qui curandus sit tot sumptibus, ita ut asses octo in unam ptisanam abeant?

Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger: recte est igitur, surgetque? negabit;
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus: immolet æquis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus, et audax:
Naviget Anticyram: quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo prædia, dives
Antiquo censu, gnatis divisse duobus
Fertur, et hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: « Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem,
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequere Cicutam.
Quare per divos oratus uterque Penates,
Tu, cave ne minuas; tu, ne majus facias id
Quod satis esse putat pater, et natura coercet.
Præterea, ne vos titillet gloria, jure-
Jurando obstringam ambo: uter ædilis fueritve
Vestrum prætor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,

161. *Non est cardiacus.* Non laborat cordis seu stomachi dolore. — *Craterum.* Medicum.

164. *Sordidus.* Avarus. — *Immolet, etc.* Gratias agat diis Laribus, quos propitios expertus est; et ipsis porcum immolet.

165. *Audax.* Temerarius: fortitudinis famam aucupans.

166. *Naviget Anticyram.* Id est, illum insanum esse pronuntio, qui elleboro curandus sit, quod in Anticyra nascitur. — *Barathrone dones.* In largitiones et alios ejusmodi sumptus profundas.

167. *Paratis.* Quæsitis, comparatis.

168. *Canusi.* In urbe Canusina: oppidum est Apuliæ, in Italia, hodie *Canosa.*

169. *Antiquo censu.* Avitis opibus pollens. — *Divisse.* Divisisse.

171. *Nuces.* Iis vulgo lusitabant pueri.

172. *Sinu laxo.* Incuriosus, negligens. Id dicimur laxo sinu ferre, cujus nullam curam gerimus — *Donare.* Liberalem et prodigum esse.

173. *Tiberi.* Tiberius erat alter filiorum Servii Oppidii. — *Numerare, etc.* Numerare nuces, ossicula, et locis occultis abscondere. — *Tristem.* Sollicitum.

174. *Discors.* Dissimilis.

175. *Nomentanum.* Helluonem et prodigum. — *Cicutam.* Avarum fœneratorem.

176. *Penates.* Iidem qui Lares, de quibus paulo ante mentionem fecit vers. 165.

178. *Coercet.* Moderatur, certis finibus definit et continet.

179. *Præterea.* Præterea ego vos id mihi volo, ut jurati promittatis, fore ut nunquam patiamini vos ambitione et gloriæ cupiditate duci.

180. *Ædilis.* Romanus erat magistratus, cui ædium privatarum et publicarum, ludorum, etc., cura mandata.

181. *Intestabilis.* Sic appellatur ille, qui jus non habet condendi testamenti: vel quem nemo adhibere testem potest ob improbitatem, insaniam, etc. — *Sacer.* Exsecrandus, detestabilis.

182. *In cicere, etc.* Hæc ita explica: Tune (filiorum alterutrum alloquitur, cui interminatus est ne ædilis, aut prætor esset) bona tua perdas in dividendis cicere, faba, aut lupinis, plebi? — *Faba.* Cicer, lupinos, fabas, et alia legumina id genus, populo distribuebant ædiles in ludis, maxime Floralibus; idem faciebant vulgo candidati, ut populi suffragia captarent.

Latus ut in circo spatiere, aut aheneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem? »
Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

AGAMEMNON.

Rex sum.

STERTINIUS. Nil ultra quæro plebeius.

AGAMEMNON. Et æquam
Rem imperito : ac, si cui videor non justus, inulto
Dicere quæ sentit, permitto.

STERTINIUS. Maxime regum,
Di tibi dent capta classem deducere Troja.
Ergo consulere, et mox respondere licebit.

AGAMEMNON.

Consule.

STERTINIUS. Cur Ajax, heros ab Achille secundus,
Putrescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami, Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro?

AGAMEMNON.

Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulyssem,
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.

STERTINIUS.

Tu quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas?

AGAMEMNON. Quorsum?

STERTINIUS. Insanus quid enim Ajax
Fecit, quum stravit ferro pecus? abstinuit vim

185. *Agrippa*. Augusti gener, qui, quum esset ædilis anno U. C. 721, splendidissimos ludos atque spectacula edidit.

186. *Ingenuum*. Nobilem, generosum. — *Vulpes imitata*. Similis vulpi æsopiæ, quæ pellem leonis induerat.

187. *Ne quis, etc*. Docet exemplo Agamemnonis, cupidos gloriæ, maxime bellicæ, esse insanos. — *Vetas cur?* Loquitur plebeius : Cur, o Agamemnon, fili Atrei, vetas, etc.

189. *Inulto*. Impune.

192. *Consulere*. Interrogare. Leniori verbo utitur, quia regem alloquitur.

193. *Ab Achille secundus*. Uno Achille inferior.

194. *Putrescit*. Insepultus jacet. — *Achivis*. Græcis.

195. *Gaudeat, etc*. Cur pateris eo insepulto lætari nostros hostes?

196. *Per quem, etc*. Qui tot Trojanos interfecit, et insepultos putrescere coegit.

197. *Ulyssem*. Achillis arma impetraverat Ulysses.

199. *Aulide*. Græciæ portus fuit, ad quem quum Græcorum classis, ad bellum trojanum profectura, consisteret silentibus ventis, ac iratis diis, responsum est eos, nisi mactata Iphigenia, placari non posse. — *Natam*. Iphigeniam.

200. *Mola*. Far, sive hordeum erat, tostum, et mixtum sale, quo cultros et victimæ caput spargebant.

201. *Rectum, etc*. Subaudi statum : an sanus es? — *Insanus, etc*. Quid fecit gravioris sceleris Ajax insaniens? occidit gregem ; at ab uxore et filio manus violentas abstinuit, id est, in eos non sævit, non in Teucrum, etc.

Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis;
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.

AGAMEMNON.

Verum ego, ut hærentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.

STERTINIUS.

Nempe tuo, furiose.

AGAMEMNON. Meo, sed non furiosus.

STERTINIUS.

Qui species alias veris, scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur; atque
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax, quum immeritos occidit, desipit, agnos:
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi, quum tumidum est,
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam. [cor?
Huic vestem, ut natæ, paret ancillas, paret aurum;
Pusam aut pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis natam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum;

203. *Atridis*. Agamemnoni et Menelao.

205. *Adverso*. Inimico et infesto; unde solvere naves nequibant.

206. *Prudens*. Certo, et pio consilio.

208. *Qui species, etc.* Parum intererit, an isto errore stulto peccet, ut tu, o Agamemnon, an furore et ira, ut Ajax.

209. *Capiet*. Animo concipiet.

212. *Ob titulos, etc.* Ut tibi concilies gloriam patriæ servatæ, ut ambitioni servias. — *Admittis scelus*. Jugulas filiam.

213. *Stas animo?* Integer animi es? — *Tumidum*. Ambitiosum.

215. *Paret*. Emat, adhibeat. — *Aurum*. Aurea ornamenta.

216. *Pusam, pusillam*. Nomina blandientia, id est, puellam, filiolam.

217. *Destinet uxorem*. Si illam collocare in matrimonium meditetur. — *Interdicto, etc.* Certe causa justa erit, cur prætor insano illi eripiat jus omne, sua nimirum bona administrandi, et civilia obeundi munera.

218. *Tutela*. Horatius hic tutelam pro curatione posuit. *Tutela* enim, proprie est vis ac potestas in capite libero, jure civili data, ad tuendum eum, qui se per ætatem defendere non potest. *Curatio* vero est munus eorum qui puberibus prodigis mente captis ac furiosis, aliisque, quod res suas gerere non possent, administratores dabantur ex lege, hique proprie *curatores* dicebantur, alii vero *tutores*.

219. *Devovet*. Aræ destinat.

220. *Ne dixeris*. Certe id non dices.

221. *Prava stultitia*. Error, cupiditas, scelus quodlibet.

222. *Vitrea*. Fragilis, splendida, instar vitri.

223. *Hunc, etc.* Qui ambitione et bellicæ laudis gloria captus est, illum Bellona reddit attonitum, id est, insanum. — *Gaudens cruentis*. Quæ cruorem amat et cædem. Bellona dea est belli, Martis soror.

224. *Arripe*. Expende, excute.

Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici;
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? venere frequentes;
Verba facit leno : « Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc pete, vel cras. »
Accipe quid contra juvenis responderit æquus:
« In nive lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego : tu pisces hiberno ex æquore verris :
Segnis ego, indignus qui tantum possideam : aufer,
Sume tibi decies; tibi tantumdem; tibi triplex. »
Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam : qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quincti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemptas,
Quorsum habeant sani? creta, an carbone notandi?
Ædificare casas, plaustello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,

225. *Vincit.* Plane ostendit. *Nepotes.* Dissolutos, prodigos.

226. *Hic.* Nomentanus. — *Mille talenta.* Talentum circiter 5400 fr.

227. *Edicit.* Palam denuntiat et moneri jubet, ut adsint postridie mane apud se piscatores, etc. — *Pomarius.* Pomorum venditor. — *Unguentarius.* Pharmacopola, qui unguenta vendit.

228. *Tusci, etc.* Cupidinarii, perditi homines, qui vicum Tuscum, *la rue Toscane,* ita dictum ab Etruscis ibi olim degentibus, habitabant.

229. *Scurris.* Scurræ, sunt homines dicaces et festivi, qui risum aliis movent, sæpe illiberaliter et putide; *un bouffon.* — *Fartor.* Qui farcimina conficit; *un charcutier.* — *Velabro.* Velabrum, *le Velabre,* locus Romæ celebris, ubi erant unguentarii.—*Macellum.* Locus ubi vendebantur obsonia; *le marché.*

231. *Leno.* Mancipiorum venditor.

233. *Æquus.* Qui cum æquitate rependit pecuniam pro cujusque labore. Clemens, largus et prodigus.

234. *Lucana.* Est Lucania regio Italiæ extremæ, prope Calabriam, ad mare Inferum. — *Dormis.* Tu, o venator.

235. *Tu.* O piscator.

236. *Segnis ego.* Et ego interim segnis sum, et otiosus, te mea causa laborante; næ indignus sum qui sim dives, nisi largior tibi. — *Aufer.* Accipe.

237. *Decies.* Subaudi centena sestertium millia (circiter 200,000 fr.). — *Tibi.* O piscator. — *Tibi.* Alium quempiam, v. g. unguentarium appellat. — *Triplex.* Triplum, tertium tantum sume.

238. *Filius Æsopi.* Actoris nobilissimi.

239. *Decies solidum, etc.* Ut uno haustu exsorberet decies centena millia solida, id est, integra, plena, sestertiorum : porro ista adverbia decies centies, etc., ponuntur instar nominis neutralis.

240. *Diluit.* Dissolvit, liquavit. — *Baccam.* Unionem. — *Qui.* Quomodo.

241. *Illud idem.* Eamdem hanc pecuniæ summam.

243. *Nequitia.* Luxurie. — *Nugis.* Dementia. — *Gemellum.* Simillimum.

244. *Impenso.* Magno pretio.

245. *Creta, etc.* Albo lapillo notamus bona, mala nigro.

246. *Ædificare, etc.* Ordo est : si quis homo barbatus et provectior ætate delectetur jungendis plaustro muribus, etc., illum certe amentia exagitat. — *Plaustello.* Exiguo plaustro. — *Adjungere mures.* Equorum instar.

247. *Par impar.* Ludus et puerilis et notus, *jouer à pair ou non pair.*

Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet, amare;
Nec quidquam differre, utrumve in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores : quæro, faciasne quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia : potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
   Porrigis irato puero quum poma, recusat :
« Sume, catelle. » Negat. Si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et hæret
Invisis foribus? « Nec nunc, quum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit : revocat : redeam? non, si obsecret. » Ecce
Servus non paulo sapientior : « O here, quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala : bellum,
Pax rursum. Hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoque. »
   Quid? quum picenis excerpens semina pomis,

248. *Amentia verset.* Illum agitet stultitia; insanus habeatur profecto.

249. *Si puerilius, etc.* Si ratio evincat esse amorem aliquid magis puerile, quam has puerorum occupationes, nempe casas ædificare, etc.

250. *In pulvere.* Ut ludunt pueri, dum casulas ædificant, scrobes effodiunt.

251. *Trimus quale prius.* Quale olim lusisti trium annorum puerulus.

254. *Fasciolas.* Fascias aliquando appellabant involucra crurum et femorum. — *Cubital.* Cubitorum, seu brachiorum ornamentum sericum, aureum, etc. — *Focalia.* Colli ornamenta et faucium. — *Ut.* Quemadmodum.

255. *Furtim, etc.* Polemon, floribus coronatus et ebrius, in Xenocratis scholam olim ingressus est, qui tum forte de temperantia disserebat: hujus oratione paulatim victus adolescens, cœpit sibi coronas furtim detrahere, suique pœnitere : qui Polemon postea sic mutatus est ut dignus fuerit qui Xenocrati succederet, et philosophiam Athenis doceret, etc.

256. *Impransi.* Sobrii.

257. *Porrigis, etc.* Docet insanire amatores, puerorum in morem.

258. *Catelle.* Caniculе : vox blandientis.

259. *Exclusus.* Foribus meretricis. — *Qui distat, etc.* An non isti puero similis est? Hic locus est expressus ex Eunucho, terentiana comœdia.

261. *Nec nunc.* Egone, (inquit Phædria terentianus, Eunuchi act. I, sc. 1), non accedam ad Thaidem? ne nunc quidem quum me ultro accersit?

262. *Dolores.* Quos ex ejus contumeliis patior.

263. *Redeam.* An redibo. — *Si.* Etsi. — *Ecce, etc.* Phædriam alloquitur Parmeno, servus hero sanior.

268. *Cæca, etc.* Incerto casu contingentia. — *Laboret, etc.* Certis legibus gubernare cogitet.

269. *Nihilo plus, etc.* Non plus proficiet, quam si cum ratione stultus esse velit.

271. *Quum picenis, etc.* Pomorum semina, e pomis educta, ejaculantes primoribus digitis, si triclinii cameram, id est, fornicem, seu lacunar attigissent, bene de suis amoribus augurabantur; sin contra, male. — *Picenis.* Picenus ager est in Italia, ad oram maris Adriatici,

Gaudes si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? quum balba feris annoso verba palato,
Ædificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare. Modo, inquam,
Hellade percussa Marius, quum præcipitat se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
  Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lotis mane senex manibus currebat, et : « Unum
(Quid tam magnum? addens), unum me surpite morti,
Dis etenim facile est, » orabat; sanus utrisque
Auribus, atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, quum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
  « Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit. » Casus, medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore deorum.

pomis bonis abundans. — *Semina*. Pomorum grana, *les pepins*.

272. *Penes te es?* Esne mentis compos? — *Percusti*. Percussisti.

273. *Quum balba, etc.* Quum tu senex, ut mulieris gratiam captes, instar pueri balbutiente voce blanditias loqueris et verbis tremulis palatum tuum verberas : quo pacto sanior es puero casulas ædificante?

274. *Cruorem*. Crudelitatem.

275. *Stultitiæ*. Insano amori. *Ignem gladio, etc.* Malum malo cumula. — *Modo*. Nuper.

276. *Hellade, etc.* Marius, Hellade, a qua spernebatur, interfecta, quum se præcipitem ex saxo dedit, nonne insanus fuit?

277. *Cerritus*. Pro *Cereritus*, id est, percussus a Cerere, quæ hominibus insaniam immittere credebatur. — *An commotæ, etc.* An negabis eum insanum esse, et sceleratum tamen vocabis ex more hominum, qui rebus duris et gravioribus molliora imponunt nomina?

280. *Cognata*. Cognationem aliquam inter se habentia, quibus idem sensus est.

281. *Circum compita*. Ubi dii domestici publice colebantur.

283. *Surpite*. Subripite.

284. *Nisi litigiosus*. Nisi dominus lites amaret, litem intendi sibi vellet. Venditor enim debebat vitia omnia rei venditæ, præsertim mancipiorum, emptoribus aperire; ni fecisset, mulctabatur, et in eum erat actio.

285. *Hoc Vulgus*. Vilem istam superstitiosorum turbam.

286. *Meneni*. Meneniorum gens, seu familia, fuit apud Romanos fecunda et numerosa : in ea quidam olim laboraverant insania, et ipsa vox Menenii similis est atque affinis voci græcæ, quæ insanum significat.

287. *Dolores*. Morbos.

288. *Cubantis*. Lecto affixi et ægrotantis.

289. *Quartana*. Febris quarto quoque die recurrens : *fièvre quarte*.

290. *Quo tu, etc.* Quo magistratus, vel sacerdotes, jejunium imperabunt aliquod tuo nomine.

291. *In Tiberi stabit*. Scilicet immersus, expiationis causa. — *Levarit, etc.* Si puerum e lubrico et difficili morbo recreaverit.

292. *Mater delira*. Videlicet existimans puerum Jovis beneficio convaluisse, seque voti religione obstrictam.

294. *Quone*. Num quo. — *Timore*

DAMASIPPUS.
Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
HORATIUS.
Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris!
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
DAMASIPPUS.
Quid? caput abscissum demens quum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
HORATIUS.
Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum : tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio.
DAMASIPPUS. Accipe : primum
Ædificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis, et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum. Qui ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
« Quantane? num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
— Major dimidio. — Num tanto? » Quum magis atque

deorum. Superstitione, quæ oritur e nimio metu Numinis.

295. *Octavus*. Septem vulgo numerantur Græciæ sapientes.

296. *Arma, etc*. Argumenta, quibus ulciscerer, si quis me stultum compellaret.

297. *Totidem*. Eadem verba ex me audiet.

298. *Pendentia*. Discet adspicere manticæ partem, pendentem sibi a tergo quam ignorat, quam non intuetur.

299. *Post damnum, etc*. Siquidem jacturam fortunarum tuarum et naufragium fecisti, hoc a superis bene tibi precor, ut jam in vendendo sis fortunatior, et pluris quam omnes alii merces tuas vendas, lucri plus facias.

302. *Quid? etc*. Sententia est, ideone sanus es, quod tibi sanus videris? sibi videbatur Agave sana quum maxime fureret. — *Agave*. Penthei mater, Cadmi filia, immisso sibi furore a Baccho quem Pentheus læserat, filii caput amputavit, rata se aprum vel taurum discerpere.

304. *Concedere veris*. Quod verum est fateri.

305. *Edissere*. Narra, expone.

306. *Accipe*. Audi, jam explicabo.

307. *Longos*. Proceros, id est, nobiles, divites, magnos, tu exiguus, etc. — *Ab imo*. A capite ad calcem.

308. *Et idem*. Tu idem tamen rides et Turbonem gladiatorem ingentes animos angusto in corpore versantem.

311. *Verum est*. Æquum est, par est, subaudi facere, te qui tanto et illi dissimilis et tanto inferior, et impar ad certandum cum eo.

515. *Cognatos*. Pullos alios una secum natos, ex eadem ortos matre.

316. *Quantane?* istud *ne* abundat. Rogare cœpit rana mater, quanta fuisset illa bellua.

317. *Major dimidio*. Respondet pullus. — *Tanto*. Tanto major.

Se magis inflaret : « Non, si te ruperis, inquit,
Par eris. » Hæc a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino.
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem.

HORATIUS. Jam desine.

DAMASIPPUS. Cultum
Majorem censu....

HORATIUS. Teneas, Damasippe, tuis te :
O major, tandem parcas, insane, minori.

318. *Ruperis.* Inflando te disrumpas. — *Inquit.* Scilicet pullus.

319. *Abludit.* Abhorret, discrepat.

320. *Adde, etc.* Huc adde quod versus facis : hoc insaniam tuam alit, auget, ut oleum ignem alit.

322. *Rabiem.* Iracundiam furori similem. — *Cultum.* Victum, vestitum, ornatum corporis.

323. *Censu.* Divitiis, re. — *Teneas.* In tuis te vitiis contine, mea ne attinge.

324. *O major.* Damasippe, qui me insanior es, ignosce mihi minus insano.

SATIRA IV.

A Catio quodam, epicureo philosopho, accipit Horatius lepida præcepta de ferculis et re culinaria. In quo epicureos jam ridet, ut priori satira stoicos.

HORATIUS.
Unde, et quo Catius?

CATIUS. Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis præceptis, qualia vincant
Pythagoram, Anytique reum, doctumque Platona.

HORATIUS.
Peccatum fateor, quum te sic tempore lævo
Interpellarim; sed des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturæ hoc, sive artis, mirus utroque.

CATIUS.
Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem,

1. *Unde.* Subaudi venit. — *Et quo.* Subaudi it. Hæc est vulgaris obvios alloquendi formula. — *Non est, etc.* Non vacat mihi respondere nunc tibi.

2. *Ponere signa præceptis.* Imponere vocabula, id est præcepta verbis describere, litteris mandare. — *Qualia vincant.* Talia ut vincant.

3. *Pythagoram.* Fuit Pythagoras ex insula Samo : in Italiam venit, imperante Numa, philosophus præstantissimus. — *Anyti reum.* Socratem, qui reus factus est, id est, accusatus ab Anyto, Atheniensi divite. — *Platona.* Philosophorum longe sapientissimum, cujus exstant scripta egregia.

4. *Peccatum, etc.* Se excusat poeta; formula est urbanitatis. — *Lævo.* Non opportuno.

6. *Quod si, etc.* Quod si quid ex his præceptis, quæ jam animo cupis consignare tibi excidat, elabaturque, illud postea in mentem tibi revocabis : nam vel innata facultate vel arte mirus es et egregie peritus memorandi.

8. *Quin.* Atqui hoc ipsum agebam,

Ut pote res tenues, tenui sermone peractas.

HORATIUS.

Ede hominis nomen : simul, an Romanus, an hospes?

CATIUS.

Ipsa memor præcepta canam ; celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris, et ut magis alba rotundis,
Ponere : namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam mixto mersare falerno :
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est : aliis male creditur. Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella falerno,
Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil, nisi lene, decet. Leni præcordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine coo.

in eo eram quum mihi occurristi, mecum id agitabam, quomodo retinere memoria possem omnia illa præcepta.

9. *Tenues.* Subtiles. — *Peractas.* Disputatas.

10. *Ede.* Narra. — *Hominis.* Tui illius magistri, a quo hæc præclara præcepta didicisti. — *Hospes.* Externus, non Romanus.

11. *Ipsa, etc.* Scilicet magistri.

12. *Facies.* Forma, figura : ab ovis incipit, a quibus Romani cœnam ordiebantur.

13. *Succi melioris.* Ut gratioris saporis. — *Rotundis.* Quam ova rotundæ formæ.

14. *Ponere.* Mensæ apponere. — *Callosa.* Sub cortice contine germen pulli masculi.

15. *Caule suburbano, etc.* Sensus est : caulis, qui in siccis agris crevit, est dulcior caule suburbano, id est caule qui crevit in paludibus et hortis prope urbem positis.

16. *Irriguo.* Nihil est magis insipidum et saporis languidioris, quam olus quod nascitur in horto, in quo plantæ nonnisi crebra irrigatione crescunt. — *Elutius.* Flaccidius, insulsius.

17. *Te oppresserit.* Tibi imparato supervenerit.

18. *Malum.* Adverbium est, pro male, incommode. — *Responset.* Resistat, obluctetur ; ob duritiem ægre dentibus conficiatur.

19. *Doctus eris.* Doceo te jam, et memineris hanc mergere vino aqua temperato.

20. *Optima.* Salubris et innoxia. — *Aliis male creditur.* Aliis vesci periculosum est.

21. *Ille salubres, etc.* — Optima per integram æstatem valetudine utetur qui, etc.

23. *Finiet.* Terminabit, claudet. — *Gravem.* Meridianum, mane decerptis ex arbore.

24. *Forti.* Austero, asperioris saporis.

25. *Mendose.* Prave, perperam.

26. *Leni mulso.* Vino leni cum melle mixto.

27. *Morabitur.* Tardius, ægrius se exonerabit.

28. *Mitulus.* Pisciculus e concharum seu ostreorum genere, *une moule.*— *Viles conchæ.* Parvi pretii, facile parabiles.

29. *Lapathi.* Lapathus vocatur etiam rumex, brevibus et acutis foliis; *de l'oseille.* — *Coo.* Vino græco, ex insula Co, ad Cariam Asiæ minoris provinciam posita.

Lubrica nascentes implent conchylia lunæ;
Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice bajano melior lucrina peloris :
Ostrea Circæis, Miseno oriuntur echini,
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.
Nec sibi cœnarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum :
Nec satis est cara pisces avertere mensa,
Ignarum quibus est jus aptius, et quibus assis
Languidus in cubitum jam se conviva reponet.
Umber, et iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem.
Nam laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea summittit capreas non semper edules.
Fecundæ leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quæ natura et foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæsita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam :

30. *Lubrica, etc.* Conchylia, id est, pisces inclusi conchis, implentur et augentur crescente luna. *Lubrica* vocat, quia cient alvum et laxant.

31. *Generosæ testæ.* Concharum insignium, quarum putamina imitantur testæ duritiem.

32. *Murice bajano, etc.* Sensus est : peloris lucrina, id est capta in sinu lucrinensi, melior est murice bajano, id est capto in bajano sinu. *Murex* et *peloris* sunt pisciculi ex ostreorum genere. *Bajanus* sinus est prope Bajas in Campania : *lucrinus* verò prope Puteolos in eadem Campania.

33. *Circæis.* Circæi, sive Circeii, urbs Volscorum fuit. Prope hanc urbem est promontorium Circeium, nunc dictum *Monte Circello.* — *Miseno.* Misenus est promontorium Campaniæ in Italia. — *Echini.* Pisces, *des hérissons de mer.*

34. *Pectinibus.* Pectines, *des pétoncles.* — *Tarentum.* Urbs est Italiæ in ea Calabriæ parte quæ olim Messapia dicebatur. — *Molle.* Mollitie et luxu diffluens.

35. *Nec sibi, etc.* Nemo sibi arrogare potest artem, et scientiam cœnæ recte struendæ, nisi prius expenderit saporum omnem rationem, quæ valde subtilis est ac difficilis ad percipiendum.

37. *Cara mensa.* Mensam intellige, in qua pisces in macello venales proponuntur caro pretio emendi.— *Avertere.* Auferre et domum portare.

38. *Quibus est jus aptius.* Elixos significat, qui fermo aliquo jure condiuntur. — *Et quibus, etc.* Et quinam sint pisces, qui, si assi apponantur convivis, illi se in cubitum denuo erigent, et ad edendum insurgent, licet jam languidi et saturi.

39. *In cubitum.* Convivæ in lectulis strati ad mensam accumbebant, corpore leviter in sinistrum cubitum inclinato, dextera cibum captantes.

40. *Umber, etc.* Aper natus in Umbria et quercea glande nutritus. Umbria, *l'Ombrie*, pars Italiæ; nunc vocatur, *le duché de Spolette.*

41. *Curvat.* Totos apros apponebant, ita ut mirum non sit, si patinæ curvari et rumpi tanto pondere viderentur. — *Vitantis.* Illius qui vitat, qui non amat. — *Inertem.* Insipidam seu mollem.

42. *Laurens.* Aper nutritus in agro laurenti, qui ager est in Latio, prope Ostiam. — *Ulvis.* Ulva, est herba palustris.

43. *Summittit.* Suppeditat. — *Edules.* Aptas ad edendum.

44. *Sapiens.* Cui palatum sapit. — *Sectabitur.* Amabit. — *Armos.* Humeros, tergum, lumbos, *le râble.*

45. *Piscibus atque avibus, etc.* Sensus est : nemo ante me palato exploravit et agnovit qualis esset piscium aviumque natura et bonitas, et qua ætate cujusque caro optime saperet.

48. *Nequaquam satis.* Non satis est.

Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret;
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus : at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet fæce falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo :
Quatenus ima petit, volvens aliena, vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis, et afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis
Flagitat in morsus refici : quin omnia malit,
Quæcumque immundis fervent allata popinis.
  Est operæ pretium duplicis pernoscere juris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua byzantia putruit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa venafranæ quod bacca remisit olivæ,
Picenis cedunt pomis tiburtia succo :

— *In re una*. In una cœnæ et opsoniorum parte.

49. *Hoc laboret*. Si hoc curet solum.

50. *Securus*. Negligens.

52. *Tenuabitur*. Defæcabitur, expurgabitur.

53. *Nervis inimicus*. Amittent odorem graviorem qui nervos offendit.

54. *Lino vitiata*. Si quis ea per colum sive saccum lineum, Galli appellant *la chausse*, liquare tentet ac transmittere; sic enim vim suam amittunt, vitiantur, et corrumpuntur.

55. *Surrentina, etc*. Est Surrentum urbs Italiæ in sinu puteolano : *Sorrento*.

57. *Vitellus*. Pars ovi flava, et rotunda : *le jaune d'un œuf*.

58. *Marcentem*. Saturum et nauseantem. — *Squillis*. Squilla, piscis e cancrorum genere, *squille*.

59. *Cochlea*. Ostreo quodam elimacum genere; *escargot avec sa coquille*. — *Nam lactuca, etc*. Non est utendum lactucis quum plenus est vino stomachus, quia tunc ille in vino acido incoctæ et indigestæ natant; magis utendum perna, etc.

60. *Hillis*. Lucanicis, botellis, aliis id genus fartis, et gulæ irritamentis. *Hilla, hillæ*, sive *hilla, hillorum*, intestinum est porcinum concisa carne fartum : *andouilles, cervelas*.

61. *Flagitat*. Stomachus, vel conviva. — *In morsus*. Ad novos morsus novam orexim concipit. — *Malit*. Quam exquisitos cibos.

62. *Quæcumque*. Puta farcimina, condituras, tuceta.

63. *Juris*. Condimenti.

64. *Simplex*. Non mixtum jus, et unum, ex olivo constat tantum; sin merum aut muriam oleo admisceas, fiet compositum jus, multo vero magis si addideris herbas, etc.

66. *Non alia*. Non quavis muria, sed ea tantum in qua orca ad Byzantium capta (est ingens piscis, *orque*) putruit, diu macerata est. — *Byzantia*. Byzantium, *Byzance*, urbs Thraciæ vetus fuit, ad Bosphorum sita.

67. *Inferbuit*. Igni impositum ebulliit.

68. *Corycioque croco*. Croco, *du safran* : advecto e Coryco, monte Ciliciæ. — *Stetit*. Quievit, bullire ac fervere desiit, vel concrevit.

69. *Quod*. Oleum venafranum. Lib. 2, od. 4.

70. *Picenis*. Satira superiori, vers. 271. — *Tiburtia*. In agro tiburtino nata.

Nam facie præstant. Venucula convenit ollis.
Rectius albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego fæcem primus, et halec,
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.
  Immane est vitium dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem
Hæc habeant, tanto reprendi justius illis,
Quæ nisi divitibus nequeunt contingere mensis?

HORATIUS.

Docte Cati, per amicitiam, divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantumdem juveris: adde

71. *Facie*. Forma et pulchritudine. — *Venucula*. Venucula est uvæ quoddam genus, in ollas abditur, melius et servatur. — *Ollis*. Vitreis in ollis racemi sæpe servantur, et florem suum coloremque diu retinent.

76. *Immane*. Commendat artem et ordinem in cœna. — *Dare millia, etc.* Tribus millibus sestertium (600 *fr.*), emere pisces, e macello, et eos urgere; id est, stipare et alios aliis aggerere in angusto catino.

77. *Vagos*. Vel est epithetum commune piscium, vel significat temere disjectos, ac sine lege et ordine in patina positos.

78. *Movent*. Hæc magnum movent fastidium; si quis servus pinguibus digitis calicem attrectavit, dum obsonia et condimenta furtim degustat ac lambit: si limus non est detersus e veteri cratera. Dicitur cratera, crateræ, et crater, crateris.

81. *Vilibus, etc.* Quam exiguo parari sumptu possunt scopæ, mappæ, scobis, etc., quæ tamen sine flagitio negligi non possunt. — *Mappis*. Mappæ proprie lintea erant quibus tergebantur manus: mantilia vero, lintea quibus mensa insternebatur. — *Scobe*. Scobis significat ramenta seu partes exiguas ligni, quæ serra vel lima eraduntur, *de la sciure*: iis pavimenta e marmore et variis lapidibus strata operiebantur ante cœnam, ut vinum aut aquam a convivis, aut ministris, ut fit, humi jactam combiberent.

83. *Ten'*. Non te pudet pavimentum e varii coloris marmore stratum, lutulentæ palmæ ramo verrere? Palmæ ramos pro scopis adhibebant ad verrendum.

84. *Et tyrias, etc.* Et toralia illuta circumdare vestibus tyriis. *Toralia* vocabantur illi panni viliores quibus quotidie lectus sternebatur: *vestes*, quæ stragulæ dicebantur, erant panni elegantiores, quibus in solennibus conviviis iidem sternebantur lecti.

85. *Oblitum quanto, etc.* Sensus est: non cogitantem ea, quæ ad munditiem spectant, quo minorem curam et sumptum requirunt, in eo majorem, si negligantur, reprehensionem incurrere, quam si desint illa pretiosissima epularum genera, quæ non nisi in divitum mensis apponi queant.

89. *Auditum*. Ad audiendos illos tuos magistros.

91. *Non tamen, etc.* Non perinde mihi prodesse poteris explicando mihi illa memoriter interpretis more, ac si

Vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit. At mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

ego his auribus ab ipso audiam. — *Adde.* Tuo isti beneficio et sermoni adde aliud beneficium majus, ut frui possim hominis vultu, etc.

92. *Habitum.* Oris, et corporis totius conformationem.

93. *Contigit.* Felici fato evenit tibi ut eum videres, et audires.

94. *Fontes.* Illum ipsum invisere, a quo, tanquam ex fonte, hæc manarunt præcepta.

95. *Vitæ beatæ.* Sic epicureos ridet, qui beatam vitam in voluptate ponebant et gula.

SATIRA V.

Hereditatum captatores quibus artibus uterentur, faceto dialogo inter Ulyssem et Tiresiam exponit.

ULYSSES.

Hoc quoque, Tiresia, præter narrata, petenti
Responde : quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis? Quid rides?
TIRESIAS. Jamne doloso
Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates
Adspicere?
ULYSSES. O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus. Atqui
Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.

TIRESIAS.

Quando pauperiem, missis ambagibus, horres;
Accipe qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene : dulcia poma,
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,

1. *Hoc quoque, etc.* Ponitur jam Tiresias, vates thebanus, in campis Elysiis post mortem degens, multa Ulyssi prædixisse. — *Præter narrata.* Præter illa quæ jam mihi dixisti : Ulysses jam de aliis rebus consuluerat Tiresiam.

2. *Res.* Fortunas.

3. *Doloso.* Designatur Ulysses talis, qualis erat.

4. *Ithacam.* Insulam in mari Ionio, Ulyssis patriam.

6. *Te vate.* Ut mihi prædixeras. — *Illic.* Domi.

7. *Apotheca.* Cella recondendo vino; un *cellier.* — *Procis.* Qui, quum nuptias Penelopes ambirent, ejus domum exhauriebant.

8. *Genus.* Nobilitas. — *Cum re.* Cum opibus. — *Alga.* Herba maritima quæ in littus ejicitur : *mousse de mer.*

9. *Quando, etc.* Omitte ambages, video quid velis, horres paupertatem, etc.

10. *Turdus.* Avis nota, *une grive.*

11. *Privum.* Privatæ, et propriæ dapis. — *Devolet.* A te deferatur in domum locupletem alicujus senis, illi detur dono.

13. *Honores.* Fructus insigniores,

Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.
Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

ULYSSES.

Utne tegam spurco Damæ latus ? Haud ita Trojæ
Me gessi, certans semper melioribus.

TIRESIAS. Ergo
Pauper eris.

ULYSSES. Fortem hoc animum tolerare jubebo;
Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias, ærisque ruam, dic, augur, acervos.

TIRESIAS.

Dixi equidem, et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum; neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo,
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine natis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor; fama civem, causaque priorem
Sperne, domi si natus erit, fecundave conjux.
« Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ), tibi me virtus tua fecit amicum :

scilicet primitias, quæ offerri solebant Laribus.

14. *Ante Larem*. Antequam eos diis tuis Laribus, sive domesticis offeras. — *Venerabilior Lare*. Qui tibi debet esse venerabilior quam Lares et omnes dii.

15. *Qui quamvis*, *etc* Quantumvis ille improbus homo sit ac perfidus. — *Sine gente*. Sine majoribus, ignobilis. Gens pro familia sumitur sæpe. — *Cruentus*, *etc*. Fratricida.

16. *Fugitivus*. Quo olim servus fugitivus fuerit.

17. *Comes exterior*. Loco minus honorato, in ima viæ parte ac declivi.

18. *Utne*, *etc*. Egone alicui Damæ, homini impuro et fœdo, tegam latus ? illi sim comes ? Dama nomen erat commune servis apud Romanos.

19. *Melioribus*. Nobilioribus.

20. *Fortem*, *etc*. Patiar, pauper ero. — *Animum*. Meum.

21. *Tu protinus*. Tu tamen continuo dic mihi aliquam artem, qua eruam, et extundam acervos pecuniæ.

22. *Æris*. Pecunia primum e corio pecudum certa nota insignito, et in particulas secto; postea ex ære, demum ex aliis metallis conflata est.

23. *Captes*. Captat testamentum qui alicui blanditur, et muneribus, obsequiis insidiatur ut ab eo heres scribatur in testamento.

25. *Præroso*, *etc*. Ut piscis, qui arrosa esca elabitur piscatori.

26. *Illusus*. Semel deceptus.

27. *Magna minorve*, *etc*. Ordo et sensus est : si res, id est, si lis aliqua, seu magni, seu levis momenti, disceptabitur in foro aliquando, esto defensor illius qui locuples et sine filiis vivet; quamvis improbus sit et ultro contra jus et æquitatem adversarium in jus provocet : sperne illum qui meliore fama et causa utitur, si natum aut fecundam conjugem habet.

32. *Quinte*, *puta*, *aut Publi*, *etc*. Divitem autem senem, quem officiis tuis capere cupis, ejusmodi verbis blandioribus alloquere : existima, mi Quinte, aut mi Publi, etc. — *Gaudent prænomine molles*, *etc*. Mollius et suavius ad aures accidere videntur *prænomina*, quibus familiariter se invicem appellare solent amici atque propinqui.

Jus anceps novi : causas defendere possum.
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum cassa nuce pauperet. Hæc mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis jocus.» Ire domum, atque
Pelliculam curare jube : fi cognitor ipse :
Persta atque obdura, seu rubra canicula findet
Infantes statuas; seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
« Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer? »
Plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
  Si cui præterea validus male filius in re
Præclara sublatus aletur, ne manifestum
Cælibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres : et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias. Perraro hæc alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere memento :
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu : solus, multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus

34. *Anceps.* Controversum ac varium.

36. *Cassa, etc.* Quam tibi vel minimam rem eripiat, te fraudet vitiosa nuce. *Cassa nux* est inanis, vacua.

37. *Jocus.* Ne sis ludibrio tuis adversariis. — *Ire domum, etc.* Jube eum domum ire et ibi corpori recreando securo animo operam dare. — *Pelliculam.* Diminutivum, in amicitiæ signum, pro, pellem, id est corpus, valetudinem.

38. *Cognitor,* Actor et procurator : litem ejus expende, instrue.

39. *Canicula.* Sidus æstivum. *Rubrum* vocat, id est, ardentem, igneam. — *Findet.* Dicuntur æra et lapides calore nimio aut frigore findi et dissilire.

40. *Infantes.* Mutas. — *Seu, etc.* Sive hiems sit, quum Furius poeta, suo abdomine celebris, conspuit cana nive Alpes, id est, describit Alpes nive conspersas. — *Pingui tentus omaso.* Homo obesus. — *Tentus.* Distentus.

42. *Nonne vides, etc.* Verba sunt alicujus alloquentis senem orbum, et illi captatorem Ulyssem commendantis. — *Stantem.* Orbum senem.

43. *Ut acer.* Quam sit Ulysses strenuus, diligens.

44. *Plures, etc.* Ita plures senes allicies. Cetaria, (*des viviers, des étangs*). — *Thunni.* Pisces grandiores et nobiliores; *des thons.*

45. *Male validus.* Æger et parum firmus.

46. *In re præclara.* In domo locuplete : in multis opibus. — *Sublatus.* Educatus. — *Ne, etc.* Ne tuæ insidiæ deprehendantur, si nullos alios, quam cælibes, id est, uxore carentes, captares.

47. *Nudet.* Prodat, detegat. — *In spem, etc.* Tacito quasi pede, et caute illum demereri stude, ea spe, scilicet, ut et secundus ab ejus filio heres scribaris in ejus testamento.

49. *Egerit Orco.* Ad inferos detruserit.

50. *Alea.* Ludus, captatio, fraus.

52. *Tabulas.* Testamenti.

53. *Limis.* Oculis obliquis inspicias quid in prima tabula testamenti scriptum sit, an tu in secunda linea sis heres scriptus, et filio coheres additus.

54. *Quid velit.* Quid præferat, quid contineat. — *Prima cera.* Prima tabula et pagina. — *Versu.* Linea.

55. *Plerumque recoctus, etc.* Locus obscurior; sic explana. Accidit enim aliquando ut scriba recoctus, id est, veterator et callidus, ex quinqueviro,

Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

ULYSSES.

Num furis? an prudens ludis me, obscura canendo?

TIRESIAS.

O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non :
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

ULYSSES.

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.

TIRESIAS.

Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Ænea, tellure, marique
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet : tabulas socero dabit, atque
Ut legat, orabit : multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.
  Illud ad hæc jubeo : mulier si forte dolosa,
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata : cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres,
Scilicet elabi si posset mortua, credo;
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito :
Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus. Ultro

Id est qui olim quinquevir fuerit, deludat ac frustretur suum captatorem, ut vulpes æsopica delusit corvum, cui caseum frustra hianti surripuit.

56. *Scriba.* Qui acta publica, magistratuum edicta, senatusconsulta, scribit. — *Quinqueviro.* Erant quinqueviri certi homines publice delecti ad aliquod munus publicum levioris momenti administrandum, maxime in municipiis.

58. *Furis.* Furore divino afflatus et numine loqueris. — *Prudens.* Sciens ac volens.

59. *O Laertiade.* O Ulysse, fili Laertis. — *Aut erit, etc.* Obscura sunt, ut decet, auguris verba. Sensus hic est : quidquid dicam futurum esse, id fiet; at quidquid dicam non futurum esse, id non fiet.

62. *Juvenis, etc.* Augustus Parthis metuendus.

64. *Forti, etc.* Narrat quo pacto Nasicam captatorem Coranus decepturus sit.

65. *Soldum.* Integrum æs alienum, quod scilicet Corano, longævo filiæ suæ marito, debebat.

69. *Præter plorare.* Græca locutio, qua plorare jubentur, qui miseri, qui decepti sunt.

71. *Temperet.* Regat, gubernet.

73. *Improba.* Vafra, astuta. — *Thebis.* In urbe Bœotiæ.

74. *Ex testamento.* Testamento caverat ut sic ad rogum efferretur.

76. *Scilicet, etc.* Opinor illam anum ideo jussisse, ut heres suus, molestus captator, suum cadaver unctum oleo ferret ad rogum : quo indicaret hominem sibi vivæ molestissimum fuisse, ac velle saltem se mortuam illi elabi, quæ viva ejus artes, et insidias effugere non potuerat.

79. *Ultro.* Non silere jussus : sine gravi causa.

Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbuit aura;
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, « Ohe, jam! »
Ad cœlum manibus sublatis, dixerit, urge, et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans: « Quartæ sit partis Ulysses,
Audieris, heres: — ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?»
Sparge subinde, et, si paulum potes, illacrimare: est
Gaudia prodentem vultum celare: sepulcrum
Commissum arbitrio sine sordibus exstrue. Funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet; huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi, sive domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere.... Sed me
Imperiosa trahit Proserpina. Vive, valeque.

80. *Davus*, *etc*. Davum illum imitare, qui, dum suas in comœdia partes agit, timide ac reverenter cum hero loquitur. Davus, nomen vulgare servi comici.

81. *Obstipo*. In alterum humerum inflexo, vel in terram prono.

82. *Grassare*. In animum et benevolentiam irrepe. — *Increbuit aura*. Ventus vehementior ingruit.

84. *Substringe*. Sustolle, et manu supposita quasi collige.

85. *Importunus amat*, *etc*. Sensus est: si, ut homo importunus, a te laudari cupit, cumula et obrue eum tam diu laudibus, donec, sublatis in cœlum manibus, *ohe jam* satis est, dixerit. — *Importunus*. Intempestive molestus.

86. *Manibus sublatis*. Præ gaudio.

87. *Utrem*. Hominem vanum, et laudibus fictis inflari docilem. *Uter*, est pellis hircina, *une outre*, quæ vino, oleo, interdum vento, impletur.

88. *Levarit*. Morte sua; tunc enim liberatus eris servilibus illis obsequiis, quibus vivum captabas.

89. *Et certum*. Quum tu non per somnium, sed certo vigilans, audieris clare hæc verba in testamento senis scripta: Ulysses heres sit quartæ partis meorum bonorum; tunc erumpes in hos fletus: Ergo periit Dama, etc.

91. *Unde*. Mihi parabo, ubi talem inveniam.

92. *Sparge*. Hæc verba identidem repete, et quasi sparge. — *Est*. Licet, interest, juvat celare et tegere vultum qui proderet, aperire posset gaudia de senis morte suscepta.

94. *Arbitrio*. Tuæ curæ et arbitrio commissum. — *Sordidus*. Avaritia.

96. *Male tussiet*. Ita ut brevis moriturus esse judicetur.

97. *Dic*, *ex parte tua, etc*. Sensus est: huic tu dic te, sive ille fundi, sive domus ex tua hereditatis portione emptor esse velit, gaudentem, id est, prompto paratoque animo ei nummo, id est, vilissimo pretio addicere velle.

99. *Trahit*. Alio me abripit, me a te divellit Proserpina umbrarum domina; *imperiosa*, quæ imperium in mortuos obtineat.

SATIRA VI.

Otii laudes et vitæ rusticæ.

Hoc erat in votis : modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum silvæ super his foret. Auctius atque
Di melius fecere : bene est. Nihil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem :
Si veneror stultus nihil horum : « O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum !
O si urnam argenti fors qua mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico [oro,
Hercule! » Si, quod adest, gratum juvat : hac prece te
Pingue pecus domino facias, et cetera, præter
Ingenium : utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris, musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Autumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.

1. *Hoc erat in votis*. Id unum optaveram. — *Modus*. Mensura, spatium.

2. *Jugis aquæ*. Jugiter fluentis, perennis aquæ.

3. *Super his*. Insuper, præterea; vel super horto, tecto et fonte.

4. *Di melius*. Plura his et meliora mihi quam optabam, superi dederunt.

5. *Maia nate*. Mercuri : est enim Mercurius vatum deus præses, idemque divitiis et lucro præest. — *Propria*. Perpetua et stabilia.

6. *Ratione mala*. Fraude, malis artibus. — *Rem*. Opes.

7. *Vitio culpave*. Nequitia luxuriave.

8. *Veneror*. Venerabundus a diis peto. — *Horum*. Quæ dicturus est, quæ avari et cupidi optare solent.

9. *Denormat*. Inæqualem efficit.

10. *Fors*. Fortuna felix. — *Qua*. Alicubi, aliqua in parte. — *Ut illi*. Ordo est : ut illi mercenario fortuna monstravit, qui, postquam thesaurum invenisset in agro ubi opus faciebat quum esset mercenarius, illum ipsum agrum emit, et ad se jam pertinentem aravit, totoque thesauro potitus est.

13. *Hercule*. Favere credebatur Hercules ejusmodi lucris inspiratis. — *Si quod, etc*. Si me juvat, id est, delectat, si eo contentus sum, quod adest, quod possideo.

14. *Domino*. Mihi. — *Præter ingenium*. Nam ingenium pingue, hebes et tardum significat.

15. *Utque soles*. Mercurii in se beneficia commemorat. Od. 5, lib. 3.

16. *Arcem*. Rus meum, in edito loco positum, ubi velut in arce ab urbanis curis tutus sum.

17. *Quid, etc*. Quid potius agere me par est, quam scribere satiras, et elaborare in iis versibus illustrandis, id est, poliendis, et accurate componendis, qui pedestri et solutæ orationi similes sunt?

18. *Plumbeus*. Qui gravia corpora, tardos homines efficit : insalubris, gravis.

19. *Libitinæ, etc*. Quo tempore plurimum faciunt quæstum ii qui curant funera.

Matutine pater, seu Jane libentius audis,
Unde homines operum primos, vitæque labores
Instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto
Principium; Romæ sponsorem me rapis: « Eia,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge. »
Sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit; ire necesse est.
Postmodo, quod mi obsit, clare, certumque locuto,
Luctandum in turba, facienda injuria tardis.
« Quid tibi vis, insane, et quas res agis improbus? urget
Iratis precibus. Tu pulses omne quod obstat,
Ad Mæcenatem memori si mente recurras. »
Hoc juvat, et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. « Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras.—
De re communi scribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.—
Imprimat his, cura, Mæcenas, signa tabellis. »
Dixeris, « Experiar: — Si vis, potes, » addit et instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere suorum
In numero: duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet, iter faciens, et cui concredere nugas

20. *Matutine pater, etc.* O Jane, seu mavis appellari Matutinus seu Janus. Janus autem vocabatur Matutinus a Matua dea, quæ aurora est.

21. *Unde.* A quo.

22. *Carminis.* Descriptionis urbanarum occupationum, et molestiarum.

23. *Eia, urge.* O Horati (Janus loqui fingitur), urge et festina, ne quis te prior officio isto amicitiæ et urbanitatis fungatur: cave ne quis te sit officiosior.

25. *Radit terras.* Vellicat, spoliat: est enim ventus frigidus, et noxius.

26. *Interiore gyro.* Circulo breviore: nam circulus interior exterioribus minor est. — *Ire.* Ad spondendum pro amico.

27. *Postmodo, etc.* Postquam ante prætorem clara voce et certa fide spopondi pro amico, quod mihi damno esse possit, etc.

29. *Improbus urget iratis precibus.* Aliquis impatientior ex iis per quos cubito viam mihi feceram, irato pectore ejusmodi opprobriis me insectatur: quid vis, etc.

30. *Pulses.* Tu velis vel ausis omnes in via tibi obstantes pulsare.

32. *Esquilias.* Ubi habitabat Mæcenas.—*Atras.* Ob sepulcra quæ ibi erant plurima.

34. *Per caput, etc.* Omni ex parte insiliunt. — *Ante, etc.* Ordo est: O Quincte Horati, inquit aliquis, memineris te oratum a Roscio fuisse, ut sibi hodie adesses ad puteal ante horam ab sole orto secundam.

35. *Adesses.* Advocatus ad litem ejus et causam tua præsentia cohonestandam, aut testimonio confirmandam.—*Puteal.* Ea vox significat putei operculum: erat locus sic dictus Romæ prope curiam, ubi jus dicebat prætor; alterum quoque erat puteal, ubi fœneratores convenire solebant.

36. *De re communi.* Ad omnes scribas pertinente. — *Scribæ.* Quorum unus erat ipse Horatius.

39. *Dixeris.* Si dixeris.

40. *Septimus, etc.* Id est, parum abest quin septimus annus elapsus sit: exit annus septimus, octavus instat. — *Jam fugerit.* Pæne est elapsus.

42. *Tollere rheda.* In rhedam suam admittere, ad iter colloquio levandum.

Hoc genus: « Hora quota est? Thrax est Gallina Syro [par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent;»
Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus, subjectior in diem et horam
Invidiæ. Noster ludos spectaverat una,
Luserat in campo, « Fortunæ filius! » omnes.
Frigidus a rostris manat per compita rumor;
Quicumque obvius est, me consulit. « O bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet),
Numquid de Dacis audisti? — Nil equidem. — Ut tu
Semper eris derisor! — At omnes di exagitent me,
Si quidquam. — Quid? militibus promissa Triquetra
Prædia Cæsar, an est itala tellure daturus?»
Jurantem me scire nihil mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem, altique silenti.
Perditur hæc inter misero lux, non sine votis:
O rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis,
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba, Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes, cœnæque deum! quibus ipse, meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus! Prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices conviva, solutus

44. *Hoc genus.* Ejusmodi : v. g. ut peteret a me : quota est hora?— *Thrax est, etc.* Num *Gallina* gladiator corporis viribus et agilitate par est gladiatori *Syro?* — *Thrax.* More Thracum armatus.

46. *Et quæ rimosa, etc.* Et alia id genus, quæ nihil arcani requirunt, ac garrulis sine periculo possunt committi.

47. *Subjectior.* Magis in dies expositus fui invidiæ.

48. *Noster, etc.* Sententia est: omnes inter se de me immurmurant : noster iste Horatius, homo nostri loci et ordinis, et nostri simillimus, nunc Fortunæ filius et beatulus, etc.

50. *Frigidus, etc.* Si quis rumor frigidus, id est, parum auspicatus, a rostris et curia primum ortus, in compita et populum spargitur. *Rostra* erant exhedræ quædam et suggestus, unde populum alloqui magistratus et alii solebant; *la tribune aux harangues.*

51. *O bone.* O amice, o mi Horati.

52. *Deos.* Augustum, Mæcenatem.

53. *Dacis.* Daci, iidem qui Getæ, populi Scythiæ; illi bellum meditari dicebantur eo tempore.—*Ut tu.* Semperne finges te nihil scire, nosque illudes?

54. *Exagitent.* Perdant.

55. *Si quidquam.* Subaudi scio, audivi. — *Quid? etc.* Ordo est : quid? (alius interrogat) an Cæsar in Sicilia an vero in Italia divisurus est prædia, id est, agros militibus promissos? — *Triquetra.* Eadem ac Trinacria, ob tria Siciliæ promontoria.

59. *Hæc inter.* In his nugis et molestis occupationibus. — *Votis.* Rusticæ vitæ desideriis.

62. *Ducere oblivia.* Oblivisci.

63. *Pythagoræ cognata.* Quia in fabis putabat animas hominum suæ similes et cognatas reperiri, et in eas transmigrare.

64. *Ponentur.* Apponentur in mensa.

65. *Deum.* Id est, tranquillæ, suaves, divinæ. — *Meique.* Servi.

66. *Larem.* Deos domesticos. — *Vernas.* Servos domi natos.

67. *Libatis.* A me degustatis, vel potius quarum primarias diis libavi, id est, consecravi et dedicavi.

68. *Siccat.* Haurit. — *Inæquales.* Alius majores, alius minores.

Legibus insanis : seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis humescit lætius. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus : utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;
Et quæ sit natura boni, summumque quid ejus.
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit : — Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper, et attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ :
Aridum et ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere tangentis male singula dente superbo;
Quum pater ipse domus, palea porrectus in horna,
Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc : « Quid te juvat, inquit,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vin' tu homines urbemque feris præponere silvis? [amice,
Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno, aut parvo leti fuga. Quo, bone, circa,

69. *Legibus, etc.* Erat in conviviis romanis magister quidam et rex convivii, qui quoties et quantum quisque biberet præcipiebat. — *Acria.* Magna.

70. *Humescit.* Irrigatur, madescit.

71. *Sermo.* Sermo convivalis in cœna rustica.

72. *Lepos.* Saltator ea tempestate celebris.

73. *Usus.* Utilitas. — *Rectum.* Virtus, officium.

76. *Summumque, etc.* Quæ sit boni summa, summum bonum.

77. *Aniles.* Pueriles, futiles.

78. *Ex re fabellas.* Rei, de qua loquimur, accommodatas. — *Arelli.* Avari cujusdam.

79. *Ignarus.* Non expertus quantis divitiæ molestiarum curarumque spinis obsitæ sint.

82. *Asper.* Minime delicatus, vitæ asperæ et duræ assuetus. — *Attentus quæsitis.* Res quæsitas eo attentius servans, quo majore labore eas comparaverat. — *Ut tamen arctum, etc.* Ita tamen ut animum parcum laxaret ad hospitem bene excipiendum.

84. *Sepositi.* Servati in aliquo reconditiori cavo. — *Ciceris.* Græca locutio : pro, non illi invidit cicer et avenam. Illi hæc large ac liberaliter apposuit. Est autem cicer pisi genus : *un pois chiche.*

85. *Acinum.* Granum racemi, *un grain de raisin.*

86. *Cupiens, etc.* Cupiens ferculorum varietate vincere nauseam muris urbani, qui ea leviter gustabat primoribus dentibus et contemptim.

89. *Esset ador.* Comederet frumenti grana, etc. — *Lolium.* Herba quædam est innascens segetibus, easque corrumpens, *de l'ivraie.*

91. *Dorso.* Clivo.

92. *Feris.* Agrestibus.

93. *Quando, etc.* Quando quidem animalia terrestria morti sunt obnoxia, nec eam summis infimisve licet effugere.

95. *Quo, bone, circa.* Quocirca, quare, o bone, o mi hospes.

Dum licet, in rebus jucundis vive beatus :
Vive memor quam sis ævi brevis. » Hæc ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit. Inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox medium cœli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, necnon vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam, quum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
Personuit canibus. Tum rusticus : « Haud mihi vita
Est opus hac, ait; et valeas : me silva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. »

97. *Hæc ubi, etc.* Postquam hæc oratio, hæ voces pepulere, id est, expugnavere agrestem murem.

99. *Aventes*. Optantes.

100. *Nocturni*. Nocturno tempore.

102. *Cocco*. Purpura, ostro.

103. *Canderet*. Niteret. — *Vestis*. Stragula, qua lecti sternuntur.

105. *Exstructis*. In altum congestis, ordine dispositis. — *Canistris*. Canistra, sunt corbes in quibus panes et fercula ponuntur.

106. *Porrectum*. Stratum toto corpore.

107. *Veluti succinctus*. Instar servi ad administrandum expeditus et accinctus. — *Hospes*. Mus urbanus. Hospes dicitur tum de eo qui aliquem accipit, tum de eo qui accipitur.

108. *Continuat*. Facit ut aliis succedant. — *Vernaliter*. Ut vernæ solent.

109. *Prælambens*. Prægustans.

110. *Ille*. Mus rusticus. — *Bonisque, etc.* Et fortuna felici fruens, præbet se hilarem.

112. *Lectis*. In quibus ad mensam accumbebant, coegit exsilire.

113. *Currere, trepidare.* Subaudi cœperunt.

114. *Simul*. Statim atque. — *Molossis*. Canibus natis in Molossia, Epiri parte.

116. *Valeas*. Abeuntis, et repudiantis aliquid, ea vox est.

117. *Ervo*. Genus est leguminis.

SATIRA VII.

Inducitur Horatii servus, ipsum, post acceptam dicendi facultatem, graphice ac facete objurgans.

DAVUS.
Jamdudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido.
HORATIUS. Davusne ?
DAVUS. Ita; Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod sit satis; hoc est,
Ut vitale putes.
HORATIUS. Age, libertate decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere; narra.
DAVUS.
Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum : pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modo læva Priscus inani,
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas;
Ædibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste;
Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa chiragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna

1. *Ausculto*. Jampridem te audio, o here, nempe Horatius fingitur servum vel castigare verbis, vel docere.

2. *Reformido*. Impedior metu et reverentia ne te vicissim alloquar, ne malam in partem accipias quæ sum dicturus.—*Davusne ?* Tune loqueris, o Dave ? Ego ipse tuus servus, tibi amicus et gratus, et *frugi*, id est temperans, sed *quod satis sit*, id est non immodice, ita ut credere possis me fore *vitalem*, id est non ante diem moriturum esse, vel non nimia abstinentia consumendum.

4. *Decembri*. Hoc mense agebantur Saturnalia : tunc servis licebat loqui et vivere liberius, et quoddam quasi imperium in dominos exercebant.

5. *Narra*. Loquere.

6. *Constanter*. Eadem semper pertinacia. — *Urget propositum*. Perseverat in re semel proposita licet inhonesta.

7. *Natat*. Huc illuc fluctuat, nunc vitio, nunc virtute gaudens.

8. *Notatus*. Visus, deprehensus est.

9. *Tribus*. Annulos plures gestasse luxui, et arrogantiæ datum. — *Inani*. Sine annulis.

10. *Inæqualis*. Inconstans. — *Clavum*. Vestis erat senatorum et magistratuum quorumdam propria.

11. *Unde*. In exiguam casam, ex qua, etc.

14. *Vertumnis, etc*. Id est homo inconstantissimus. — *Iniquus* autem dicitur Vertumnus Prisco, qui prava inconstantia laboraret. *Vertumnus*, antiquissimus Tuscorum deus, in diversas formas se vertens.

15. *Justa*. Quam ob flagitia promeruerat, qua juste multabatur.

16. *Contudit articulos*. Contorsit digitos. — *Tolleret*. Ex alveo lusorio.

17. *Phimum*. Fritillum (*un cornet*) in quo tali vel tesseræ concutiebantur, et inde per pyrgum sive turriculam mittebantur in tabulam lusoriam. — *Mer-*

Conductum pavit. Quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser, ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

HORATIUS.

Non dices hodie quorsum hæc tam putida tendant,
Furcifer?

DAVUS. Ad te, inquam.

HORATIUS. Quo pacto, pessime?

DAVUS. Laudas
Fortunam, et mores antiquæ plebis; et idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses;
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et hæres,
Nequidquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas; absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus, ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se
Mæcenas serum sub lumina prima venire
Convivam; « Nemon' oleum feret ocius? ecquis
Audit? » cum magno blateras clamore, fugisque.
Milvius et scurræ, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor,
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.

cede, etc. Certo pretio in dies persoluto conduxit aliquem et nutrivit.

19. *Tanto, etc.* Tanto minus miser quam ille prior, nempe Priscus, qui vitiis modo laxabat ingentes habenas, modo contrahebat.

21. *Non dices.* O Dave, quid tibi vis, quo pertinet ista insectatio? quem istis objurgas?

22. *Furcifer.* Furciferi vocabantur servi nequam; illi enim ob leve delictum cogebantur a dominis ignominiæ magis quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum simulque submonere ceteros ne quid simile admitterent. — *Ad te.* Subaudi tendunt, spectant.

23. *Antiquæ plebis.* Homines antiqui erant fere frugales, parci.

24. *Ad illa.* Ad mores antiquos, et victum parciorem te adigat.

25. *Non sentis.* Non habes persuasum penitus, et certum.

26. *Hæres.* Nempe in vitiorum cœno, frustra cupiens emergere.

29. *Levis.* Inconstans.

30. *Velut usquam.* Quasi eo quo vocaris invitus et ligatus pergas, quasi foris cœnare non amares.

31. *Ita.* Si non vocatus es; domi olus comedens.

32. *Jusserit.* Si jusserit.

33. *Sub lumina prima.* Paulo ante vesperam, quum astra primum lucere occipiunt, et faces domi accenduntur.

34. *Oleum.* Unguentum ex oleo odorato confectum; eo delibuti cœnabant. — *Ecquis.* Servorum.

35. *Blateras.* Clamitas. — *Fugis.* Domo te proripis.

36. *Milvius.* Aliquis parasitus apud Horatium cum scurris cœnaturus.

37. *Discedunt.* Te domi non cœnante, tristes, et imprecati multa male, quæ tibi narrare dispudet, exeunt. — *Ille.* Unus aliquis, quilibet.

38. *Duci.* Me duci et capi lautis ferculis. — *Supinor.* Attollo nasum, id est, nasum subrigo ad nidorem, seu fumum, et odorem obsoniorum.

39. *Si quid vis.* Si quid præterea ve-

Tu, quum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior? verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
Dum, quæ Crispini docuit me janitor, edo.
Non sum mœchus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Prætereo sapiens argentea. Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta, quaterque
Imposita, haud unquam misera formidine privet?
Adde supra dictis, quod non levius valeat: nam
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus: tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens: sibi qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in seipso totus, teres atque rotundus:
Externi ne quid valeat per læve morari.
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his, ut proprium, quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier, vexat, foribusque repulsum

lis in me dicere, si aliud aliquid vis objicere. — *Popino*. Qui popinis gaudet, ganeo, helluo.

40. *Tu insectere*. Quorsum me insectaberis? quo jure?

43. *Drachmis*. Drachma, monetæ genus Græcis usitatæ.—*Quingentis drachmis*. Circiter 400 fr. — *Aufer*. Parce, abstine.

45. *Crispini*. Erat ille philosophus. V. sat. 1, lib. 1, ultimo versu.

47. *Præterea*. Non surripio. — *Sapiens*. Cautus. — *Periculum*. Pœnæ periculum, metum supplicii.

48. *Vaga*. Freni indocilis; furabor, indoli obsequar.

50. *Minor*. Me deterior et inferior, quia tot res tibi hominesque imperant. — *Vindicta*. Qui nunquam eris liber a metu et perturbatione quam tibi tuæ libidines incutiunt, etsi ter, quaterque tangaris vindicta. *Vindicta* est virga prætoris, qua tangebantur servi, dum liberi fiebant, et manumittebantur capiti imposita.

52. *Quod, etc.* Unum nihilo ceteris levius, ad tuam servitutem demonstrandam.

53. *Vicarius*. Est servi servus: alteri servo obedire jussus.— *Uti, etc.* Ut loqui soletis, eum, qui a nobis conservus appellatur, vicarium honestiori vocabulo nuncupantes.

54. *Nempe tu, etc.* Quum autem tu dominus mihi imperes, et aliis servias (vitiis scilicet), nonne sum tuus conservus vel, si mavis, vicarius?

55. *Servis*. Obedis, pares.

56. *Ut nervis*. Ut parvulæ quædam statuæ et opera lignea, quæ nervis, id est, funiculis intus latentibus ita moventur; *des marionnettes*.

57. *Sibi qui imperiosus*. Qui in se ipsum imperium exercet, se ipsum temperat et moderatur.

59. *Responsare*. Resistere. — *Fortis contemnere*. Qui satis habet fortitudinis ad contemnendos honores.

60. *Totus teres*. Instar globi, ex omni parte in sese collectus et politus.

62. *Manca*. Debilis, inermis.

63. *Ex his, etc.* In iis dotibus num aliquam agnoscis tuam? — *Quinque talenta*. Talentum, circiter 5400 fr.

Perfundit gelida. Rursus vocat. Eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber sum, dic, age. Non quis;
Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel quum pausiaca torpes, insane, tabella,
Qui peccas minus atque ego, quum Fulvi, Rutubæque,
Aut Placideiani contento poplite miror
Prælia, rubrica picta, aut carbone: velut si
Revera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri. Nequam et cessator Davus: at ipse
Subtilis veterum judex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus, atque animus cœnis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est. Cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior, illa,
Quæ parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui prædia vendit,
Nil servile, gulæ parens, habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes: non otia recte
Ponere, teque ipsum vitas fugitivus, et erro;
Jam vino quærens, jam somno fallere curam:
Frustra; nam comes atra premit, sequiturque fugacem.

HORATIUS.

Unde mihi lapidem?

DAVUS. Quorsum est opus?

HORATIUS. Unde sagittas?

DAVUS.

Aut insanit homo, aut versus facit.

65. *Gelida*. Scilicet aqua.

66. *Non quis*. Non potes.

67. *Dominus*. Amor improbus.

68. *Negantem*. Nolentem servire, et sequi.

69. *Pausiaca*. Pausias, pictor nobilis græcus, Apellis æqualis. — *Torpes*. Stupes admirans.

70. *Fulvi*, *Rutubæ*, *Placideiani*. Trium gladiatorum sunt nomina.

71. *Contento poplite*. Extento.

76. *Nil ego*. Nihil sum, nihili sum, nullius pretii. — *Ducor*. Trahor, rapior.

77. *Responsat*. Tu contemnere potes cœnas lautas, atque adeo es quantivis pretii? Ironia: nam significat Horatium duci quoque opiparis cœnis.

78. *Obsequium*, *etc*. Quum indulgeo gulæ, damnum fero, nam plector loris: et tu an cares pœna magis quam ego, quum lauta et cara captas fercula?

83. *Sub noctem*. Ne furtum agnoscatur. — *Puer*. Servus.

84. *Mutat*. Qui strigilem furto ablatam donat pro uva. Est *strigilis* instrumentum, e ferro, ebore, argento, quo sudorem e corpore detergebant, quum balneis utebantur, item quo distringuntur equi, *une étrille*.

86. *Tecum esse*. Tibi constare, vel solus esse.

87. *Ponere recte*. Utilibus occupationibus et honestis impendere. — *Erro*. Erraticus, semper errabundus.

88. *Fallere*. Lenire.

89. *Comes* Illa ipsa cura quam fugis.

90. *Lapidem*. Subaudi sumam. — *Quorsum*. Cur lapidem poscis?

91. *Aut versus facit*. Quasi genus

HORATIUS. Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona sabino.

esset insaniæ, quolibet alio certius et periculosius.

92. *Ni rapis, accedes, etc.* Ni discedis, te mittam nonum operarium ad servos octo qui faciunt opus in mea villa sabina. — *Opera*. Operarius, opus servile faciens : illi servi rustici erant deterioris et durioris conditionis quam urbani.

SATIRA VIII.

Nasidieni cœnam, cui Fundanius amicus suus interfuerat, lepide describit.

HORATIUS.
Ut Nasidieni juvit te cœna beati?
Nam mihi quærenti convivam dictus here illic
De medio potare die.
FUNDANIUS. Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius.
HORATIUS. Da, si grave non est,
Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.
FUNDANIUS.
In primis lucanus aper; leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cœnæ pater. Acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum; siser, halec, fæcula coa.
His ubi sublatis, puer alte cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere. Ut attica virgo

1. *Nasidieni*. Nasidienus, eques romanus, homo avarus, qui tamen videri lautus vellet. — *Juvit*. Delectavit : Quomodo apud eum, quam belle cœnavisti? — *Beati*. Divitis, lauti.

2. *Quærenti, etc.* Quum quærerem hominem, qui mecum cœnaret, quem vocarem ad cœnam ; dictus es heri illic, id est, in domo Nasidieni, etc. — *Here*. Antiquius pro, heri.

3. *De medio die*. A meridie : vulgo sub vesperam cœnabant. — *Sic ut*. Sic mihi illa cœna bene fuit, ut, etc.

4. *Da*. Narra.

6. *Lucanus*. Quia apri in Lucania ob glandis pastum in quercetis sunt admodum opimi. Lucania, pars Italiæ, prope Calabriam. — *Leni Austro*. Nam gravi et vehementius flante carnes putrescunt.

7. *Cœnæ pater*. Convivator, herus, id est Nasidienus.

9. *Pervellunt*. Provocant ad edendum, et stimulant nova fame. — *Siser*. Genus leguminis ; *du céleri* : vel, ut alii censent, *du chervi*. — *Halec*. Erat fæx muriæ cujusdam : *de la saumure d'anchois*. — *Fæcula coa*. Fæx delicatior vini græci ex insula Co : *de la lie du vin de Cos* : seu condimentum ex ea factum.

10. *Sublatis*. E mensa, ut novis ferculis locus esset. — *Puer alte cinctus*. Servus vestem habens altius præcinctam, ut esset expeditior. — *Acernam*. Ex acere arbore factam : *de l'érable*. Et hoc notat Nasidieni sordititiem, quod pro divitiis non habuerit mensam citream aut vermiculatam.

11. *Gausape*. Panno villoso.

12. *Sublegit*. Collegit abstulit. — *Inutile*. Sordidum.

13. *Attica virgo*. Solebant in sacris

Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens; Alcon, chium maris expers.
Hic herus: « Albanum, Mæcenas, sive falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque. »

HORATIUS.

Divitias miseras! Sed queis cœnantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.

FUNDANIUS.

Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra
Si memini, Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito. Nam cetera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, quum passeris, atque
Ingustata mihi porrexerit ilia rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
« Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti: »

Cereris virgines canistra ferre vultu et gressu ad insignem modestiam composito.

14. *Hydaspes*. Servus, item Alcon.

15. *Maris expers*. Id est, sine aqua marina. In Græcia enim solet vino aqua marina admisceri, ut non facile corrumpatur. Alii autem intelligunt hoc vinum, quod Nasidienus ut chium apponebat, nunquam e Græcia fuisse mari advectum, sed in Italia natum.

16. *Hic*. Tum ita loqui Nasidienus cœpit.

17. *Te magis*. Si vinum albanum vel falernum te magis delectat. — *Appositis*. Quam cæcubum et chium, quæ tibi modo jussi apponi.

18. *Divitias*, *etc*. Plerique hæc ab Horatio dici volunt. *Divitias* autem dicit *miseras*, quia Nasidienus dominus est indignus, qui eas possideat. Alii hæc verba Nasidieno tribuunt, eas res quas cum ostentatione offert, ironice et consulto attenuanti.

20. *Summus ego*. In primo lecto, eram in summa parte, in media Viscus Thurinus, in infima parte, Varius.

22. *Umbras*. Umbræ in convivio vocabantur illi qui non suo nomine privatim erant invitati, sed amicum aut virum nobilem comitabantur honoris causa, ut umbra corpus assectatur.

24. *Ridiculus absorbere*. In eo ridiculus, et facetus, quod absorberet uno veluti haustu integras placentas.

25. *Ab hoc*. Subauditur vocatus, appositus a Nasidieno. — *Si quid*. Si quod ferculum exquisitius convivas fugeret.

27. *Nos*. Minus periti ad istas ciborum delicias cognoscendas, cœnabamus quod occurrebat, pisces, aves.

28. *Longe dissimilem noto*, *etc*. Saporem habentia longe meliorem quam hactenus noveramus.

29. *Passeris*. Genus est piscis.

30. *Ingustata*. Qualia nunquam antea gustaveram, vel quæ nemo nostrum attigerat, quia saporem hujus ferculi ignorabamus.

31. *Melimela*. Poma quædam mellei saporis. — *Rubere*. Ruborem induere. — *Minorem*. Non plenam, decrescentem.

32. *Hoc*. Nempe quod colligantur quum minor est luna.

33. *Vibidius*. Subaudi dixit.

34. *Damnose*. Cum damno Nasidieni: large. — *Moriemur inulti*. Non bene nobis erit. Inultum mori, est usi-

Et calices poscit majores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores; vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi
Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
  Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus : « Hæc gravida, inquit,
Capta est; deterior post partum carne futura.
His mixtum jus est, oleo, quod prima Venafri
Pressit cella, garo de succis piscis iberi,
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur (cocto chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud); pipere albo, non sine aceto,
Quod methymnæam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere : illutos Curtillus echinos,
Ut melius muria, quam testa marina remittit. »
  Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo campanis excitat agris.
Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset

tata locutio Latinis, significans aliud nihil quam miserrimum esse : quia putabant eos esse miseros, qui inulti morerentur. Alii intelligunt hæc verba *moriemur inulti* alludere ad Nasidieni avaritiam, propter pessimum ciborum saporem.

36. *Parochi*. *Parochus* significat hic convivatorem, qui convivium præbet.

38. *Exsurdant*. Surdum faciunt, hebetant.

39. *Invertunt*. Exhauriunt vinaria poculis allifanis, fictilibus cyathis factis in oppido Samnii Allife, quod est inter Venafrum et Beneventum. *Vinarium* est vas majus, quod œnophorum appellant.

40. *Secutis omnibus; imi convivæ lecti, etc.* Sensus est : Omnes Vibidium et Balatronem imitati sunt, exceptis convivis imo lecto accumbentibus, scilicet Porcio et Nomentano, qui non nocuere lagenis, ut abstinentia sua parco cœnæ patri placerent.

42. *Muræna*. Piscis nobilis, *une lamproie*. — *Natantes*. In jusculo. — *Squillas*. Squillæ, sunt pisciculi e cancrorum genere, *des squilles*.

45. *His, etc.* Jus illud in quo videtis natantes squillas, his rebus mixtum et confectum est. Primo ex oleo, etc. *Methymna* est urbs primaria Lesbi, insulæ maris Ægæi.

46. *Garo*. Garum erat condimenti seu muriæ genus quoddam confectum ex intestinis pisciculorum, maxime scombrorum iberorum, sale maceratis, et putrefactis.

51. *Erucas, inulas*. Herbæ sunt : *de la roquette, de l'aunée*.

52. *Incoquere*. In jure illo coquere. *Illutos*, id est, non exemptos muria, non detersa salsugine, non ablutos aqua fluviatili. — *Echinos*. Pisces echinis terrestribus similes.

53. *Testa*. Vel ipsa pisciculorum concha, vel olla in qua macerantur.

54. *Aulæa*. Vela quæ supra mensam erant suspensa : *un dais*.

55. *Pulveris atri*. Subaudi tantum.

57. *Majus*. Ne lacunar ipsum rueret.

58. *Rufus*. Nasidieni est cognomen.

59. *Flere*. Subaudi cœpit. — *Quis esset finis?* An ille finem flendi fecisset? flere profecto pergeret, nisi, etc.

Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret? « Heu fortuna! quis est crudelior in nos
Te deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! » Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro, suspendens omnia naso:
« Hæc est conditio vivendi, aiebat: eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum jus apponatur, ut omnes
Præcincti recte pueri, comptique ministrent?
Adde hos præterea casus; aulæa ruant si,
Ut modo: si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversæ nudare solent, celare secundæ. »
Nasidienus ad hæc: « Tibi di, quæcumque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis; »
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.

HORATIUS.

Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quæ deinceps risisti.

FUNDANIUS. Vibidius, dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi,

61. *Tolleret.* Erigeret, solatus esset.

64. *Suspendens, etc.* Omnia in risum vertens, risum ex omnibus captans. Lib. 1, sat. 6.

65. *Hæc, etc.* Sic vivitur, ea lege, ut nimirum adversa multa incidant. — *Eoque.* Ideoque nunquam pro merito laudaberis, laudem tuo labore ac merito semper minorem feres.

69. *Tene, ut ego, etc.* Num est æquum ut, me excepturus, te torqueas, etc.

72. *Agaso.* Servus hebes ac stupidus, instar agasonis, mulionis; *un palefrenier, un muletier.*

73. *Convivatoris.* Ejus qui convivas accipit. — *Ingenium.* Industriam: ea nudatur, id est, promitur in adversis, latet in secundis rebus.

77. *Soleas.* Crepidas, ut e lecto descenderet: *des pantoufles.* — *Lecto quoque.* Singulis lectis.

78. *Stridere secreta, etc.* Alterum in alterius aurem secreto aliquid insusurrare.

81. *De pueris.* A servis.

83. *Fictis rerum.* Rebus fictis, fabellis, et jocis. — *Secundo.* Urgente, adjuvante, ut in tragœdiis, actoribus primarum partium subserviunt actores, qui secundas ferunt.

84. *Mutatæ frontis.* Fronte mutata hilarior.

85. *Fortunam.* Fortuitam aulæi ruinam.

86. *Mazonomo.* Patina sic dicta.

88. *Pastum.* Saginatum.

Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes:
Suaves res, si non causas narraret earum, et
Naturas dominus: quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus; velut illis
Canidia afflasset, pejor serpentibus afris.

91. *Sine clune*. Sine ea parte, quæ lautior est.

92. *Causas*. Originem.

94. *Velut, etc*. Quasi Canidia venefica illis cibis afflasset, id est, flatu suo et ore venenum præsentissimum addidisset.

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

Ad Mæcenatem.

Se, emissis versibus lyricis, totum esse in philosophia perdiscenda, quæ frenare cupiditates, et omnia virtuti posthabere docet.

Prima dicte mihi, summa dicende camena,
Spectatum satis, et donatum jam rude, quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem est ætas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
« Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat. »
Nunc itaque et versus, et cetera ludicra pono;
Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum:

1. *Prima dicte mihi, etc.* Mæcenas, quem ego in primo cujusque generis carmine (odarum, epodon, satirarum) ante omnes alios celebravi. — *Summa dicende camena.* Qui mihi celebrandus es in extremo, quod scripturus sum carmine, scilicet in his epistolis. Camena, ut sæpius musa, pro carmine usurpatur.

2. *Spectatum satis.* Qui satis spectaculo fui : metaphora ducta a gladiatoribus. Poeta autem *spectatur*, quum ars et ingenium in ejus carminibus cognoscitur. — *Donatum rude.* Emeritum. Rudis erat virga, seu bacillum ligneum impolitum : iis gladiatoribus dabatur, qui vacationem, et quasi missionem obtinebant ab arte gladiatoria, post annos certos in ea consumptos ; sic ut ad certandum in arena cogi non possent. — *Quæris.* Contendis, cupis.

3. *Antiquo, etc.* Me ad pristinam artem, ad scribendos versus lyricos revocare. *Ludus* (ut hic sumitur) erat locus in quo se gladiatores exercebant, et arma tractare docebantur ; vel in quo pugnabant.

4. *Non eadem, etc.* Non sum eadem, qua eram olim, ætate ; non eodem animo. — *Vejanius.* Gladiator celebris.

5. *Herculis, etc.* Ad templi herculei valvas.

6. *Exoret, etc.* Ne si arma jam senior et effœtus capiat, supplex a populo vitam deprecetur in extrema parte arenæ, in quam retrocedere coactus sit, ab æmulo suo victus, et jam enecandus. — *Extrema arena.* Arena solum erat, in quo gladiatores dimicabant, in extremam ejus partem secedebant missionem petituri.

7. *Est mihi, etc.* Audire mihi videor aliquem, qui me non invitum, sic admoneat : o Horati, equus senescens mature solvendus est a curru. — *Purgatam.* Docilem, attentam. — *Personet aurem.* Per aurem sonet.

8. *Solve.* A curru sejunge et remove. — *Sanus.* Si sapis.

9. *Peccet.* Corruat, tardius eat. — *Ilia ducat.* Ægre anhelitum ducat ; ut equi senes et fatigati solent.

11. *Omnis, etc.* Id unum studeo et cogito.

Condo, et compono, quæ mox depromere possim.
Ac, ne forte roges quo me duce, quo lare tuter;
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis veræ custos, rigidusque satelles;
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus subjungere conor.
Ut nox longa, quibus somni est pars nulla, diesque
Lenta videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum;
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Æque pauperibus prodest, locupletibus æque:
Æque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis.
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.
Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus;

12. *Condo et compono.* In animo recondo, et mecum meditor. — *Quæ mox depromere possim.* Quibus mox utar ad vitam recte instituendam.

13. *Quo me duce, etc.* Quem philosophiæ auctorem, quam philosophorum sectam et quasi familiam amplectar.

14. *Nullius, etc.* Nulli certo philosopho, vel philosophiæ deditus, et obstrictus, deferor, ad eos accedo, non tanquam civis, aut domesticus, sed tanquam hospes, et externus, ad quoscumque me aut ratio temporum, aut impetus animi tanquam tempestas, rapit.

16. *Nunc agilis, etc.* Nunc immisceo me rebus gerendis, et in civium negotia me interpono.

17. *Virtutis.* Stoici summum bonum in virtute et honestate ponebant, voluptates repudiabant, etc. Unde satellites rigidi virtutis, ut reginæ cujusdam, hic vocantur.

18. *Aristippi.* Sensim abripior mea sponte ad Aristippi effata, otium sector: negotiorum dominus esse conor, non servus.

21. *Opus debentibus.* Mercenariis, qui ad certum opus faciendum conducti sunt.

22. *Pupillis.* *Pupillus* dicitur, qui orbatus est patre. Porro pupilli sunt in tutorum fide et cura, aut etiam matrum, quæ illos sæpe durius, quam ipsi tutores, habent, ut filios licentius vivere cupientes ad severam disciplinam revocent.

24. *Id, quod, etc.* Studium sapientiæ, intelligit.

27. *Restat, etc.* Confecto jam ac decurso prope modum vitæ spatio, id unum faciendum mihi restat, ut elementis philosophiæ et rudibus saltem, ac obviis præceptis regam vitam meam, mores componam.

28. *Lynceus.* Unus Argonautarum, qui dicitur oculos habuisse perspicacissimos; ita ut etiam ea, quæ apud inferos gererentur, conspiceret.

30. *Invicti Glyconis.* Videtur Glyco fuisse nobilis athleta, ob corporis robur invictus.

31. *Nodosa.* Quia in digitorum articulis intumescens humor quosdam quasi nodos efficit, quibus eos constringit. — *Chiragra.* Est articulorum dolor in manibus, *la goutte aux mains.*

32. *Est quodam, etc.* Est, licet ad aliquam doctrinæ virtutisque perfectionem prodire et provehi: si, id est, etsi non liceat ulterius, nempe, ad summam ejus absolutionem, et quasi apicem pervenire.

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes; sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere, et sapientia prima,
Stultitia caruisse. Vides, quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,
Quanto devites animi, capitisque labore!
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes;
Ne cures ea, quæ stulte miraris, et optas,
Discere, et audire, et meliori credere non vis?
Quis circum pagos, et circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
« O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. » Hæc Janus summus ab imo
Perdocet : hæc recinunt juvenes dictata senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto.

34. *Verba et voces.* Philosophiæ præcepta.

36. *Piacula.* Libri philosophici, quorum præceptis æque ac piaculis purgari atque expiari potes.

37. *Ter.* Pertinet hic numerus ad religionem quamdam. — *Pure.* Quasi sacrum esset philosophiæ studium : at sacra omnia non nisi a puris et integris, caste ac reverenter tractanda. — *Recreare.* Sanare.

39. *Ferus.* Agrestis, ferox.

40. *Culturæ.* Philosophiæ præceptis, quibus animus excolatur.

41. *Virtus est, etc.* Prima pars virtutis est, primus quasi ad eam gradus est, fugere vitia : initium sapientiæ est stultitiam exuere.

42. *Stultitia.* In eo positam præcipue docet, si pluris inania bona faciamus quam virtutem; si putemus ea mala esse, quæ non sunt.

43. *Exiguum censum.* Exiguum rei familiaris modum, paupertatem. — *Turpemque repulsam.* Quum is, qui honores petit, repellitur.

45. *Indos.* India est regio Asiæ inter Persidem ab occasu, Tartariam a septentrione, Sinas ab oriente : alluitur fluviis Indo et Gange.

46. *Per ignes.* Æstuosas plagas, vel metaphorice, per media pericula.

47. *Ne cures ea, etc.* Ordo est : non vis discere, et audire præcepta philosophiæ, quibus doceris ea non curare, ea negligere, quæ optas; fugis, et arces omni conatu inopiam, repulsam, etc., ignorantiam vero, stultitiam, etc., non fugis, non emendas studio philosophiæ.

49. *Quis, etc.* Quis est, qui quum sæpe pugnaverit in pagis et in compitis, ibique coronatus fuerit, nolit coronari in ludis Olympicis, totius Græciæ celebrari solitis, si sperat ea se conditione dimicaturum, ut dulcem palmam victoriamque, sine pulvere, id est, sine labore consequatur?

50. *Coronari Olympia.* Græca locutio, id est, per Olympia, inter Olympica certamina.

53. *O cives.* Vulgi vox; ita loquentem populum Horatius inducit.

54. *Virtus, etc.* Subaudi quærenda est. — *Janus summus.* Qui sunt in Jani vico.

55. *Perdocet.* Id est, palam et aperte docet. — *Recinunt.* Sæpe canunt. — *Dictata.* Præcepta, nænias, effata.

56. *Lævo, etc.* Habentes loculos, id est, sacculum, in quo sunt calculi ad

Si quadringentis sex, septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, et lingua, fidesque;
Plebs eris. At pueri ludentes : « Rex eris, aiunt,
Si recte facies. » Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic, sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis, et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis, recte : si non, quocumque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi?
An qui fortunæ te responsare superbæ
Liberum et erectum præsens hortatur, et optat?
Quod si me populus romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar isdem;
Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse, vel odit;
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam : « Quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. »
Bellua multorum es capitum : nam quid sequar, aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,

numerandum, et tabulam, seu alveum, plagulam ligneam in qua numerent, vel in qua scripserint nomina debitorum, fœneratitiam pecuniam, etc., suspensam brachio sinistro.

59. *At pueri ludentes, etc.* Pueri contra, quum ludunt, non ditioris, sed ei, *qui recte facit*, summos in ludo honores deferunt, *regem* eum appellantes.

60. *Hic murus, etc.* Omissa pecuniæ congerendæ cura, unam virtutem sectare : in hac una re totius vitæ tuæ præsidium pone, ut nullius flagitii tibi sis conscius : hæc tua sit arx, hoc propugnaculum contra omnes fortunæ impetus, ut nullam sceleris illius conscientiam suscipias, nihil admittas, quo merito erubescas, et palleas.

62. *Roscia, etc.* Sensus est : dic, quæso, num lex Roscia, quæ aditum in equestrem ordinem illi aperit, cui sint quadringenta, melior est quam illa puerorum ludentium nænia, id est, formula, et cantilena, quæ reges eos fore clamitat, qui recte fecerint, olim a Curiis illis et Camillis usurpata, qui dignitates et imperia optimis deferebant.

64. *Maribus.* Generosis.

65. *Rem facias.* Opes colligas.

66. *Recte.* Honestis artibus. — *Quocumque modo.* Jure, vel injuria.

67. *Ut propius, etc.* Ut, quum ditior factus fueris, in primis subselliis locum habeas. — *Lacrimosa, etc.* Tragœdias, a Pupio compositas. Tragœdiæ ad ciendam fere commiserationem et lacrimas comparatæ sunt.

68. *An qui, etc.* An ille tibi rectius suadet, qui te hortatur fortunæ casus erecto animo tolerare, etc. — *Responsare.* Resistere.

69. *Erectum.* Fortem, generosum. — *Præsens.* Dexter, opportunus.

71. *Non, ut, etc.* Cur non aliis in locis, quam ille, spatier et ambulem; at alio, quam ille, modo judicem de rebus?

73. *Cauta.* Astuta.

75. *Omnia, etc.* Ferarum quæ ad tuam speluncam veniunt, video vestigia, et pedum notas, ita inaratas terræ, ut illas quidem ad te iisse, nullas rediisse appareat, quia sunt a te devoratæ.

76. *Bellua, etc.* Tu es instar belluæ multis capitibus præditæ : tot sententiæ, opiniones ac studia sunt, quot homines. — *Sequar.* Probem, amplectar.

77. *Conducere publica.* Opera publica, v. g. pontes faciendos, colligenda vectigalia, certo pretio constituto, in se recipere.

78. *Crustis.* Vilibus munusculis. Legitur etiam, *frustis.* Crustula porro sunt dulciaria quælibet, cupediæ, etc., *de l*

Excipiantque senes, quos in vivaria mittant.
Multis occulto crescit res fœnore. Verum
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri :
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
« Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis, »
Si dixit dives; lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri, cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium : « Cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. » Lectus genialis in aula est;
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita :
Si non est, jurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride : mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigio æque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurri, rides; si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides. Quid? mea quum pugnat sententia secum;
Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit;
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto;

pâtisserie. — *Venentur*. Earum hereditatem aucupantur.

79. *Excipiantque*, *etc*. Verbum est insidiis accommodatum. Sententia est : qui senes orbos callide sic deliniant, ut eos compositis obsequiis capiant, ac eorum hereditatem certis artibus consequantur, quemadmodum pisces hamo capiuntur, et in vivaria (loca servandis piscibus captis idonea, *des réservoirs*, *des viviers*), mittuntur, ita ut effugere nequeant.

80. *Occulto*. Vetito. — *Res*. Pecunia. — *Verum*, *etc*. Sed esto sane, aliud aliis placeat : non id miror in tanta hominum multitudine, etc.

82. *Iidem eadem possunt*, *etc*. Num iidem in iisdem, quæ modo probabant, per unam horam perstare vel sibi constare possunt ?

83. *Baiis prælucet*. Præferendus est : nempe ad ædificandam domum. Baiæ, urbs est Campaniæ, ad sinum Puteolanum : prope hanc est lacus Lucrinus.

84. *Amorem*. Injectam subito cupiditatem exstruendi amœnis Baiis ædificium.

85. *Cui si*, *etc*. At si herus ille, vitiosam libidinem, et inconstantiam suam consulens, ex ea sumat auspicium, ut ex avium cantu et volatu duci solet, eaque illi suadeat alibi domum ædificare : cras, o fabri, o architecti, etc., transportabitis Baiis fabrilia instrumenta. Theanum, urbs est Campaniæ, a littore remotior.

87. *Lectus*, *etc*. Uxorem duxit. *Lectus genialis* lectus erat nuptialis, qui poni Genio consueverat ; quia Genius nativitati hominum præsidebat.

88. *Cœlibe*. Sine uxore.

89. *Bene*, *etc*. Solos matrimonio junctos, beatos esse.

91. *Quid*, *etc*. Quid agunt pauperes? an sunt constantiores divitibus? — *Cœnacula*. Cœnaculum Romanis erat superior ædium contignatio, quam fere pauperes incolebant.

93. *Nauseat*, *etc*. Æque fastidit, ac mutat navim conductam, etc. — *Priva*. Propria et sua.

94. *Si curtatus*, *etc*. Si ego, habens capillos tonsos brevius a tonsore inæquali, id est, qui eos inequaliter et per sulcos totonderit, occurram tibi, risum movebo, etc.

95. *Subucula*. Vestis intima, indusium. — *Pexæ*. Recenti, villosæ.

96. *Tunicæ*. Est vestis exterior : toga vestis extima. — *Dissidet*. Non sedet æqualiter in humeris, plus hinc pendet, quam illinc.

97. *Rides*. Illorum levitatem.

99. *Æstuat*. Fluctuat, jactatus huc illuc, ut æstus maris. — *Disconvenit*. Non convenit, non constat sibi in tota vitæ ratione.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.
Insanire putas solennia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati, rerum tutela mearum
Quum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici?
Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Præcipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

101. *Solennia*, *etc.* Solenniter, communi hominum more.

102. *Curatoris.* Dabatur ille insanis a prætore, ut eorum curaret bona, si propinquis carerent.

104. *Prave.* Male, negligenter.— *Sectum ob unguem.* Id est, ob rem levissimam, quæ recedit ab externa elegantia.

106. *Ad summam.* Hoc veluti axiomate præcepta philosophiæ, quæ tradidit hac epistola, concludit. — *Dives.* Quia multis rebus indiget.

107. *Liber.* Qui nullis servit cupiditatibus. — *Honoratus.* Quia veri honores e virtute oriuntur.

108. *Præcipue.* Egregie, præ ceteris. — *Sanus.* Sanitate summa præditus, animi quidem semper, at non item corporis. — *Nisi quum*, *etc.* Stoici dicebant sapientem in gravissimis morbis et cruciatibus, sanum ac valentem esse : negat hoc Horatius jocando, conceditque animi bona recte tribui sapienti, non item corporis, quæ non sunt in nostra potestate. — *Pituita.* Ista vox est trium syllabarum, quasi, *pitvita;* stare aliter quippe non potest in versu, quum prima syllaba longa sit. Pituita, est humor frigidus.

EPISTOLA II.

Ad Lollium.

Homerum philosophis anteponit. Hortatur ad sapientiæ studium, eique a teneris operam dandam esset monet.

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi :
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius, ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia barbariæ lento collisa duello,

1. *Trojani*, *etc.* Homerum. — *Lolli.* Quis Lollius fuerit, vide lib. 4 odar. od. 9.

2. *Declamas.* Versus, aut orationes recitas, memoriæ et eloquentiæ excolendæ causa. — *Præneste.* Urbs est in Latio; nunc vocatur *Palestrina.*

3. *Pulchrum.* Honestum.

4. *Chrysippo et Crantore.* Ille inter stoicos celeberrimus : hic inter academicos philosophus, de quibus sæpe dictum antea.

5. *Nisi*, *etc.* Si vacat tibi audire : nisi te gravior alia moratur occupatio.

6. *Fabula*, *qua*, *etc.* Ilias poema compositum ab Homero de Ilii seu Trojæ excidio.

7. *Barbariæ.* Phrygiæ, Troadi. Græci ceteros populos, maxime Phrygas, appellare barbaros solebant. — *Collisa,*

Stultorum regum, et populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, et inter Atriden.
Hunc amor; ira quidem communiter urit utrumque:
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rursus quid virtus, et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit, latumque per æquor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces, et Circes pocula nosti:
Quæ si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors:
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati;
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique

etc. Opposita, commisso cum ea bello. Contrita bello decennali, et conflictata. — *Duello.* Bello. Dicebant olim veteres *duis*, pro *bis*: bellum autem, sive duellum duas inter opposítas partes peragitur.

8. *Æstus.* Iram, seditiones. Agamemnon præcipue cum Achille jurgavit.

9. *Antenor, etc.* Unus Priami filiorum, idemque prudentissimus, censet præcidendam esse belli causam, reddendam Græcis Helenam.

10. *Quid Paris?* Subaudi censet. — *Ut salvus, etc.* Adduci et permoveri non potest ut, reddita Helena, salvus regnet et beatus vivat.

11. *Cogi.* Subaudi se. — *Nestor.* Græcus senex sapientissimus.

12. *Peliden.* Achillem, Pelei filium et Thetidis. — *Atriden.* Agamemnonem, filium Atrei.

13. *Hunc.* Agamemnonem. — *Amor.* Briseidis captivæ, quam eripuerat Achilli. — *Communiter.* Ex æquo, pariter. *Utrumque.* Achillem et Agamemnonem.

14. *Delirant.* Peccant, agunt perperam. — *Achivi.* Græci: Græcia dicta est Achaia, ab Achaio quodam, vel Jovis filio, vel Zuthi, qui in ea regione regnavit.

16. *Iliacos.* Trojanos.

18. *Ulyssem.* Fuit Ithacæ insulæ rex, sagacitate ac prudentia insignis, qui momentum ingens ad capiendam Trojam attulit.

19. *Providus.* Prudens.

21. *Reditum.* E Phrygia in Ithacam insulam suam.

22. *Immersabilis.* Invictus, insuperabilis adversis rebus.

23. *Sirenum.* Voce blanda, et insidioso cantu prætereuntes deliniebant, et in scopulos pertrahebant. — *Circes.* Erat Circe famosa venefica, quæ certis potionibus homines in belluas vertere dicebatur. Ejus insidias et pocula sapiens Ulysses respuit, quum ad ejus insulam, in ora maritima Italiæ sitam, delatus fuisset tempestate; non item ejus socii, qui ab ea in porcos mutati fuere.

25. *Excors.* Amens, rationis expers.

27. *Numerus.* Turba inutilis, solo numero, et nomine censendi, non virtute, aut re aliqua bene gesta. — *Nati, etc.* Qui idcirco vivere videmur tantum ut edamus et bibamus.

28. *Sponsi, etc.* Proci. Erat Penelope uxor Ulyssis castissima: quum, bello trojano confecto, domum Ulysses non rediret, non levis erat suspicio eum naufragio periisse. Quare multi ex Ithacæ proceribus Penelopen sibi uxorem expetebant, et Ulyssis bona hoc nomine turpiter dilapidabant. — *Alcinoique, etc.*

In cute curanda plus æquo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones :
Ut teipsum serves, non expergisceris? atqui
Si noles sanus, curres hydropicus; et, ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum, festinas demere? si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet : sapere aude :
Incipe; vivendi qui recte prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.
  Quæritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere silvæ.
Quod satis est, cui contingit, hic nihil amplius optet.
Non domus, et fundus, non æris acervus et auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas : valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum sic domus, aut res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagrum,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.

Sumus juventus Alcinoi, id est, similes populo Alcinoi : qui rex erat Phæacum in insula Corcyra (nunc *Corfou*) deliciis et otio deditus, perinde ac ceteri Phæaces.

29. *Plus æquo.* Plus quam ratio, et cura valetudinis virtutisque patiatur. — *Operata.* Occupata, dans operam.

30. *In medios, etc.* Ad meridiem usque.

32. *Cessatum, etc.* Dormitum. Pro vulgari : curam abigere, pellere.

34. *Si noles sanus, etc.* Si nunc, quum bene vales, noles currere, id est vires tuas exercere, in posterum, quum tibi male erit, sicuti hydropicus, curres : medici enim hydropicos multum ambulando et nonnunquam currendo valetudini succurrere jubent.

39. *Est animum.* Macerat, exedit.

40. *Dimidium.* Initium, dimidia quasi pars operis est. — *Sapere aude.* Aude, accinge te ad capessendam vitæ sapientis viam.

41. *Prorogat.* Differt.

42. *Rusticus, etc.* Instar rustici facit, qui quum ad fluminis ripam objectam ennti constitisset, exspectabat dum amnis totus effluxisset.

44. *Beata.* Fecunda, seu potius dives, ut sæpe.

45. *Pacantur.* Excoluntur, arantur, mansuescunt.

46. *Quod satis, etc.* Qui habet, quod ad vitam sufficit.

48. *Deduxit.* Depulit. Morbi, curæ, opibus non sanantur et arcentur.

49. *Valeat.* Sanus animo et corpore sit.

50. *Comportatis.* Congestis, quæsitis.

51. *Qui cupit, etc.* Qui aliqua cupiditate prava, vel metu vexatur. — *Juvat ut, etc.* Id est, minime juvat. — *Res.* Opes.

52. *Fomenta.* Remedia sunt, quibus podagræ quidem dolor fovetur et mitigatur (*des fomentations*); at morbi causa non tollitur.

53. *Auriculas dolentes.* Aures male se habentes. — *Sorde collecta.* Quæ audiendi facultatem impedit.

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget; certum voto pete finem :
Invidus alterius macrescit rebus opimis.
Invidia siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est : animum rege, qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques : venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer; nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

54. *Sincerum, etc.* Nisi vas aliquod mundum est, acescet, fiet acidus liquor in illud fusus; id est, animus vitiosus omnia gaudia corrumpit.

55. *Sperne, etc.* Enumerat vitia, et cupiditates, quibus animus est expurgandus; voluptatem nempe, avaritiam, invidiam, iram, etc. — *Empta dolore.* Ita parta et percepta, ut dolor eam sequatur.

56. *Certum voto, etc.* Certam tibi summam pecuniæ defini et præscribe, qua tua vota et cupiditatem habendi finias, ultra quam nolis ditescere.

57. *Rebus opimis.* Rebus secundis et fortunatis.

58. *Siculi tyranni.* Phalaris, Dionysius, nullum tormentum cruciandis hominibus invenere, quod comparari cum invidia possit.

60. *Infectum.* Irritum, non factum. Volet non accidisse. — *Dolor et mens.* Mens dolore incensa.

61. *Dum, etc.* Dum odium suum inultum esse dolens, properat pœnas acceptæ injuriæ per vim et nefas exigere.

64. *Fingit, etc.* Ut equi, canes, etc., mature sunt formandi et instituendi, sic homines, etc.

65. *Ire viam.* Ut viam eat : ut iter ab equite imperatum facile carpat. — *Ex quo, etc.* Postquam catulus venaticus latravit in aula cervum aliquem fictum, seu pellem cervi tomento fartam, discit veros cervos in silvis agitare, et acriter cum illis pugnare.

67. *Adhibe.* Tanquam salutarem succum hauri animo, et imbibe. — *Puro.* Nondum vitiis inquinato.

68. *Puer.* Quicumque es puer. — *Melioribus.* Sapientioribus te offer docendum.

70. *Cessas.* Ignavior es ac tardior.

71. *Opperior.* Exspecto. — *Insto.* Non urgeo celeriores, non conor eos antevertere.

EPISTOLA III.

Ad Julium Florum.

Julium Florum de Claudio Nerone et quibusdam suis amicis interrogat : eumdem ad sapientiæ studium, et ad redeundum cum fratre in gratiam hortatur.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiæ campi, collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hæc quoque curo,
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desævit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque monendus,
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet

1. *Juli Flore*. Amicus erat Horatii, Claudii comes. — *Quibus oris*. In quibus regionibus.

2. *Claudius*. Cl. Tiberius Nero, natus Livia, quæ postea Augusto nupsit, in Armeniam profectus ut Tigrani regnum restitueret. — *Laboro*. Cupio.

3. *Thracane, etc*. An vos tenet Thracia? — *Hebrus*. Thraciæ fluvius, sæpe glacie constrictus, ac nivibus obsitus, *l'Èbre*.

4. *An freta, etc*. An mare angustum interjacens inter vicinas turres, id est Hellespontus inter arces Seston et Abydon.

5. *Morantur*. Tenent.

6. *Studiosa*. Erudita. Sub Augusto litteræ et litterati florebant : itaque in comitatu Neronis multi viri docti numerabantur. — *Hæc quoque, etc*. Id quoque laboro scire, quis vestrum sumat sibi munus scribendarum rerum ab Augusto gestarum.

8. *Longum, etc*. Scriptis mandat, et in consequentes ætates propagat.

9. *Quid Titius, etc*. Poeta lyricus, brevi ob sua scripta, inquit, celebrandus apud Romanos : qui non dubitavit, non timuit haurire aquam ex illo fonte recondito, ex quo Pindarus hauserat, id est, qui Pindarum ausus est imitari, contempto vulgari poeseos genere, quæ omnibus patens et obvia est, instar fontis publici.

13. *Thebanos, etc*. Versus græcos Pindari (qui oriundus Thebis) accommodare ad lyram latinam, id est, latinis versibus Pindarum imitari. — *Auspice Musa*. Musarum ope et auspicio.

14. *Desævit*. Acri et vehementi stylo utitur. — *Ampullatur*. Utitur verbis sonantioribus, grandioribus, et quasi inflatis, instar ampullarum, quæ sunt vasa turgido ventre, aut bullæ vento tumentes et in aqua summa exstantes.

15. *Celsus*. Nomen poetæ ad quem scribit in hoc eodem libro, epist. 8.

16. *Opes*. Ut versus edat marte suo, neque aliorum scripta suffuretur ac sublegat, quæ recepit bibliotheca prope templum Apollinis Palatini ab Augusto exstructa.

Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo;
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quæ circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederæ victricis præmia : quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te cœlestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ,
Quantæ conveniat, Munatius: an male sarta
Gratia nequidquam coit, et rescinditur? at vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicumque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus.
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

20. *Furtivis nudata coloribus.* Exuta pulchris pavonis pennis, quas suas fecerat cornicula. — *Quid audes?* Quid scribis, moliris?

21. *Thyma.* Poetæ apibus comparantur.

22. *Hirtum.* Hirsutum, hispidum.

23. *Causis.* Forensibus. — *Seu civica, etc.* Sive respondes civibus te consulentibus de jure civili.

25. *Hederæ.* Qua poetæ coronabantur : hedera quippe semper viret : versus autem æternitatem merentur et donant.

26. *Fomenta.* Nutrimenta; sic divitias, et ambitionem vocat.

27. *Quo te, etc.* Morem gereres philosophiæ, et ex ejus præceptis cœlestibus vitam ageres.

28. *Ampli.* Locupletes, nobiles.

30. *Curæ.* An tantæ tibi curæ est frater tuus Munatius, quantæ esse tibi convenit?

31. *Male sarta gratia.* Amicitia non sincere instaurata.

32. *Coit.* Coalescit, conjungitur.

33. *Calidus sanguis.* Juvenilis ardor et impotentia. — *Rerum inscitia.* Ignorantia officii.

34. *Indomita cervice.* Ut tauri jugo intacti.

35. *Indigni.* Digni qui inter vos nunquam dissideatis : meliores et honestiores quam quos dissociari, et a se invicem divelli deceat.

36. *Votiva.* Ex voto a me immolanda, quum redieritis incolumes.

EPISTOLA IV.

Ad Albium Tibullum.

Laudat Albium Tibullum, et ut philosophiæ studio indulgeat, admonet.

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione pedana?

1. *Albi.* Albius Tibullus poeta in primis tersus et latinus, cujus exstant carmina cum Catulli et Propertii versibus vulgo excusa. — *Sermonum.* Satirarum, in quibus carmina proxime accedunt ad sermonem quotidianum, et colloquia familiaria. — *Candide.* Sincere, æque.

2. *Pedana.* Prope Pedum, Latii op-

Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubres
Curantem quidquid dignum sapiente, bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere et fari possit quæ sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Quum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

pidum, in Latio, ubi villam habebat Tibullus.

3. *Scribere, etc.* An dicam, an putem te scribere aliquod carmen, quod superet opera Cassii Parmensis, poetæ nobilis, a Parma (*Parme*) civitate Italiæ, ejus patria, ita dicti?

4. *Reptare*. Deambulare leniter.

6. *Eras*. Pro es, vel, nunquam fuisti.

7. *Dederunt*. Ita multi legunt, penultimamque, ut in ejusmodi præteritis sæpe fit, corripiunt. — *Artem fruendi*. Sapientiam, sine qua inutiles divitiæ sunt, imo noxiæ.

8. *Voveat*. Precetur et votis optet. In te sunt omnia, quæ optare alumno carissimo nutrix potest.

9. *Fari*. Verbis eloquenter exponere, vel aperire quæ sentiat, id est honestos sensus.

10. *Contingat*. Affluat, suppetat.

11. *Mundus victus*. Ratio vivendi et vescendi frugalis, nec tamen sordida.

14. *Grata superveniet, etc.* Gratior tibi accidet dies postera, quum eam minime exspectaveris.

16. *Ridere*. Comessari, genio indulgere. — *Epicuri, etc.* Unum ex epicureis, qui summam voluptatem in corpore lautioribus et largioribus cibis curando ponebant.

EPISTOLA V.

Ad Torquatum.

Torquatum ad cœnam invitat, quam frugalem fore dicit: utendum opibus, genio tantisper indulgendum esse monet.

Si potes archaicis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella,
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.

1. *Archaicis*. Parum elegantibus, vetusto more et artificio factis. Nonnulli legunt *archiacis*, id est factis a quodam fabro Archia, quem notissimum eo tempore vulgaribus lectis conficiendis fabrum fuisse aiunt. — *Recumbere*. Ad mensam accumbere.

2. *Nec times*. Non abhorres, non fugis. — *Cœnare olus*. Vesci leguminibus. — *Patella*. Patella est exigua patina, diciturque per syncopen, pro patinella.

3. *Supremo*. In occasum vergente. — *Manebo*. Exspectabo.

Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam. Cras nato Cæsare festus
Dat ve iam somnumque dies : impune licebit
Æstivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam, nimiumque severus,
Assidet insano : potare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Hæc ego procurare, et idoneus imperor, et non
Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares; ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet; ut coeat par

4. *Tauro iterum*. Subaudi consule.

5. *Inter, etc.* Non optimæ notæ vinum suum esse ostendit, quia natum erat in agro minturnensi aut petrino, prope Sinuessam antiqui Latii oppidum, ubi erant vina deteriora.

6. *Arcesse*. Jube illud afferri tecum. — *Imperium*. Proprie : nam cœnæ rex, dominus, pater, appellabatur is, qui alios accipiebat.

8. *Mitte*. Omitte spes quas concipis, lites quas suscipis, et contentiones ad divitias comparandas.

9. *Moschi*. Aiunt illum fuisse rhetorem, patria Pergamenum, veneficiis accusatum, defensum a Torquato. — *Cras*. Nono kal. octobris; qui est dies 23 septembris. — *Nato Cæsare*. Natalis dies Cæsaris, qui cras recurret, dat nobis facultatem somni longioris, itaque *noctem post epulas tendere*, id est, protrahere licebit, suavibus colloquiis usque in lucem et matutinis horis indulgere somno.

10. *Veniam*. Copiam, potestatem. *Veniam et somnum* posuit, pro, venia somni.

11. *Æstivam*. Caliidiorem : ut interdum fit septembri mense.

12. *Quo mihi, etc.* Quorsum mihi expetam fortunas, id est, opes, et alia fortunæ bona?

13. *Parcus, etc.* Qui parce vivit ac duriter, ut heredi suo magnas opes relinquat, ille assidet, id est, non longe abest ab insano.

14. *Spargere flores*. Ita mos erat in conviviis.

15. *Inconsultus*. Minus prudens et consultus.

16. *Designat*. Audet, suscipit, destinat et designat animo.

17. *Spes, etc.* Facit ut omnino speres eventura, quæ cupis.

18. *Onus*. Curas. — *Addocet artes*. Artem dicendi docet, poesim, eloquentiam, etc.

19. *Fecundi*. Largi, uberes, vel potius bibentis ingenium fecundum reddentes.

20. *Contracta*. Angusta. — *Solutum*. Scilicet curis expeditum et liberum.

21. *Hæc ego, etc.* Idoneus sum ad ea quæ dicturus sum, procuranda; hæc mihi vulgo cura imponitur.

23. *Ne non et cantharus, etc.* Ut tam canthari, quam lancis bene detersæ et politæ splendor imaginem tuam inde repercussam tibi repræsentet.

25. *Dicta*. In convivio quæ fere sunt liberiora. — *Eliminet*. Efferat extra limen, aliis renuntiet. — *Ut coeat*. Ut autem convivæ pares sint.

Jungaturque pari. Butram tibi, Septimiumque,
Et, nisi cœna prior, potior conviva, Sabinum
Detinet, assumam : locus est et pluribus umbris ;
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.
Tu, quotus esse velis, rescribe; et, rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem.

27. *Et nisi*, *etc.* Invitabo etiam Sabinum, nisi prius invitatus ad cœnam ab aliquo fuerit.

28. *Umbris.* Convivis non invitatis, sed invitatos sequentibus.

29. *Sed nimis*, *etc.* Noli plures tecum adducere, quia olidæ capræ, id est, odor gravis axillarum, qui ex calore nascitur, quum plures in eodem loco sunt stipati, premit convivia, id est, sentitur maxime in conviviis, in quibus arctius accumbitur.

30. *Rebus.* Negotiis.

31. *Atria.* Domus vestibulum, aulam in limine. — *Servantem.* Qui te ibi exspectat, tecum acturus de sua lite. — *Postico.* Per cæcas et remotas in extrema domo fores egredere, et illum effuge. — *Clientem.* Vel Moschum, vel alium quemlibet, cujus causam patronus defendis.

EPISTOLA VI.

Ad Numicium.

Eum esse beatum dicit, qui nihil optet, nihil metuat : felicitatem in sola virtute collocatam esse.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere et servare beatum.
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. Quid censes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,

1. *Nil admirari.* Nullius rei prava cupiditate percelli. — *Numici.* Amicus erat Horatii. Numicia gens Romæ nobilis et patricia fuit.

3. *Hunc solem*, *etc.* Sensus est : sunt qui spectent res cœlestes, solem, stellas et quatuor anni tempestates certis mensibus ac momentis decedentes, nulla religiosa formidine affecti, perculsi.

5. *Quid censes, etc.* Quomodo spectanda credis munera terræ quæ sunt rebus cœlestibus multo inferiora ?

6. *Quid maris.* Subaudi munera.

7. *Ludicra.* Ludos in circo et theatro edi solitos. — *Amici dona Quiritis.* Honores a populo romano delatos. Cives romani dicti sunt *Quirites*, vel a Romulo rege, qui dictus est Quirinus ; vel a Curibus, oppido Sabinorum, postquam fœdus ictum est inter Tatium, eorum regem, et Romulum.

9. *His adversa.* Contraria his, quæ dixi, nempe honoribus, plausibus. Qui dedecus, repulsam timet. — *Miratur.* Perturbatur. Qui timet, afficitur eodem modo ac ille qui cupit : pavet uterque, is qui timet, ne eveniant quæ timet : is qui cupit, ne non eveniant quæ cupit.

Quo cupiens, pacto : pavor est utrique molestus,
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat an doleat, cupiat metuatve, quid ad rem,
Si, quidquid vidit melius, pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum, et marmor vetus, æraque et artes
Suspice; cum gemmis tyrios mirare colores;
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem ;
Gnavus mane forum, et vespertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mucius; indignum, quod sit pejoribus ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.
Quidquid sub terra est, in apricum proferet ætas ;
Defodiet, condetque nitentia : quum bene notum
Porticus Agrippæ, et via te conspexerit Appi ;
Ire tamen restat Numa quo devenit et Ancus.
Si latus, aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis, omissis,
Hoc age, deliciis. Virtutem verba putas, ut
Lucum ligna? Cave ne portus occupet alter,

13. *Si, quidquid, etc.* Si torpet, si hæret attonitus, si commovetur, quidquid melius aut pejus viderit sua exspectatione.

15. *Insani, etc.* Id est, insanus dici homo sapientissimus, et iniquus haberi homo æquissimus possit, nisi moderate et intra certos limites virtutem colat.

17. *I nunc.* Quod si virtus ipsa nisi moderate et animo a perturbatione vacuo appetenda non est, quid censendum de illis qui argentum, statuas e veteri marmore aut ære factas mirantur, optant, etc. — *Argentum.* Scilicet factum, id est vasa argentea. — *Æra.* Statuas et vasa. — *Artes.* Præstantium artificum opera.

18. *Suspice.* Mirare. — *Tyrios colores.* Purpuram.

19. *Loquentem.* Publice dicentem in concione.

20. *Gnavus.* Acer, sedulus. — *Mane forum.* Mane in forum venias, vel ad causas dicendas, vel ad commercium exercendum, vel ad postulandos honores. —*Pete tectum.* Domum te tuam recipe.

21. *Dotalibus.* Quas in dotem accepit, quum uxorem duceret.

22. *Indignum.* Quod indignum sane esset. — *Pejoribus.* Ignobilioribus.

23. *Mirabilis.* Invidendus.

24. *Quidquid, etc.* Quæ latent, in lucem proferentur; quæ eminent, erunt obscura.

26. *Agrippæ.* Agrippa in primis Augusto gratiosus, Jovi et diis omnibus insigne templum posuit, quod Pantheon appellavit : ante illud ingentem porticum et arenam exstruxit, ubi cives honestissimi spatiabantur. — *Via Appi.* Appia via, Roma Brundusium usque, ab Appio Cæco, censore, magnifice strata fuit.

27. *Quo, etc.* Ad tumulum, ad inferos. — *Numa, Ancus.* Reges romani.

28. *Si latus, etc.* Quum ægrotas, quæris morbo remedium : laboras malis cupiditatibus; miser es : quære virtutem, quæ una te beatum faciet.

29. *Quis non?* Subaudi hoc vult.

31. *Hoc age.* Stude virtuti : in hoc totus esto : operi manum admove. — *Verba putas.* An vero putas virtutem esse in verbis positam?

32. *Lucum ligna.* Virtus non sunt verba, sicut lucum, id est, silvam diis consecratam solæ arbores non faciunt, sed addita religio loco, etc. — *Occupet.* Prior ad portum appellat.

Ne cibyratica, ne bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur, totidem altera; porro
Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus, et formam regina pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum rex :
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum scenæ præbere rogatus, [bebo,
« Qui possum tot? ait; tamen et quæram, et, quot ha-
Mittam : » post paulo scribit sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo,
Si res sola potest facere, et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia præstat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere : hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet hic fasces dabit, eripietque curule

33. *Cibyratica*. Cibyra est urbs Phrygiæ, viginti et amplius civitatum conventu, nundinisque celebris. Bithynia, *la Bithynie*, est pars Asiæ minoris.

34. *Mille talenta*. Talentum circiter 5400 fr. — *Rotundentur*. Colligantur, ut summa rotundi numeri efficiatur. — *Altera*. Scilicet mille talenta.

35. *Et quæ pars, etc*. Et quæ efficit, ut quatuor millia talentorum fiant.

37. *Regina*. Pecunia in rebus humanis regnum obtinens.

38. *Suadela*. Eloquentiæ præses dea, Græcis Πειθώ. — *Venus*. Pulchritudo.

39. *Mancipiis, etc*. Non una re tantum esto dives, ut mancipiis abundat rex Cappadocum indigens pecuniæ. Sed omnibus rebus fac ut locuples sis, ære, mancipiis, etc. *Cappadocia*, minoris Asiæ regio, unde multa mancipia Romam deportari solita. — *Lucullus*. Romanus imperator, divitiis notissimus. Vixit ævo Ciceronis, a quo laudatur pluribus in orationibus.

40. *Chlamydes*. Chlamys, vestis ornatior, qua vulgo imperatores seu duces in bello utebantur.

Scenæ. Commodare ad exhibendam aliquam in scena comœdiam.

42. *Qui, etc*. Quomodo possum tot chlamydes præbere? tot habere me non puto

44. *Tolleret*. Acciperet is, qui comœdiam edebat.

46. *Fallunt*. Latent, ignorantur.

47. *Res*. Pecunia.

48. *Hoc postremus, etc*. In hoc labore colligendarum opum primus esto.

49. *Species*. Forma, dignitates.

50. *Nomina*. Solebant Romani ad captanda populi gratiam et suffragia, obvium quemque suo nomine comiter appellare; in eam rem mercabantur servos, qui omnium fere tenerent nomina, et ea, quum opus esset, suggererent dominis : illi servi *Nomenclatores* dicebantur.

51. *Fodiat latus*. Admoneat tacta leviter latere sinistro, quod tegebat nomenclator. — *Trans pondera*. Trans rhedas, supra plaustra oneribus et saxis onusta.

52. *Porrigere*. Ut solent, qui salutant, blandiuntur. — *Hic, etc*. Verba sunt nomenclatoris dominum admonentis, ut aliquem salutet; quia multum auctoritatis habet in tribu Fabia, aut Velina. — *Fabia*. Populus romanus in tribus divisus fuit. Earum tribuum una dicta est Fabia a Fabiis, nobili familia; alia Velina, a lacu Velino, seu Velia, urbe Italiæ.

53. *Fasces*. Consulatum aut præturam. — *Ebur curule*. Magistratus majores.

Cui volet, importunus ebur : frater, pater, adde :
Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta.
Si, bene qui cœnat, bene vivit, lucet : eamus,
Quo ducit gula : piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque jubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret
Emptum mulus aprum; crudi, tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti : cærite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.
Vive, vale : si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

54. *Importunus*. Homo acer, actuosus, pertinax.
55. *Facetus*. Comiter, lepide. — *Adopta*. Vocando filium, fratrem, qui alienus forte ignotusque sit.
56. *Lucet*. Dies est : eamus summo mane.
58. *Gargilius*. Ostentator nescio quis et nepos.— *Plagas*. Sunt retia densiora. — *Venabula*. Tela venatoria, hastilia.
59. *Differtum*. Plenum hominibus.
60. *Unus multis*. Quia multos mulos secum egerat ille Gorgilius. — *Emptum*. Non venando captum.
61. *Crudi*. Nondum digesto cibo. — *Lavemur*. In balneis.
62. *Deceat*. Honestum sit. — *Cærite cera digni*. Digni qui notemur ignominia, ut illi qui Cæritum in tabulas referuntur. Cærites, Etruriæ populi, quum a Romanis defecissent, ea mulctati fuerunt pœna, ut suffragii ferendi jure privarentur.
63. *Remigium*. Sumus remigium, *id est*, similes sumus remigibus Ulyssis, *et* sociis qui fœdam et vetitam voluptatem prætulerunt patriæ; et apud Circen manere, ejus blanditiis capti et præstigiis, quam domum repetere maluerunt.
65. *Mimnermus*. Poeta græcus, sexcentis admodum annis ante Horatium scripserat, secta et moribus epicureus.
67. *Istis*. Quæ dixi de summo bono.
68. *Imperti*. Participem me fac, communica. — *Si non*. Si nihil habes melius. — *His*. Sapientiæ præceptis.

EPISTOLA VII.

Ad Mæcenatem.

Excusat se Mæcenati quod ab urbe tamdiu absit; et quum ejus in se beneficia liberalitatemque commendat, tum libertatem beneficiis omnibusque rebus declarat esse præferendam.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis, recteque videre valentem,

1. *Rure*. In mea villa.
2. *Sextilem*. Absum per totum mensem augustum. dictus est sextilis, quia sextus erat a mense martio, a quo annum Romani ducebant : postea in Augusti honorem, augustus est appellatus.

Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam : dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris :
Dum pueris omnis pater, et matercula pallet,
Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat.
Quod si bruma nives albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget : te, dulcis amice, reviset
Cum zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non, quo more piris vesci calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem : « Vescere, sodes. —
Jam satis est. — At tu quantum vis tolle. — Benigne. —
Non invisa feres pueris munuscula parvis. —
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus. —
Ut libet : hæc porcis hodie comedenda relinquis. »
Prodigus, et stultus donat quæ spernit et odit.
Hæc seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

4. *Quam, etc.* Verum dabis mihi hanc veniam et facultatem rusticandi nunc, quum ægrotare timeo, quam concedis, quum æger sum.

5. *Prima ficus.* Æstatis calor ingravescens, quo ficus primum maturescunt.

6. *Designatorem, etc.* Dum caloris et cœli gravitas multòs e medio tollit, quorum funera per designatores, et eorum ministros curantur. Est autem designator, is qui funebrem pompam designat, id est, ordinat, componit. — *Lictoribus.* Administri erant, qui designatori præsto adessent, et quos facete vocat lictores designatoris, tanquam alicujus publici magistratus.

7. *Pallet.* Metuit, de illorum valetudine anxius.

8. *Sedulitas.* Diligentia in præstandis amicitiæ officiis.

9. *Resignat.* Aperit : quod fit morte obita.

10. *Quod si, etc.* Imo, ubi hiems advenerit, nondum tamen redibo Romam, sed in aliquam civitatem maritimam, ubi erit aer temperatior et benignior, me recipiam, ego vates tibi deditus : hic diligentem valetudinis curam habebo, et domi clausus, tempus legendo fallam, libris vacabo.

13. *Cum zephyris.* Vere primo. — *Hirundine.* Secedunt per hiemem hirundines in calidiora loca : unde redeunt æstate appetente.

14. *Non, quo, etc.* Tu me beasti donis, non levioribus, non piris, quæ, nihil fere pretii habentia, obtrudit rusticus se adeuntibus. — *Calaber hospes.* Pro quovis rustico.

15. *Vescere.* Ait Calaber. — *Sodes.* Si placet, quæso.

16. *Benigne.* Utuntur hac voce, qui urbane aliquid recusant.

17. *Non invisa feres, etc.* Si tibi istis non opus, instat Calaber, at ea pueris tuis dabis.

18. *Porcis comedenda relinquis.* Hæc pyra porcis objicientur.

21. *Hæc seges, etc.* Ejusmodi dona a stultis et prodigis sparsa nunquam gratos animi sensus protulerunt, nec unquam proferent.

22. *Vir bonus.* Viri probi ac sapientes aliter se gerunt : aiunt illi se liberales fore tantum in eos qui sua sint liberalitate digni, nec temere omnia profundunt in quoslibet, magnum inter munera discrimen ponunt, norunt quid minuta et vilia distent a magnis, ut a lupinis æra : talis es, o Mæcenas, talem te erga me præstiti, etc. — *Esse paratus.* Græca locutio pro, se paratum esse.

23. *Æra lupinis.* Lupinus, est genus leguminis, quo actores comici uteban-

Dignum præstabo me etiam pro laude merentis.
Quod si me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum.
    Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra :
Cui mustela procul : « Si vis, ait, effugere isthinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. »
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno;
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudasti : rexque, paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens :
Inspice, si possum donata reponere lætus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulyssei :
« Non est aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus spatiis, nec multæ prodigus herbæ :
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam. »
Parvum parva decent. Mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
    Strenuus et fortis, causisque Philippus agendis

tur in scena pro vera pecunia, et ære, seu auro.

24. *Pro laude, etc.* Est tmesis seu divisio vocis unius in duas : *laude promerentis*. Faciam ut a te lauder tanquam tua beneficia promerens.

25. *Discedere*. Scilicet a te.

26. *Angusta*. Quod capilli adeo spissi erant, ut frons angusta videretur.

27. *Reddes*. Reddere mihi deberes annos juveniles. — *Ridere, etc.* Risus et jocos decentes : ætati convenientes.

28. *Nitedula*. Mus agrestis.

29. *Cumeram*. Vas vimineum. — *Pasta*. Frumento saturata.

30. *Foras*. E vase exire. — *Frustra*. Quia os cumeræ angustum erat, ipsa satura et distenta.

31. *Mustela*. Animal muri simile ; *une belette*.

32. *Macra*. Macilenta, jejuna. — *Cavum*. Locum angustum, cavernulam tuam, unde in cumeram prorepsisti.

33. *Hac ego, etc.* Si ego, hoc exemplo admoneor, si in tuam, Mæcenas, amicitiam adrepserim, ut muneribus a te accipiendis fruerer, cuncta *resigno*, reddo.

34. *Nec somnum, etc.* Non pauperum frugales cibos et sequacem somnum laudo, postquam exquisitis dapibus saturatus sum, aliter dicturus, si ipse sobrius fieri cogerer. — *Altilium*. Altilia sunt ea quæ domi saginantur, et diligentius aluntur, pisces, aves, feræ.

36. *Verecundum*. Modestum in petendo, paucis contentum.

37. *Audisti*. A me appellatus es, rex propter liberalitatem et munificentiam ; pater, propter benevolentiam. — *Coram*. Præsens. — *Nec verbo, etc.* Non parcius de te verba feci absens, non alium te absentem appellavi, quam præsentem.

39. *Telemachus*. Filius fuit Ulyssis : adierat Menelaum resciturus quid de patre suo factum esset, qui domum, longo post expugnatam Trojam tempore, non redibat : ei Menelaus præter cetera munera, equos dono dabat : recusavit Telemachus quum diceret, Ithacam equis alendis non esse idoneam. Sic Horatius beneficiis, et liberalitate Mæcenatis carere potest, pro sua tenuitate; at libertate carere non vult nec potest.

42. *Atride*. Menelae, fili Atrei.

44. *Vacuum*. Tranquillum ; minime, ut Roma, populosum ac tumultuosum. —*Imbelle*. Otiosum, molle. — *Tarentum*. Urbs Italiæ, otio et deliciis affluens, in sinu cognomini, e regione Brundisii.

45. *Philippus*. Orator nobilis, Crasso

Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur; conspexit, ut aiunt,
Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
« Demetri (puer hic non læve jussa Philippi
Accipiebat), abi, quære, et refer, unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo sit patre, quove patrono. »
It, redit, et narrat Vulteium nomine Menam,
Præconem, tenui censu, sine crimine notum,
Et properare loco, et cessare, et quærere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et Lare certo,
Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
« Scitari libet ex ipso quodcumque refers : dic
Ad cœnam veniat. » Non sane credere Mena :
Mirari secum tacitus : quid multa? « Benigne, »
Respondet. « Neget ille mihi? — Negat improbus, et te
Negligit, aut horret. » Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset, denique quod non
Providisset eum. « Sic ignovisse putato
Me tibi, si cœnas hodie mecum. — Ut libet. — Ergo

et Antonio eloquentia proximus, consularis et censorius.

46. *Ab officiis*. Forensibus nimirum. — *Octavam*. Secundam post meridiem. Diem enim in duodecim horas semper dividebant, et sexta in meridiem incidebat.

47. *Carinas*. Carinæ, vicus Romæ quidam erat, *les Carènes*, sic dictus a navium carinis, id est, fundo et infima parte, quia singulæ domus ad carinarum similitudinem erant ædificatæ.

49. *Adrasum*. Leviter tonsum. — *Umbra*. Pergula, officina. *Vacuam* vocat, vel quia solus ibi Menas erat, vel quia solent huc homines vacui et otiosi convenire.

51. *Puer*. Servus. — *Non læve*. Non inepte, sedulo.

52. *Unde domo*. Quanam e domo et familia sit.

53. *Cujus fortunæ*. Pauper, an dives. — *Patrono*. Patroni dicebantur viri nobiles quorum in clientelam et fidem se conferebant tenuiores cives.

55. *Censu*. Opibus, re familiari.

56. *Properare loco*. Movere se huc et illuc : ultro citroque commeare. — *Cessare*. Requiescere, feriari. — *Quærere, etc.* Rem, nummos, et illis uti.

57. *Gaudentem parvis sodalibus*. Versari solitum cum ejusdem, ac ipse erat, conditionis civibus et amicis. — *Lare*. Domo.

58. *Decisa*. Confecta. — *Campo*. Martio.

60. *Credere*. Subaudi poterat, nempe se ad cœnam vocatum.

61. *Benigne, etc.* Habeo gratiam, excusatum habe me, quæso, respondet ille. Hac voce, ut et ista, *Recte*, utebantur quum denegare quid honeste vellent, ac deprecari.

62. *Mihi*. Inquit Philippus. — *Negat improbus*. Verba Demetrii.

63. *Horret*. Reformidat, rustico pudore.

64. *Tunicato*. Infima plebs notatur : hæc fere tunicata incedebat. — *Scruta*. Viles merces, detrita ferramenta, et multa alia tempore et usu viliora facta.

65. *Occupat*. Antevertit, prævenit.

66. *Vincla*. Occupationes.

68. *Providisset*. Prior salutasset.

69. *Ut libet*. Respondet Mena : adero, siquidem tibi libet.

Post nonam venies : nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad cœnam est, dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens, et jam certus conviva, jubetur
Rura suburbana indictis comes ire latinis.
Impositus mannis, arvum, cœlumque sabinum
Non cessat laudare : videt, ridetque Philippus ;
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur : ne te longis ambagibus ultra,
Quam satis est, morer, ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, præparat ulmos,
Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad ædes.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus :
« Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. — Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen.
Quod te per Genium, dextramque, deosque Penates
Obsecro, et obtestor, vitæ me redde priori. »
Qui simul adspexit, quantum dimissa petitis
Præstent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

70. *Nonam*. Tertiam a meridie.

71. *Dicenda, etc.* Digna et indigna auditu, fanda et nefanda : *parlant à tort et à travers.*

72. *Dimittitur*. Domum suam, ut crapulam edormitet.—*Hic*. Id est Mena.

73. *Ad hamum*. Ad cœnam, qua, ut piscis hamo, ducebatur et inescabatur.

74. *Cliens*. Salutator, ut clientes solent. — *Certus*. Quotidianus, assiduus.

75. *Rura*. Villam Philippi. — *Indictis latinis*. Subaudi feriis. Erant feriæ latinæ, festa quædam toti Latio communia, quæ quotannis indicebantur a romano consule.

79. *Septem sestertia*. Septem millia sestertium (circiter 1400 fr. — *Mutua*. Se mutuo daturum septem millia, quæ olim sibi reddat Vulteius.

82. *Nitido*. Urbano, adraso, tonso, qualis antea erat.

83. *Vineta*. Loca vitibus consita. — *Crepat*. Loquitur, laudat.—*Mera*. Sola.

84. *Studiis*. Agriculturæ. — *Senescit*. Contabescit, cruciatur.

86. *Mentita*. Delusit, minus attulit, quam sperabat.

89. *Simul*. Postquam. — *Scabrum*. Impexum, horridum.

90. *Attentus*. — Ad rem; avarus, lucri cupidus.

91. *Pol*. Per Pollucem.

93. *Quod te*. Quapropter te ; ob quod te, etc. — *Genium*. Erat genius deus quidam singulorum hominum custos, etc.

95. *Qui*. Philippus ubi vidit, etc. — *Dimissa*. — Urbana vita, mercenaria negotia. — *Petitis*. Vita rustica.

96. *Præstent*. Quanta potior esset conditio præconis, quam laboriosa agricolæ vita, volo, inquit, repetat primum vitæ genus, cui est aptior.

97. *Suo modulo ac pede*. Sua formula et mensura : *Il faut que chacun se mesure à son aune et se chausse à son pied.* — *Verum*. Æquum est, decet.

EPISTOLA VIII.

Ad Celsum Albinovanum.

Se minus mente quam corpore valere : quædam ejus vitia oblique vellicat.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti scribæque Neronis.
Si quæret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec suaviter : haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus;
Nec quia longinquis armentum ægrotet in arvis :
Sed quia mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet ægrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno :
Quæ nocuere, sequar; fugiam, quæ profore credam;
Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post hæc, ut valeat, quo pacto rem gerat, et se,
Ut placeat juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, « Recte; » primum gaudere, subinde
Præceptum auriculis hoc instillare memento :
« Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus. »

1. *Celso, etc.* Ordo est. O Musa a me rogata ut Celsum convenias, refer illi et jube illum gaudere ac bene rem gerere.

2. *Comiti.* Comites appellabantur, quia magistratus aut viros principes honoris causa vel necessitatis ergo, sectabantur in provincias, e quibus eorum aula quædam et familia constabat.

3. *Minantem.* Promittentem, agere meditantem.

5. *Contuderit.* Verberaverit, comminuerit.

6. *Longinquis in arvis.* Romanorum enim beatiores armenta in remotis regionibus, præcipue in Lucania et Calabria, ubi erant bona pascua, alere solebant.

9. *Offendar.* Succenseam.

10. *Cur, etc.* Quod a me arcere curent veternum : est languor quidam dormiendi necessitatem afferens.

11. *Profore.* Profutura esse.

12. *Tibur.* Oppidum Sabinorum in Italia. — *Ventosus.* Inconstans, levis.

13. *Rem.* Domesticam et familiarem; suum munus.

14. *Juveni.* Tiberio Neroni. — *Cohorti.* Præcipuis amicis et familiaribus.

15. *Recte.* Scilicet, valeo. — *Gaudere.* Subaudi memento.

16. *Instillare.* Celso in aurem dicere.

17. *Ut tu, etc.* Ut tu eris moderatus in ferenda fortuna, sic ero constans in amicitia tua fovenda, te neglecturus, si me propter superbiam et opes negligas.

EPISTOLA IX.

Ad Claudium Neronem.

Ei Septimium commendat.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias : nam quum rogat, et prece cogit
Scilicet, ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente, domoque legentis honesta Neronis,
Munere quum fungi propioris censet amici;
Quid possim videt, ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem :
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quod si
Depositum laudas, ob amici jussa, pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

1. *Claudi, etc.* O Claudi Tiberi Nero, lepide mecum agit Septimius, et solus eximie videtur intelligere quanto sim apud te in loco et pretio, etc.

2. *Prece cogit.* Precibus me expugnat.

3. *Scilicet ut.* Eo nomine ut. — *Se.* Septimium. — *Laudare et tradere.* Commendare.

4. *Dignum, etc.* Se dignum judicans amicitia tua, o Nero. — *Mente.* Mens est sentiendi judicandique ratio. — *Digna legentis.* Viros honestissimos deligentis.

5. *Fungi.* Scilicet me apud te.

6. *Valdius.* Ab adverbio valde, id est, magis, certius.

7. *Excusatus.* Cur me haberet excusatum, ut scribere me non cogeret, ne tibi molestus essem.

8. *Mea ne, etc.* Ne crederer fingere, ac persuadere illi velle, meam apud te gratiam minorem esse, quam sit.

9. *Opis propriæ.* Gratiæ, auctoritatis, qua quis multum efficere potest. — *Commodus.* Serviens meis rebus et commodis, amicos negligens.

10. *Culpæ.* Dissimulationis et propriæ utilitatis consectandæ.

11. *Frontis, etc.* Factus sum inverecundior et audacior. Quia urbani homines oris esse perfrictioris solent quam rustici.

12. *Depositum pudorem.* Si meam in scribendo inverecundiam non improbas.

13. *Scribe tui gregis hunc.* Unum cohortis tuæ jube esse Septimium. — *Crede fortem bonumque.* Omnibus, quæ probum virum ac strenuum decent, dotibus præditum.

EPISTOLA X.

Ad Fuscum Aristium.

Urbanæ vitæ et ambitiosæ incommoda, commoda tenuis ac rusticanæ describit.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores : hac in re scilicet una
Multum dissimiles, ad cetera pæne gemelli :
Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter;
Annuimus pariter, vetuli notique columbi.
Tu nidum servas : ego laudo ruris amœni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quæris? vivo et regno, simul ista reliqui
Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo :
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ si convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?

1. *Fuscum.* De illo meminit satira 9. libri 1, vers. 61.
2. *Amatores.* Nos.
3. *Gemelli.* Prope tanquam gemelli fratres in ceteris rebus, id est simillimi.
4. *Et alter.* Subaudi negat.
5. *Annuimus.* Assentimur, probamus idem pariter, ut columbi vetuli.— *Noti.* Consuetudine invicem sibi facti noti. Subaudi veluti, sicuti.
6. *Nidum.* Romam, quam sic amas ut columbus nidum.
7. *Musco.* Muscus, *de la mousse,* quæ viridis quædam lanugo est : adhærere solet saxis humentibus. — *Circumlita.* Obducta.
8. *Quid quæris?* Quid plura? Mene interrogas cur mihi rus placeat? — *Regno.* Scilicet in villa, ubi animi mei arbitrio omnia facio. — *Simul.* Statim atque. — *Ista.* Id est, urbanæ vitæ commoda, a vobis laudata.
9. *Rumore secundo.* Faustis acclamationibus, magno plausu.
10. *Utque, etc.* Utque servus in sacerdotis domo nutritus, qui liba et placentas, dulciaria crustula diis oblata, edere consuevit, iis saturatus, panem optat quum fugitivus est, sic ego urbem fastidiens rus amo.
12. *Vivere, etc.* Si vita illa beata est, quæ est naturæ humanæ conveniens, nonne rusticana vita est naturæ convenientior?
13. *Ponendæ.* Exstruendæ. — *Area.* Locus patens in quo domus struitur.
14. *Beato.* Reddente beatos, qui rure vivunt.
15. *Est ubi, etc.* Estne locus ubi sit hiems magis tepida et temperata?
16. *Canis.* Sidus est cœleste maximos calores afferens: *la canicule.* — *Momenta.* Horas æstivas, calidissima tempora.
17. *Accepit.* Quia sol Leonem ingreditur. — *Acutum.* Acrem. *Acutus* de calore nimio et de frigore dicitur.
18. *Divellat.* Abrumpat. Ubi curæ somnum minus interturbent?

Deterius libycis olet, aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros.
Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non, qui sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundæ,
Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita præcurrere amicos.
  Cervus equum, pugna melior, communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo,
Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui, pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.

19. *Deterius, etc.* An ruri herba deterioris est coloris vel odoris, quam gemmæ, et marmora africana? — *Lapillis.* Intellige pavimenta lapillis marmoreis distincta.

20. *In vicis.* In urbe.

21. *Trepidat.* Festinat, decurrit.

22. *Nempe, etc.* Documento est naturam rure delectari, quod vel in ipsa urbe rus amamus, et inter porticus fultas columnis factis e vario, id est, versicolore marmore, seruntur arbores, silva nutritur.

24. *Naturam, etc.* Etsi coneris exstinguere communes et genuinos illos, quos indidit nobis natura, sensus; tamen semper redibunt, et superabunt mala fastidia.—*Furca.* Proverbii genus, expressio proverbialis de rebus, quas vi a nobis repellimus.

26. *Non, qui, etc.* Ordo est: qui mercator nescit contendere callidus, id est, comparare prudenter vellera quæ inficiuntur et tinguntur Aquini (in urbe Italiæ) cum purpura sidonia, id est, cum iis velleribus quæ tinguntur Sidone (in urbe Phœniciæ), etc.

31. *Mutatæ.* In adversas; afflictæ et perditæ. — *Quatient.* Perturbabunt. — *Mirabere.* Cupies, magni æstimabis. — *Pones.* Relinques, depones.

33. *Reges.* Potentiores. — *Vita præcurrere.* Felicitate vitæ anteire, et vincere.

34. *Melior.* Superior. — *Herbis.* Prato, ubi communiter ante pascebantur. Vide hunc apologum apud Phædrum, IV, 4.

35. *Minor, etc.* Equus inferiorem se in diuturno certamine sentiens.

36. *Opes.* Auxilium. — *Frenum.* Quod ille homo insidens ejus tergo, ori indidit.

37. *Victor.* Equus. — *Violens.* Violentus et impotens; superbus ob reportatam victoriam. — *Hoste.* Cervo.

39. *Metallis.* Auro et argento.

40. *Dominum.* Avaritiam, tanquam sessorem molestum, ægre feret.

41. *Uti.* Contentus esse.

42. *Cui non, etc.* Cui opes suæ non congruent, id est, erunt vel ampliores justo, vel angustiores. — *Olim.* Aliquando, ut plurimum.

43. *Subvertet.* Pede inverso dejiciet hominem. — *Uret.* Cruciabit, oblædet.

Lætus sorte tua vives sapienter, Aristi;
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere, funem.
Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ,
Excepto quod non simul esses, cetera lætus.

46. *Cogere*. Colligere.

48. *Tortum*, *etc*. Hoc est, quæ debet potius trahi quam trahere, servire potius quam imperare. Ludi genus quoddam apud Romanos erat, in quo unus restim ductans præibat ceteris eumdem funem tenentibus et sequentibus.

49. *Dictabam*. Hæc dictabam servo meo vel scribæ, ut ad te mitterem. — *Putre*. Vetustate obsoletum. — *Vacunæ*. Dea quædam erat, apud Sabinos culta, maxime ab otiosis rusticis et operum vacuis.

50. *Excepto*, *etc*. Lætus plane, hoc uno excepto, quod mecum non eras. — *Cetera*. Quod ad cetera attinet.

EPISTOLA XI.

Ad Bullatium.

Eum in Asiam profectum monet ad vitam beatam parum interesse, quo quisque loco habitet.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Crœsi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora minorave fama?
Cunctane præ Campo, et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum? —
Scis Lebedus quam sit Gabiis desertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,

1. *Quid tibi*. Bullatius, Horatii amicus, in Asiam et Græciam peregre profectus erat: ad eum scribit Horatius, et interrogat quid de variis Græciæ urbibus et insulis sentiat: simulque monet Romam redeat, unde molestiæ alicujus vitandæ, et levandi tædii causa discessisset. — *Quid*. Cujusnam pretii, qualis. — *Chios*, *Lesbos*. Insulæ maris Ægæi. *Nota*, id est, nobilis, celebris.

2. *Samos*. Insula et urbs prope Chium, Junoni sacra (*Samo*): *concinna* dicitur propter elegantiam ædificiorum. — *Sardis*. Urbs Lydiæ primaria, in qua rex Crœsus degebat.

3. *Smyrna*. Urbs Ioniæ; item Colophon: in Asia minori ambæ.

5. *Venit in votum*. A te optatur, Romæ præfertur. — *Attalicis*. Ex iis quos Attalus, Pergami rex in Asia minori, obtinuit.

6. *Lebedum*. Est Lebedus Ioniæ civitas maritima, et infrequens: ibi forte Bullatius æger, ac longa peregrinatione defatigatus, substiterat.

7. *Gabiis*. Parvo oppido inter Romam et Præneste. — *Fidenis*. Oppido Sabinorum.

Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem. —
Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre, lutoque
Adspersus, volet in caupona vivere; nec qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene præstantia vitam :
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos, et Mitylene pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, sextili mense caminus.
Dum licet, et vultum servat fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.
Tu, quamcumque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum,
Ut, quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. Nam si ratio et prudentia curas,
Non locus, effusi late maris arbiter, aufert;
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia : navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

9. *Meorum*. Propinquorum, affinium.

11. *Capua*. Fuit urbs clarissima Italiæ, quæ cum ipsa Roma de orbis imperio certavit.

12. *Vivere*. Subaudi perpetuo.

13. *Collegit*. Contraxit.

14. *Ut fortunatam, etc*. Tanquam ea, in quibus summa felicitas posita sit.

15. *Nec, si te validus, etc*. Sensus est : nec, in alto jactatus, vendita nave, a reditu in patriam te abstrahi patieris.

17. *Rhodos*. Insula in mari Carpathio, e regione Ciliciæ, ad meridiem Asiæ minoris. — *Mitylene*. Urbs primaria Lesbi.

18. *Pænula*. Vestis crassior, qua viatores se muniebant contra frigus et pluviam. — *Solstitio*. Per æstatem. — *Campestre*. Vestis levior, qua juvenes in campo Martio se exercentes, utebantur.

19. *Tiberis*. Natatio in Tiberi, qui Romam præterfluit. — *Sextili*. Augusto.

21. *Romæ, etc*. A te Romæ habitante laudetur Samos, etc.

22. *Fortunaverit*. Fortunatam dederit.

23. *Dulcia*. Gaudia.

24. *Libenter*. Suaviter, jucunde.

26. *Non locus, etc*. Locus e quo libere prospici potest late patens mare. — *Maris arbiter*. In mare quasi dominans.

27. *Cœlum*. Cœli aliquam et soli regionem.

28. *Strenua, etc*. Agimus et laboramus plurimum ut nihil agamus. — *Navibus atque quadrigis*. Proverbium, id est, summa contentione : terra marique.

29. *Quod petis*. Beata vita. — *Hic est*. Ubi vivis, ubiubi sis.

30. *Ulubris*. In vico Campaniæ deserto. — *Æquus* Rationi obediens, perturbatione vacuus.

EPISTOLA XII.

Ad Iccium.

Tantum dives quisque, quantum rebus utitur.

Fructibus Agrippæ siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est ut copia major
Ab Jove donari possit tibi. Tolle querelas :
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si forte in medio positorum abstemius, herbis
Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret :
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,
Vel quia cuncta putas una virtute minora
Miramur, si Democriti pecus edit agellos,
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox;
Quum tu inter scabiem tantam, et contagia lucri,
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures :
Quæ mare compescant causæ; quid temperet annum;
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur et errent;
Quid premat obscurum lunæ, quid proferat orbem;

1. *Fructibus Agrippæ, etc.* Agrippa suorum latifundiorum in Sicilia administrationi Iccium præfecerat.

2. *Non est ut.* Nullo modo fieri potest, ut.

3. *Querelas.* De paupertate sua Iccius sæpe querebatur.

4. *Cui rerum, etc.* Qui habet ea quibus uti possit; cui necessaria præsto sunt.

7. *Si forte, etc.* Sin autem inter illas opes quæ tibi suppetunt, et quæ in medio positæ, id est, in manibus, in promptu sunt, vivis herbis et leguminibus; abstemius, etc. — *Abstemius.* Frugalis et sobrius; proprie, vino abstinens; a verbis *abstinere* et *temetum*, quæ vox antiqua vinum significat.

8. *Urtica.* Est urticarum quoddam genus edule.

9. *Fortunæ rivus inauret.* Fortuna te suis donis cumulet. Videtur alludere Horatius ad flumina quæ auri particulas volvebant, ut Pactolus.

10. *Vel quia.* Vel quia naturam hominum non potest mutare pecunia, vel quia, stoicus quum sis, frugalitatem diligis et vitam beatam non in lauto victu et deliciis, sed in una virtute sitam putas, cui cetera posthabenda censes : videtur hæc joco dicere.

12. *Miramur si, etc.* Philosophiæ studium multo magis in te, quam in Democrito admiror. — *Democriti.* Fuit ille philosophus insignis, qui, dum philosophiæ intentus erat, neglexit agros suos adeo ut vicinorum pecora ibi libere pascerentur.

13. *Culta.* Rura exculta, fertiles agros. — *Peregre est.* Quasi absens.

14. *Scabiem tantam.* Tam fœdam ditescendi cupiditatem.

16. *Mare compescant.* Intra terminos suos cohibeant. — *Temperet.* Regat, ordinet.

17. *Jussæ.* Alicujus motu ac jussu.

18. *Premat.* Abscondat, minuat. — *Proferat.* Promat, illustret, amplificet.

Quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen.
Verum, seu pisces, seu porrum et cæpe trucidas,
Utere Pompeio Grospho, et, si quid petet, ultro
Defer: nil Grosphus, nisi verum orabit et æquum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit romana loco res:
Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; jus imperiumque Phraates
Cæsaris accepit, genibus minor; aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu.

19. *Concordia discors.* Ea quæ in rerum natura inter se pugnant, ad mundum conservandum consentiunt et conspirant.

20. *Empedocles.* Philosophus agrigentinus in Sicilia, et poeta bonus: homo pertinacissimæ iracundiæ fuit, adeo ut vitam sine inimicis putaret sibi nullam esse, itemque arrogantissimæ superbiæ, qui ut deus haberetur, in Ætnam ardentem insiliit, ut, quum nusquam appareret, sublatus in sidera putaretur. Vide Artem Horatii poeticam, sub finem. — *Stertinium.* Philosophus stoicus fuit, celebris Horatii tempestate.

21. *Seu pisces, etc.* Seu laute vivis, seu parce, ac duriter. — *Trucidas.* Ridet clam Pythagoram, qui in fabis et porris latere animas hominum dictitabat.

22. *Utere.* Familiariter utere.

23. *Verum.* Bonum et honestum.

24. *Vilis, etc.* Facile ac parvo sumptu comparantur amici quum viris bonis deest aliquid.

26. *Cantaber.* Cantabri, populi Hispaniæ, ceciderunt, id est, domiti sunt virtute ac fortitudine Agrippæ.

27. *Phraates.* Rex Parthorum, qui Augusti amicitiam ultro expetiit, eique signa Crasso erepta reddidit.

28. *Genibus minor.* Provolutus in genua, id est, supplex et humilis. — *Aurea.* Beata, felix.

29. *Copia.* Dea abundantiæ. — *Cornu.* Postquam Hercules fluvium Acheloum indutum tauri forma vicit, ei cornu detraxit, quod nymphis quum dedisset, scaturire floribus ac frugibus cœpit.

EPISTOLA XIII.

Ad Vinium Asellam.

Eum admonet, ut in offerendis suis Augusto carminibus rationem temporis ac decori habeat.

Ut proficiscentem docui te sæpe, diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si lætus erit, si denique poscet;

1. *Ut.* Quemadmodum, ad eam rationem quam docui.

2. *Signata.* Obsignata, involuta sigillo meo addito: *bien cachetés.* — *Vini.* Vinius iste oriundus erat, ut videtur, ex pago, ubi Horatius villam habebat.

3. *Validus.* Sanus prospera valetudine utens. — *Lætus.* Nulla graviore cura et sollicitudine districtus.

Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente, minister.
Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ,
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas, Asinæque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ :
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quæ possunt oculos auresque morari
Cæsaris. Oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

4. *Studio*. Benevolentiæ significatione intempestiva, immodica.

5. *Sedulus*. Nimiam diligentiam adhibens. — *Odium importes, etc.* Ne facias ut illi displiceant mei libri. — *Minister*. Dum operam in ea re mihi navas, mandata mea exsequeris.

6. *Uret*. Vexabit : si gravior tibi videtur.

7. *Abjicito, etc.* Relinque potius hanc sarcinam medio in itinere, quam illam rustice et inepte offeras.

8. *Clitellas, etc.* Sarcinam librorum, quasi clitellas instar feri, id est, asini, aut equi fatigati, excutias, eam terræ impingendo et quasi sub onere corruendo : ex eo enim arriperent homines causam tui ridendi, et quum pater tuus vocetur Vinius Asella, dicendi, nihil te alienum a tuo cognomine fecisse, clitellas asini more impingendo.

9. *Fabula*. Jocus, ludibrium.

10. *Lamas*. Lacunas, fossas in agris, et aquarum receptacula. Hic versus metaphorice accipiendus.

11. *Victor propositi*. Voti compos, itinere absoluto. — *Illuc*. Romani.

12. *Sic*. Ita gestabis ut ne sub ala portes. Vel ista particula *sic* ostendit gestum aliquem, quo significat Horatius Vinio quomodo gestari ab eo libros velit. En, inquit, vide me, sic pone onus.

14. *Vinosa*. Bibax. — *Glomos*. Sphærulas e lana in orbem involuta ; *des pelotons*. Alii legunt *glomus*, e genere neutro *glomus*, *eris*. — *Furtivæ*. Furto raptæ. — *Pyrrhia*. Nomen ancillæ in quadam comœdia tunc exhiberi popello solita, quod proinde iste Vinius non ignoraret.

15. *Tribulis*. Qui est ex eadem tribu.

17. *Morari*. Tenere, delectare.

18. *Oratus, etc.* Hæc oro te ut observes omnia, et implere porro nitaris.

19. *Mandata*. Subaudi carmina. — *Franges*. Disperdas.

EPISTOLA XIV.

Ad Villicum suum.

Eum carpit, quod urbanam vitam praeferat rusticæ, cujus desiderio quare ipse teneatur, ostendit.

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro, et melior sit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas et cura moratur,
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
Nunc urbem, et ludos, et balnea villicus optas.
Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter
Meque et te: nam, quæ deserta et inhospita tesqua
Credis, amœna vocat, mecum qui sentit, et odit

1. *Villice.* Villicus est qui villæ et servorum opus in ea facientium curam gerit. — *Mihi me reddentis.* Ubi liber, ad me redire et mihi soli vivere soleo.

2. *Habitatum quinque focis.* Habentem quinque domos ubi habitant quinque familiæ.

3. *Variam.* Vicinum in Sabinis oppidulum. — *Dimittere.* Ad quoddam Sabinorum commune concilium, negotiorum causa.

4. *Spinas animo evellere.* Metaphorice dicitur de curis quæ animum pungunt, vel de vitiis quæ animum corrumpunt.

5. *Res.* Ager, villa.

6. *Lamiæ.* Ælius Lamia, civis nobilissimus. — *Pietas.* Fraternus amor. — *Cura.* Luctus. — *Moratur.* Detinet Romæ.

7. *Rapto de fratre.* Ob mortem fratris sui.

8. *Istuc.* In villam meam.

9. *Fert.* Me animus rapit rus, feror huc totus desiderio et cogitatione. — *Claustra.* Gestio rumpere omnia quæ me Romæ tenent, ne rus evolem.

11. *Cui placet, etc.* Nempe sua sors est illi odiosa, cui placet sors alterius: uterque culpat et accusat locum in quo est, qui tamen est immeritus, id est, minime culpari meretur.

14. *Mediastinus.* Quum esses in urbe servus infimæ notæ, tanquam in medio atrio positus.

16. *Constare mihi.* In eadem semper esse sententia.

18. *Non eadem miramur.* Non eodem sensu de iisdem rebus afficimur. — *Eo.* Idcirco, ob id. — *Disconvenit.* Alia sententia est de rure.

19. *Tesqua.* Loca aspera, inculta, hospitibus vacua.

20. *Qui.* Quicumque.

Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi, et uncta popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod
Angulus iste feret piper et tus ocius uva;
Nec vicina subest vinum præbere taberna
Quæ possit tibi; nec vilis tibicina, cujus
Ad strepitum salias terræ gravis : et tamen urges
Jam pridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togæ, nitidique capilli;
Quem nosti bibulum media de luce falerni,
Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in herba:
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat: non odio obscuro, morsuque venenat.
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis;
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus, et horti
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

21. *Uncta.* Pinguis, omnibus obsoniis plena.

22. *Et quod, etc.* Accedit illa, cur suspires urbem, causa, quod ager meus, ut ais, est sterilis, qui citius piper, tus et aliud quidvis ferat, quam vinum. Tu vero uvas præ ceteris fructibus amas.

24. *Subest.* Prope est, vicina est.

26. *Salias.* Saltes incompositis motibus. — *Urges.* Colis, exerces.

28. *Disjunctum.* Scilicet ab aratro, a jugo. — *Strictis.* Decerptis manu.

30. *Multa mole.* Intellige aggerem, obices, stipites, etc. — *Parcere.* Non nocere. — *Aprico.* Patenti, soli exposito.

31. *Quid, etc.* Cur non concinnamus, conveniamus, idem sentiamus?

32. *Quem, etc.* Ego quem olim juvabat, etc. — *Tenues.* E tenui et subtili panno confectæ. — *Nitidi.* Scilicet unguentis.

35. *Lusisse.* Genio indulsisse olim. — *Incidere.* Finire, abrumpere. — *Ludum.* Nugas, et ludicra ætatis juvenilis studia.

36. *Istic.* Ruri, in villa mea.

37. *Limat.* Oculis obliquis adspicit, ut solent invidi. — *Venenat.* Quasi veneno inficit, maledico dente carpens.

38. *Rident.* Irrident, cavillantur. — *Glebas et saxa moventem.* Me vel colentem arva, vel saxis ea purgantem.

39. *Cum servis, etc.* Tu cum servis urbanis scilicet, mavis ea cibaria consumere, quæ ipsis dantur in singulos dies. — *Diaria.* Victus unius diei. — *Diaria rodere.* Id est, tenuiter vivere.

40. *Voto ruis.* Desiderio raperis.

41. *Lignorum.* Quorum copia in agris largior est. — *Calo.* Servus. — *Argutus.* Vafer, callidus.

42. *Optat, etc.* Sic bos, ut fert fabula, optat equi sortem, equus bovis: ego censeo ut se sua quisque in arte et sorte contineat. — *Ephippia.* Ephippium, est vel ornamentum equi, tapes v. g. quo insternitur, vel sella ejus dorso ad sedendum commodius imposita.

EPISTOLA XV.

Ad C. Numonium Valam.

Veliam et Salernum valetudinis causa profecturus, quærit ab amico suo Vala, cui hæc regio notissima erat, quæ copia et facultas ibi sit ad laute vivendum.

Quæ sit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via : nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius; et tamen illis
Me facit invisum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus. Sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus locus est, et diversoria nota
Præteragendus equus. « Quo tendis? non mihi Cumas
Est iter, aut Baias, » læva stomachosus habena
Dicet eques : sed equi frenato est auris in ore.
Major utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes

1. *Quæ sit hiems, etc.* Sensus inchoandus est a versu 24. Par est te nobis scribere, me tibi credere, quæ sit hiems Veliæ, etc. — *Veliæ.* Velia et Salernum sunt Italiæ extremæ sive Lucaniæ oppida maritima.

2. *Quorum, etc.* Quibus utentium moribus. — *Nam mihi, etc.* Subaudi dicit esse.

3. *Musa.* Antonius Musa, medicus præstantissimus, Augustum gravi ac periculoso morbo liberaverat. — *Supervacuas.* Meæ valetudini non prodesse. — *Illis.* Baianis aquis.

4. *Invisum.* Oderunt me Baiæ, incolæ Baiarum, quod aquas frigidas potiores calidis suis putem.

5. *Per medium frigus.* Hieme. — *Myrteta.* Loca myrtis in littore baiano consita. — *Relinqui.* Multum auctoritatis et gratiæ Baiis, antea celeberrimis ob calidas aquas, Antonius Musa detraxerat.

6. *Dicta.* Quæ dicuntur. — *Cessantem.* Inhærentem. — *Elidere.* Depellere.

7. *Sulphura.* Aquas sulphuratas. — *Vicus.* Baianus. — *Invidus.* Offensus, invidens.

8. *Supponere.* Eluebant ægras corporis partes aquis salubribus, ut hodie fit, quod Galli vocant, *prendre une douche.* — *Audent.* Videtur enim periculosum ablui frigida per hiemem.

9. *Clusinis.* Quorum sunt aquæ frigidæ : Clusium Etruriæ oppidum. — *Gabios.* Urbs parva apud Volscos.

10. *Mutandus locus est.* Ut medici consilio assentiar, alium locum quam Baianum me petere oportet. — *Nota.* Vel mihi, vel equo, quum olim Baias peterent.

11. *Præteragendus.* Ultra Baias agendus, præter notas tabernas ducendus. — *Quo tendis? etc.* Verba equitis Horatii præteragentis equum et alloquentis.

12. *Læva.* Habenas detorquens ad sinistram. — *Stomachosus.* Equo cunctanti et reluctanti succensens.

13. *Auris in ore.* Equus frenum audit, et sentit quo sit eundum.

14. *Major, etc.* Ubi sit major frumenti copia. Veliæ an Salerni.

15. *Collectos.* In cisternis et lacunis.

Jugis aquæ (nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo possum quidvis perferre patique :
Ad mare quum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret).
Tractus uter plures lepores, uter educet apros,
Utra magis pisces, et echinos æquora celent,
Pinguis ut inde domum possim, Phæaxque reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere par est.
  Mænius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis, urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret;
Impransus non qui civem dignosceret hoste,
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus;
Pernicies, et tempestas, barathrumque macelli,
Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro.
Hic, ubi nequitiæ fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas cœnabat omasi,
Vilis et agninæ, tribus ursis quod satis esset.
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, correctus Bestius. Idem,
Quidquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem : « Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona, quum sit obeso
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla. »

— *Perennes.* Jugiter manantes, fontaneos.

16. *Aquæ.* De aqua satagit Horatius, quia ob morbum oculorum, ea plus uti quam vino, contra morem suum, cogebatur. — *Moror.* Curo.

17. *Quidvis.* Quodlibet vinum; vel pessimo contentus sum.

19. *Cum spe, etc.* Vinum audaces facit, ac bona spe implet.

20. *Verba.* Disertum me faciat.

21. *Tractus.* Ager, regio.

22. *Echinos.* Pisciculi e cancrorum genere, *des hérissons de mer.*

23. *Ut.* Postquam. — *Phæax.* Similis Phæacibus, Corcyræ populis mollibus et voluptariis, id est, obesus et bene habitus.

25. *Rebus.* Opibus.

26. *Fortiter.* Impigre, strenue. — *Urbanus.* Facetus homo, risum movens ad captandas divitum in urbe mensas.

27. *Scurra.* Qui jocos illiberales jactat : *un bouffon, un plaisant.* —*Vagus.* Nulli certæ mensæ addictus.—*Præsepe.* Domum statam et certam, ubi cubaret.

28. *Impransus, etc.* Adeo furiosus, quum jejunus erat, ut in cives, perinde ac si hostes fuissent, sæviret verbis; neminem internosceret. — *Hoste.* Hostem veteres Latini exterum quemlibet ac peregrinum vocabant.

30. *Barathrum.* Instar voraginis absorbens opsonia.

31. *Quæsierat.* Lucri fecerat sua scurrilitate. — *Avaro.* Insatiabili.

32. *Hic.* Idem ille Mænius. — *Nequitiæ.* Scurrilitatis. — *Timidis.* Avaris.

33. *Omasi.* Pecudum intestinis, cibo vilissimo.

34. *Agninæ.* Subaudi carnis. — *Tribus, etc.* Id est, tantum ex illis cibis devorans quantum suffecisset tribus ursis alendis.

35. *Lamna candente.* Fuisse videtur hæc voracium servorum pœna, ut ventri ferro ardenti stigma ureretur.

36. *Correctus Bestius.* Alii legunt *corrector.* Sensus est : intemperantiæ objurgator ut Bestius. Severus autem morum censor fuerat Bestius.

38. *Verterat in fumum.* Ad nihilum redegerat, absumpserat.

39. *Obeso.* Pingui.

40. *Turdo.* Turdus avis nota, *une grive.* — *Vulva.* Suilla, scilicet, *une*

Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Quum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum, ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

panse de truie : ventre et mamillis porcæ, mensarum tunc deliciis.

41. *Hic ego, etc.* Talis sum : Mænio simillimus. — *Tuta et parvula.* Cœnas frugales, quæ non sunt obnoxiæ invidiæ, quæ fortunas non dilapidant.

43. *Unctius.* Lautius.

45. *Nitidis.* Fructuosis, proventus certos referentibus. — *Funda.* Tuto collocata : census in prædiis et agris fundatus, est certior et tutior.

EPISTOLA XVI.

Ad Quinctium.

Agri sui formam, situm, commoda Quinctio describit: monet eum subinde ut vir esse bonus quam dici, malit : quis vir sit bonus, fuse docet.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomisne et pratis, an amicta vitibus ulmo :
Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca
Valle; sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigne
Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvet umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec

1. *Quincti.* Quinctius ille, ut apparet, Hirpinus est, ad quem exstat od. 8 lib. 2.

2. *Arvo pascat.* Frumento in agris collecto alat.

3. *Amicta.* Adjunguntur ulmis vites, ut consistant : et iis vites quasi amiciuntur, id est, induuntur.

4. *Loquaciter.* Fuse.

5. *Continui.* Illum ambirent omni ex parte montes, nisi tamen essent disjuncti et separati valle umbrosa, cujus dextrum latus sol oriens collustrat.

7. *Vaporet.* Sub solis enim occasu aer secum trahere solet vapores, quibus silvæ et montes obducuntur.

8. *Laudes.* Laudare jure possis : cœlo utitur ita temperato, ut merito eam ob rem laudari debeat. — *Quid? si, etc.* Id est, quid dixeris, si addiderim, etc. — *Benigne.* Large.

9. *Corna.* Fructus exigui sunt cerasis paulo minores, *des cornouilles.* — *Ilex.* Est species quercus, *yeuse.*

10. *Fruge.* Glande. —*Juvet.* Foveat, delectet.

11. *Tarentum.* Porro est urbs in Calabria, Italiæ extrema parte, ad meridiem, non procul Brundusio.

12. *Idoneus dare.* Græce pro : qui det. —*Nomen rivo.* Tam largiter fluens, ut aqua sua rivum faciat, eumque nobilem et suo appellatum certo nomine : *Digentiam* alibi vocat. — *Ut nec, etc.* Adeo ut Hebrus, Thraciæ fluvius, non sit frigidior et purior.

Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ
Incolumem tibi me præstant septembribus horis.
  Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum :
Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi, credas :
Neve putes alium sapiente, bonoque beatum :
Neu, si te populus sanum, recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures
« Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit, et tibi, et urbi,
Jupiter; » Augusti laudes agnoscere possis.
Quum pateris sapiens, emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic, sodes, nomine? — Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu. —
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet : ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone; meum est, inquit. Pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum :
Mordear opprobriis falsis, mutemque colores?

13. *Thracam.* Thraciam : quæ pars est Europæ supra Macedoniam.

14. *Infirmo capiti.* Utilis ad leniendos capitis dolores.

16. *Septembribus.* Quum autumnus affert morbos.

17. *Quod audis.* Quod diceris esse; nempe si talis sis, qualem te fama testatur.

19. *Tibi.* Tuæ conscientiæ judicio ac testimonio.

20. *Alium sapiente.* Alium a sapiente, alium ac eum qui vir sapiens bonusque sit.

22. *Sub.* Paulo ante.

23. *Unctis.* Ob tractatos cibos; quia sæpe veteres ad comedendum digitis utebantur.

24. *Incurata.* Quibus nihil adhibent curationis et medicinæ; quia, vitioso pudore ducti, ea celant ac dissimulant.

25. *Tibi pugnata.* A te esse pugnata, fuisse gesta, dicat.

26. *Vacuas.* Apertas adulationi.

27. *Tene magis, etc.* Hæc Varius de Augusto scripserat. Hoc loco igitur Horatius et Augusti laudes et Varii simul versus celebrat.

28. *Servet in ambiguo.* Sinat esse in ambiguo.

29. *Possis.* Certe hæc verba non tibi convenire, sed Augusto, facile agnosces.

30. *Sapiens.* Te sapientem vocari : græca imitatio.

31. *Tuo nomine.* Quasi tibi hoc proprie dicatur, et non alteri.

33. *Qui dedit hoc, etc.* Qui tibi hoc præclarum sapientis et probi nomen hodie dedit, tam facile cras auferet, quam imperia et magistratus, etc.

34. *Fasces.* Consulatum, præturam, honores.

35. *Meum est.* Voces populi : depone, inquiet populus, viri probi nomen; nam tua fama est mei juris et arbitrii.

36. *Idem si, etc.* Si idem populus me furem, impudicum, parricidam esse criminetur.

38. *Mordear.* An cruciari debeo, etc. — *Colores.* Vultum : an expallescam? an erubescam? neutiquam sane : quia non sum mihi conscius istorum scelerum.

Falsus honor juvat, et mendax infamia terret, [quis?
Quem, nisi mendosum, et medicandum? vir bonus est
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat;
Quo multæ magnæque secantur judice lites;
Quo responsore, et quo causæ teste tenentur?
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus : — Habes pretium; loris non ureris, aio.—
Non hominem occidi: —Non pasces in cruce corvos.—
Sum bonus, et frugi :—Renuit, negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore :
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabæ modiis quum surripis unum,
Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat, et omne tribunal,
Quandocumque deos vel porco, vel bove placat :
« Jane pater, » clare, clare quum dixit, « Apollo, »
Labra movet, metuens audiri : « Pulchra Laverna,
Da mihi fallere : da justum, sanctumque videri :
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem. »
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum quum se dimittit ob assem,

40. *Mendosum*. Vitiosum. — *Medicandum*. Vitiis sanandum. Alii legunt *mendacem*, id est mendacii amatorem, vel falso de rebus judicantem.

41. *Qui*, *etc*. Falsam viri boni et ementitiam definitionem hic affert : veram, extrema epistola. — *Consulta patrum*. Senatusconsulta, curiæ decreta.

42. *Secantur*. Finiuntur, deciduntur

43. *Responsore*. Responsum de lite aliqua, de qua consultus est, dante. — *Tenentur*. Obtinentur, vincuntur.

45. *Introrsum*, *etc*. Domesticis vitiis et libidinibus infamem.—*Pelle decora*. Specie virtutis et honestatis.

46. *Nec furtum*, *etc*. Ostendit exemplo vitiosi servi, eos dicendos non esse probos, qui pœnæ metu, non amore virtutis, a vitio se abstinent.

47. *Ureris*. Verberaris.

49. *Negitatque*. Et sæpius negat. — *Sabellus*. Ego Horatius, cui domus apud Sabinos, in qua regione tam sæpe commorabatur, ut se prope Sabellum factum esse dicat.

50. *Cautus*, *etc*. Quamvis lupus a præda se abstineat metu foveæ, non tamen idcirco mereatur laudem, etc.

51. *Opertum*. Esca obductum. — *Milvius*. Ad piscium genus pertinet.

53. *Admittes*. Sceleris committes.

54. *Sit spes*, *etc*. Si speres fore ut fallas, id est, lateas, non detegaris. — *Miscebis sacra profanis*. Quidquid suadet libido, facies.

56. *Damnum*, *etc*. Mihi damnum est lenius ferendum, quia est levius, at facinus tuum nihilo levius est : nam omnia peccata sunt æqualia : ita stoici, quos hic Horatius sequitur.

57. *Vir bonus*, *etc*. Bonus opinione vulgi, non reipsa : qui nempe nihil sceleris non admittat, si speret clam fore.

59. *Clare*. Clara voce, ut ab omnibus audiatur.

60. *Labra movet*. Mussitat. — *Laverna*. Latronum præses dea.

61. *Fallere*. Latere.

63. *Qui melior*, *etc*. Non video qua ratione avarus dici possit melior servo, etc.

64. *In triviis*. Trivium, un *carre-*

Non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere quum possis captivum, occidere noli;
Serviet utiliter: sine pascat durus, aretque;
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonæ prosit; portet frumenta, penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: « Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? — Adimam bona. — Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum? tollas licet. — In manicis, et
Compedibus, sævo te sub custode, tenebo. —
Ipse deus, simul atque volam, me solvet. » Opinor,
Hoc sentit: Moriar. Mors ultima linea rerum est.

four. — *Fixum, etc.* Pueri, ut prætereuntes illudant, solent inter viæ silices interdum figere assem, quem avarus quum colligere tentat, ridetur.

65. *Nam qui, etc.* Qui pecuniæ cupiditate laborat, cruciabitur ejusdem amittendæ metu: porro qui vivit in metu, eum liberum non putabo.

67. *Perdidit arma, etc.* Id est, ille non est recensendus inter homines probos et virtute præditos, qui avarus est.

70. *Sine.* Patere. — *Durus.* Laboriosus.

72. *Penusque.* Est penus, id omne quo vescuntur homines.

73. *Vir bonus, etc.* Jam definit, quis vere dicendus sit vir bonus, nempe qui humana omnia, vitamque ipsam contemnit. — *Pentheu.* Fuit rex Thebarum; homo ferus, et in hospites crudelis, qui Bacchum captivum tenuit. Hunc locum imitatus est Horatius ex Euripidis tragœdia cui nomen *Bacchæ.*

76. *Licet.* Per me licet hæc auferas.

78. *Ipse deus, etc.* Quum mihi libuerit, deus me solvet tuis vinculis.

79. *Ultima linea rerum.* Rerum humanarum finis. Metaphora ducta a circo vel stadio, cum quo humana sæpe vita comparatur: in eo locus ubi cursus desinit, vocabatur linea, quia ducta linea designabatur.

EPISTOLA XVII.

Ad Scævam.

Eum monet, qua ratione potentiorum amicitiæ colendæ sint.

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti,
Disce, docendus adhuc, quæ censet amiculus: ut si
Cæcus iter monstrare velit. Tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.

1. *Per te, etc.* Sine alterius consilio vitam regere tuam prudenter potes.

2. *Majoribus uti.* Vivere cum viris te ditioribus, potentioribus.

3. *Amiculus.* Horatius. — *Ut si.* Quasi si.

5. *Proprium, etc.* In propriam tuam utilitatem vertere.

Si te grata quies, et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis, strepitusque rotarum,
Si lædit caupona, Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
« Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nolet Aristippus. — Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. » Utrius horum
Verba probes et facta, doce: vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia; namque
Mordacem cynicum sic eludebat, ut aiunt:
« Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc, et
Splendidius multo est; equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum,
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem. »
Omnis Aristippum decuit color, et status, et res,
Tentantem majora, fere præsentibus æquum.
Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitæ via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum;
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque.

6. *Primam*. Usque ad primam diei horam, id est, ortum solis.

8. *Caupona*. Clamores inconditi, rixæ, quibus cauponæ personant, ut in urbe fit. — *Ferentinum*. Oppidum infrequens Italiæ.

9. *Nam neque, etc*. Non enim soli divites vitam felicem et beatam degunt.

10. *Fefellit*. Latuit, obscurus et ignotus fuit.

11. *Prodesse tuis*. Tuorum commodis inservire. — *Benignius*. Lautius.

12. *Siccus*. Pauper, jejunus. — *Unctum*. Divitem, sumptuosum.

13. *Si pranderet, etc*. Hæc verba sunt Diogenis ad Aristippum, quibus illi exprobrabat, quod mensas regum, id est divitum, captaret.

14. *Si sciret, etc*. Hæc respondet Aristippus ad Diogenem.

16. *Doce*. Dic, quæso. — *Vel junior audi*. Aut si dubitas quæ sit eligenda, audi. — *Audi, cur, etc*. Patere ut te doceam cur, etc.

18. *Cynicum*. Philosophi quidam cynici vocati sunt a græca voce, κυνικός quæ *caninum* significat, quia insignis erat eorum impudentia et obtrectandi libido, qua omnes mordere, ut canes, videbantur. In iis præcipuus Diogenes fuit. — *Eludebat*. Refellebat, ridebat.

19. *Scurror*. Scurram ago: risus moveo, assentator sum. — *Mihi*. In meam rem et utilitatem, nempe ut mihi dives det equum, quo porter, dapes lautas, quibus alar, etc. — *Populo*. Ut populo placeas, ad inanem plausum captandum.

21. *Officium facio*. Fungor omni urbanitatis officio et munere: honeste peto ea quibus egeo.

22. *Dante minor*. Inferior eo qui dat; danti quodam modo subjectus.

23. *Color*. Vitæ ratio, conditio. — *Res*. Opes, census.

24. *Tentantem majora*. Nitebatur ille quidem ad commodissima quæque si posset.

26. *Contra, etc*. Contra vero ego mirabor si Diogenes decore, cum dignitate, et sapienter tulerit vitæ conditionem conversam, id est, dissimilem illi quam instituit, si, ut aiunt, abundare sciat, et egere. — *Quem, etc*. Diogenes qui pallium quo solo erat amictus, contra frigoris vim, duplicabat.

27. *Alter*. Aristippus.

29. *Utramque*. Pauperis, tenui cum veste; divitis, cum purpurea.

Alter Mileti textam cane pejus et angue
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Rettuleris pannum : refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis et cœlestia tentat :
Principibus placuisse viris, non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit ne non succederet; esto.
Quid ? qui pervenit, fecitne viriliter ? atqui
Hic est, aut nusquam, quod quærimus. Hic onus horret,
Ut parvis animis, et parvo corpore majus :
Hic subit, et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege suo de paupertate tacentes,
Plus poscente ferent : distat, sumasne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
« Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec pascere firmus, »
Qui dicit, clamat : « Victum date. » Succinit alter,
« Et mihi dividuo findetur munere quadra. »
Sed, tacitus pasci si posset corvus, haberet

30. *Alter*. Diogenes. — *Mileti textam*. Miletus, Asiæ urbs in qua panni eximii texebantur. — *Cane pejus, etc.* Proverbium, id est, vehementius quam fugeret anguem vel canem : canem rabidum aut iratum intellige.

32. *Refer*. Id est, reddas igitur illi pannum.

33. *Res gerere*. Domi militiæque præclare gesta. — *Captos ostendere*. Id est, triumphi.

35. *Principibus*. Id est potentioribus, nobilioribus.

36. *Adire Corinthum*. Est proverbium notissimum. Nemo urbem illam opulentissimam sine magnis sumptibus adire et frequentare poterat. Alii intelligunt *adire* sine periculo, navi inoffensa. Corinthus autem est urbs, olim amplissima, nunc exigua in faucibus Isthmi Peloponnesiaci.

37. *Sedit*. Cessavit, non tentavit. — *Qui timuit, etc.* Qui timuit ne non placeret viris principibus, quievit, periculum facere noluit.

38. *Pervenit*. Placuit; voti compos factus est.

39. *Hic est*. Id agitur, id quæritur uter laude dignior sit, is qui principum amicitiam prudenter colit, an ille qui eam fugit. — *Hic onus horret*. Alius rei suscipiendæ molestiam refugit.

41. *Hic subit et perfert*. Alius rem strenue aggreditur et peragit.

42. *Experiens*. Qui rem tam difficilem, quam difficilis est amicitia principum, experiri et tentare audet, qui voti compos sit.

43. *Rege suo*. Divite quem colunt.

44. *Plus poscente, etc.* Plura obtinebunt et auferent ab suo rege, quam is qui aperte poscat, seque pauperem esse clamitet. — *Pudenter*. Honeste et verecunde.

45. *Rapias*. Extorqueas importunis precibus. — *Rerum caput, etc.* In hoc vertitur ars illa, de qua hic agimus. — *Erat*. Pro est.

47. *Pascere firmus*. Qui non firmos et constantes proventus quibus pascar, effert, sed modo fecundus est, modo sterilis. Qui non sufficit ad me alendum.

48. *Qui dicit, etc.* Qui sic cum suo rege queritur, habeo sororem nubilem, sed carentem dote, etc. *Quadra*, ut hic sumitur, est genus quoddam placentæ aut panis, qui quatuor in partes leviter in extima superficie divisus erat.

50. *Corvus*. Fingit Æsopus corvum gestientem, quod caseum repetisset, ab avibus supervenientibus, orta de caseo rixa mulctatum et parte dapis spoliatum fuisse.

Plus dapis, et rixæ multo minus, invidiæque.
Brundusium comes, aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres,
Aut cistam effractam, et subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit.
Nec, semel irrisus, triviis attollere curat
Fracto crure planum; licet illi plurima manet
Lacrima, per sanctum juratus dicat Osirim:
« Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum. —
Quære peregrinum, » vicinia rauca reclamat.

52. *Brundusium.* Urbem in Calabria ad mare : nunc *Brindes*. — *Surrentum.* In Campania ad sinum Puteolanum (*Sorrento*). — *Comes.* Qui divitem aliquem colit, assectatur, comitatur.

54. *Cistam.* Arculam. — *Subducta.* Furto rapta.

55. *Nota refert, etc.* Imitatur astutias argutæ meretricis, quæ multa se perdidisse ait, ut aliquid nummorum ab amatore auferat. — *Catellam.* Parvam catenam, monile.

56. *Periscelidem.* Ornamentum pedis circum crura, vel tæniam qua crus ligatur aut ornatur. — *Uti.* Adeo ut. — *Mox.* In posterum, postea.

58. *Nec semel, etc.* Nemo magis credit illis querulis et petentibus, quam alicui plano, id est, impostori et mendicabulo, qui mentiatur sibi crus esse fractum, et erigi se roget.

59. *Manet.* Emanet, fluat.

60. *Osirim.* Deus fuit Ægyptiorum, etiam Romæ cultus, cum Iside uxore sua.

61. *Non ludo.* Non jocor, serio loquor. — *Tollite.* Erigite, deportate.

62. *Peregrinum.* Id est, hominem cui sis ignotus; quales sunt hospites et peregrini, nos enim technas tuas novimus, inquiunt vicini.

EPISTOLA XVIII.

Ad Lollium.

Quomodo colenda sit, maxime cum viris principibus, amicitia, ac tranquillitas animi comparanda.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido scurra distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope majus:
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris,

1. *Metues.* Cavebis. — *Liberrime.* Qui libertatem in vivendo et sentiendo deamas.

2. *Scurrantis.* Illiberaliter adulantis. — *Professus amicum.* Quando te alicujus amicum esse profiteris, quando cum eo, ut cum amico, agis.

3. *Matrona.* Mulier proba et honesta; mater familias.

4. *Discolor.* Dissimilis.

5. *Huic vitio.* Scurrilitati, ineptæ adulationi.

6. *Gravis.* Molesta, incommoda.

7. *Se commendat.* Se conspiciendam

Dum vult libertas mera dici, veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter, in obsequium plus æquo pronus, et imi
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.
Alter rixatur de lana sæpe caprina;
Propugnat nugis armatus: « Scilicet, ut non
Sit mihi prima fides; et vere quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera sordet. »
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus?
Brundusium Minuci melius via ducat an Appi?
Quem damnosa venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit, et ungit:
Quem tenet argenti sitis importuna, famesque,
Quem paupertatis pudor, et fuga, dives amicus
Sæpe decem vitiis instructior, odit et horret;
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult; et ait prope vera: « Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes: tibi parvula res est:

præbet. — *Tonsa cute.* More agrestium, qui non utebantur novacula.

9. *Utrinque, etc.* Ab utroque extremo defectu et excessu remotum.

10. *Alter.* Qui scurriliter assentatur.

11. *Imi lecti.* Eorum, qui sunt in infimis lectis ad mensam, ac profunde ignobiliores. — *Derisor.* Qui alios illudendo risum captat. — *Horret.* Plenus verecundiæ observat.

12. *Cadentia.* Verba ex ore divitis quasi temere excidentia, dicta sine ullo certo consilio. — *Tollit.* Id est, excipit, laudat, notari ab aliis, tanquam egregie et mire dicta, jubet.

14. *Reddere.* Recitare. — *Vel partes, etc.* In actoribus comœdiarum erat actor quidam præcipuus, qui primariam fabulæ personam agebat, alii qui alias: isti hoc servabant, cavebantque ne tanta contentione agerent, loquerenturve, quanta primus actor, sive primarum partium. — *Mimum.* Histrionem, scurram, qui actoris gestus et verba imitatur.

15. *Alter.* Agrestis et inurbanus. — *De lana caprina.* Id est, de nihilo, de re vilissima.

16. *Propugnat.* Pro nugis pugnat, quasi res armis ageretur. — *Ut non, etc.* Egone, inquit agrestis ille, patiar ut non uni mihi præ ceteris credatur, si quid dixero?

18. *Pretium ætas altera sordet.* Non hoc velim, etsi mihi offeratur tantum vitæ quantum hactenus.

19. *Castor an Dolichos.* Erant illius temporis nobiles gladiatores. — *Plus sciat.* In sua arte sit peritior.

20. *Minuci via.* A. L. Minucio strata et ornata. — *Appi via.* Via Appia, una e viis publicis celeberrima, pertinebat a Roma usque Brundusium.

21. *Quem, etc.* Ordo est: sæpe amicus dives odit ac fugit amicum tenuiorem qui opes damnosa et fœda libidine aut alea dilapidat, etc. Licet ipse dives sit decies vitiosior et sceleratior amico illo tenuiori cliente suo.

22. *Gloria.* Vana ostentatio.

24. *Pudor et fuga.* Subaudi tenet.

26. *Regit.* Monitis prudentibus quasi gubernat instruitque, et quidem veris: noli, inquit, mecum certare sumptibus, luxu, etc. — *Veluti pia mater.* Subaudi optare solet ut liberi se ipsa sint meliores, ita dives, etc.

28. *Ait prope vera.* Non omnino vera, sed fere vera, et certo quodam sensu. — *Contendere noli.* Mihi di[illegible] crede, atque mecum certare noli.

Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. » Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa : beatus enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes;
Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.
  Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus, et ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes :
Nec, quum venari volet ille, poemata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis, atque
Zethi, dissiluit; donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion : tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros
Ætolis onerata plagis jumenta, canesque,
Surge, et inhumanæ senium depone camenæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus empta.
Romanis solenne viris opus, utile famæ,
Vitæque, et membris; præsertim quum valeas, et
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis. Adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet. Scis quo clamore coronæ
Prælia sustineas campestria : denique sævam
Militiam puer, et cantabrica bella tulisti

30. *Arcta toga.* Quam pauperiores gestabant. — *Comitem.* Comes hoc in loco appellatur qui censetur in familia divitis, qui eum assectatur officii et honoris causa.

31. *Eutrapelus.* Forte nomen fictum est. Eutrapelus etiam dictus est Volumnius quidam, amicus Ciceronis, cui cognomen Eutrapeli, ob sales et urbanitatem, fuerat inditum.

32. *Beatus.* Eleganter vestitus, lautus ac dives.

35. *Pascet.* Augebit fœneratorum pecuniam, usuras iis pendendo, et illi crescet æs alienum. — *Ad imum.* Denique.

36. *Thrax.* Gladiator. — *Aget, etc.* Erit agaso : equum olitoris certo pretio ducendum in macellum, sumet.

37. *Illius.* Potentis amici.

38. *Tortus.* Quamvis ebrius et iratus.

39. *Studia.* Occupationes, exercitationes.

40. *Ille.* Amicus dives. — *Panges.* Facies.

41. *Gratia dissiluit.* Discissa est concordia et amicitia. — *Amphionis.* Amphion et Zethus, Jovis ex Antiopa filii, dissimillimis studiis fuere; hic agriculturam, ille musicam et musas coluit.

42. *Donec, etc.* Donec lyram deposuit Amphion quæ fratri severo suspecta et odiosa.

43. *Cessisse.* Obsecutus esse; in gratiam fratris musicam intermisisse.

46. *Ætolis plagis.* Plagæ sunt retia densiora et arctioribus maculis distincta.

47. *Senium.* Tædium, molestiam, id est, musas venatori odiosas.

48. *Pulmenta.* Carnes ferinas.

49. *Solenne, etc.* Quod est opus usitatum Romanis.

52. *Virilia arma.* Fortia, quibus viri militares utuntur. — *Speciosus.* Majori cum dignitate et decore.

53. *Clamore coronæ.* Plausu populi circumstantis undique in orbem.

54. *Campestria.* Exercitationes et ludicra certamina in campo Martio fieri solita.

55. *Puer.* In tenera ætate. — *Can-*

Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit
Et nunc, si quid abest, italis adjudicat armis.
Ac, ne te retrahas, et inexcusabilis abstes,
Quamvis nil extra numerum fecisse, modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno.
Partitur lintres exercitus : actia pugna,
Te duce, per pueros hostili more refertur.
Adversarius est frater : lacus, Adria : donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
  Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu),
Quid de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem est;
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice; ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus. Ergo,
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem præsidio : qui
Dente theonino quum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet;

fabrica. Cantabri sunt Hispaniæ populi. Vide oden 1, libr. 2.

56. *Sub duce*. Augusto. — *Refixit*. Revulsit. Vide oden 15, libr. 4.

57. *Abest*. Vincendum restat. — *Adjudicat*. Quasi lata sententia Romanis attribuit et adjungit.

58. *Retrahas*. Ne ab amico potenti discedas, te removeas, et eum deseras venari volentem, aut ludicro alicui spectaculo et exercitationi indulgere.

59. *Quamvis, etc*. Quamvis omnia apte et concinne agere soleas. — *Extra numerum*. Metaphora sumitur a saltantibus aut canentibus.

62. *Refertur*. Id est, repræsentatur coram te, per tuos servos, pugna commissa inter Augustum et Antonium ad Actium, Epiri promontorium : lintres qui sunt in villæ lacu, dividuntur, quasi duo essent navales exercitus, etc.

63. *Adversarius, etc*. Tuus frater locum tenet adversarii, seu Antonii.

64. *Fronde*. Laurea.

65. *Consentire, etc*. Sententia est : si vis istas ludicras, quæ tibi placent, exercitationes ab amico probari, tu illius quoque occupationes, v. g. venationem, etc., proba, neque te retrahe ab illo, quum venatur, etc. — *Suis studiis*. Iis quæ amat, quæ studet.

66. *Pollice*. Quum Romani faverant alicui gladiatori generoso in arena certanti, favorem significabant ambos pollices premendo. Contra vero, si cui essent infensi, si quem occidi juberent, alterum pollicem vertebant.

67. *Protinus*. Præterea, statim, deinceps : ut monere porro te pergam.

69. *Percontatorem*. Curiose de omnibus interrogantem.

70. *Patulæ*. Quæ clausæ non sunt, ut arcanum retineant. — *Commissa*. Arcana sibi credita : arcanum cum fide non servant.

74. *Tradimus*. Commendamus.

75. *Tueri*. Illi favere, qui reus sit.

76. *Ut penitus, etc*. Ut alium, quem probe noris, accusatum defendas.

78. *Qui dente, etc*. Qui innocens cum maledico dente carpitur, an non vides te quoque periclitari, te brevi idem periculum aditurum? — *Theonino*. Theon fuit poeta græcus, famosus obtrectator.

Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi,
Potores bibuli media de luce falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem; plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum;
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes;
Virtutem doctrina paret, naturave donet;
Quid minuat curas; quid te tibi reddat amicum;
Quid pure tranquillet; honos, an dulce lucellum;
An secretum iter, et fallentis semita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus; ut mihi vivam
Quod superest ævi, si quid superesse volunt di:
Sit bona librorum, et provisæ frugis in annum
Copia; ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.
Hæc satis est orare Jovem, quæ donat et aufert;
Det vitam, det opes; æquum mi animum ipse parabo.

83. *In alto est.* Dum favet tibi fortuna, dum secundo vento proveheris.

87. *Sedatum.* Placidum, moderatum. — *Celeres.* Alacrioris ingenii homines. — *Remissi.* Qui vires non intendunt.

88. *Vapores.* Vini fumos qui somnum auferunt, caput excruciant.

89. *Nubem.* Tristitiam, quæ frontem contrahit, removetque.

90. *Occupat, etc.* Qui modestus est plus æquo et gravis, obtinet speciem obscuri, id est, videtur obscurus, hoc est, tectus, astutus, morosus existimatur.

91. *Inter cuncta leges.* Ante omnia leges philosophorum libros, vel inter cuncta præcepta eliges.

93. *Inops cupido.* Avaritia quæ semper eget, tam iis quæ habet, quam quæ non habet.

96. *Amicum, etc.* Quid sit in quo acquiescas, placeas tibi, teque ames: quid genio tuo et indoli maxime conveniat.

97. *Tranquillet.* Tranquillitatem animi sinceram tibi afferat.

98. *Secretum iter.* Id est, vitæ ratio secreta et ab negotiis disjuncta. — *Fallentis.* Ignotæ, obscuræ, latentis.

99. *Digentia.* Rivulus per agrum Horatii serpens, prope Mandelam pagum septentrioni expositum in colle, unde frigus, quo rugosa et contracta fiunt corpora.

105. *Ne fluitem, etc.* Non de dubia futuri temporis sorte perturber.

107. *Æquum.* Æquabilem, rebus præsentibus contentum.

EPISTOLA XIX.

Ad Mæcenatem.

Poetas eo carpit, quod aliorum pravi esse imitatores gestiant; cur sua carmina non ita quibusdam placeant, docet.

Prisco si credis, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus : ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camenæ.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus ;
Ennius ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. « Forum, putealque Libonis
Mandabo siccis; adimam cantare severis. »
Hoc simul edixit, non cessavere poetæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet, moresque Catonis?
Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quod si

1. *Cratino*. Fuit ille atheniensis poeta, veteris comœdiæ scriptor celebris.

2. *Vivere*. Durare ad posteros.

3. *Ut, etc.* Ex quo Bacchus poetas in suam fidem et tutelam recepit, et annumeravit inter Satyros et Faunos, deos agrestes, Bacchi comites. — *Male sanos*. Poetico furore correptos.

5. *Camenæ*. Versus dulces et boni vinum vulgo mane potatum olent, id est, ab eo scripti sunt, qui matutino vino prolutus fuerit.

6. *Arguitur*. Deprehenditur, convincitur esse vinosus, quia vinum sæpe laudat.

7. *Ennius*. Poeta latinus antiquissimus, natus Rudiis in Calabria, anno U. C. 514. — *Arma*. Descripsit enim bellum punicum secundum.

9. *Mandabo, etc.* Res forenses et sedem prætoris a Libone in foro collocatam, dabo regenda jejunis hominibus. — *Siccis*. Haud vinum bibentibus. — *Adimam cantare*. Vetabo ne cantent, versus faciant. — *Severis*. Sobriis.

10. *Edixit*. Cratinus videlicet, vel Ennius.

11. *Putere*. Fetere.

12. *Quid? etc.* Negat poetas, etsi exemplo Cratini, Ennii et Homeri potores boni sint, esse tamen poetas bonos, ut illi sunt : sicut qui vultum atrocem Catonis Uticensis et vestem simularet, non idcirco virtutum ejus compos esset. — *Pede nudo*. Solebat Cato in publicum prodire sine calceis.

13. *Textore*. Pro textura seu texta veste.

15. *Rupit*. Timagenes, æmulus Jarbytæ, sive Hyarbitæ, fuit in causa cur Jarbytas disrumperetur præ invidia, dum Timagenis dicacitatem et eloquentiam æmulari studet. — *Timagenis*. Ferunt illum Timagenem fuisse rhetorem seu sophistam alexandrinum, Jarbytam ejus æmulum.

16. *Urbanus*. Facete eloquens, *un mauvais plaisant*, *un railleur*.

17. *Decipit, etc.* Exemplar aliquod, in quo sunt vitia, quæ quis imitari possit, eum in fraudem inducit, non virtutes imitantem.

Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res, et agentia verba Lycamben.
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos, et carminis artem,
Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcæus: sed rebus, et ordine dispar;
Nec socerum quærit, quem versibus oblinat atris:
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego non alio dictum prius ore, Latinis
Vulgavi fidicen. Juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
  Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, et tritæ munere vestis.
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.

18. *Casu.* Non dedita opera, sed sorte. — *Biberent.* Mei imitatores. — *Cuminum.* Herba quædam est, cujus succus facit exsangues et pallidos. *Du cumin.*

19. *Servum pecus.* Qui servilem in modum alios sequimini.

20. *Bilem.* Stomachum, iram. — *Tumultus.* Vestra trepidatio, contentio.

21. *Vacuum.* Locum subaudi; per campos nullius adhuc pede tactos. — *Princeps.* Primus.

23. *Regit examen.* Non dubitavit se aliorum ducem profiteri. Metaph. ab apibus ducta. — *Parios.* Inventos primum in Græcia ab Archilocho nato in insula Paro: est ea in Ægæo mari.

24. *Animos.* Poeticos spiritus.

25. *Res.* Argumenta quæ tractavit Archilochus. — *Agentia.* Adigentia ad laqueum. Vide lib. epod. od. 7.

26. *Foliis brevioribus.* Minore corona: ne me parcius laudandum putes.

27. *Timui.* Nolui. — *Modos.* Pedes versus iambici.

28. *Temperat, etc.* Ita scripsi versus iambicos exemplo Archilochi, ut eos temperaverim admixtis versibus sapphicis et alcaicis. — *Mascula.* Fortis et virilis animi, carminisque.

29. *Sed rebus, etc.* Sed Alcæus meus, id est, versus alcaici a me scripti, dissimiles sunt versibus Archilochi, quod spectat materiam et rerum dispositionem.

30. *Nec socerum.* Ut Archilochus Lycamben. — *Oblinat.* Dedecoret.

31. *Sponsæ, etc.* Nec adigit sponsam (ut Archilochus Neobulen) nectere sibi laqueum et se suspendere, furentem ob famosum carmen in se scriptum.

32. *Hunc.* Iambicum versum.

33. *Fidicen.* Poeta lyricus. — *Immemorata, etc.* Canentem versus non antea dictos a quoquam et memoratos.

34. *Ingenuis oculis.* Hominum cultiorum oculis.

36. *Premat.* Vituperet foris, extra suam domum.

37. *Ventosæ.* Inconstantis.

38. *Impensis cœnarum.* Pecuniam cœnis impendendo.

39. *Ultor.* Defensor.

40. *Tribus.* Proprie erant populi romani partes 35, quas candidati ambiebant, ad captanda suffragia. Hinc per metaphoram dicit *grammaticas tribus* pro grammaticorum collegia. — *Pulpita.* Ludos litterarios.

Hinc illæ lacrimæ. « Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus, »
Si dixi : « Rides, ait; et Jovis auribus ista
Servas : fidis enim manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher. » Ad hæc ego naribus uti
Formido; et, luctantis acuto ne secer ungui :
« Displicet iste locus, » clamo, et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram;
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

41. *Lacrimæ*. Hinc illa grammaticorum invidia et indignatio. — *Spissis*, *etc*. Ordo est : si dixi : Pudet me recitare mea carmina, quippe indigna quæ recitentur in theatro coram frequenti corona, etc.

43. *Ait*. Scilicet aliquis e tribu grammatica. — *Jovis*. Id est, Augusti.

44. *Fidis*. Confidis, tibi persuades. — *Manare*. Edere, effundere : active hic ponitur.

45. *Tibi pulcher*. Tuo judicio poeta bonus. Suum enim cuique pulchrum. — *Naribus uti*. Irridere hominem, qui hæc mihi dicit, parco.

47. *Diludia*. Erant dies quidam gladiatoribus dari soliti, ut ab ludo et certamine gladiatorio vacarent, viresque otio reficerent.

48. *Ludus*, *etc*. Ex ludicra contentione rixa sæpe gravior oritur, e rixa, ira, etc.

49. *Funebre*. Funestum.

EPISTOLA XX.

Ad librum suum.

Librum ipse suum exire cupientem compellat, et quædam lectoribus renuntianda mandat.

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris :
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus :
Odisti claves, et grata sigilla pudico :
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge, quo discedere gestis :
Non erit emisso reditus tibi. « Quid miser egi?
Quid volui? » dices; ubi quis te læserit. Et scis
In breve te cogi, plenus quum languet amator.

1. *Vertumnum*, *etc*. Erat Vertumni templum et statua, ut etiam Jani, prope forum Romanum ; qui locus ob hominum frequentiam quum celebraretur, ibi suas tabernas et pilas bibliopolæ habebant.

2. *Prostes*. Venalis exponere. — *Sosiorum*. Sosii erant bibliopolæ tum inclyti. — *Pumice*. Chartam poliebant pumice, et complanabant, maxime membranam.

3. *Claves et sigilla*. Id est, capsulas obseratas et sigillatas in quibus scripta ab auctore servabantur. — *Pudico*. Quæ verecundis libris placent.

4. *Communia*. Publica, scilicet ut legaris ab omnibus.

5. *Non ita*, *etc*. Quamvis non ita fueris apud me educatus et institutus : sum enim paucorum hominum.

8. *In breve te cogi*. Complicavi et

Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus erit Romæ, donec te deserat ætas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus. Quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.
Me primis urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

convolvi. — *Plenus*. Tui fastidiosus lector, tui satur.

9. *Quod si, etc.* Quod si ego, qui tibi peccanti, ut augur, futura mala denuntio, non desipio, id est, non fallor odio tui qui peccas graviter, quum exire gestis.

10. *Ætas*. Juventus: donec eris novus et recens.

12. *Tineas pasces*. Eris præda et esca tinearum, ut rebus neglectis evenit. — *Taciturnus*. Quia nemo te leget; cum libris quasi colloquimur.

13. *Fugies*. Mitteris Uticam, Africæ urbem. — *Unctus*. Involucrum pinguium mercium fies. Legitur etiam vinctus, id est, ad fascem aliquem tegendum adhibeberis. — *Ilerdam*. Urbs est Hispaniæ.

14. *Monitor*. Ego qui te jam admoneo.

15. *Male parentem*. Ire quo jubebatur, et obedire nolentem.

17. *Te manet*. Tibi est eventurum. — *Elementa*. Litteras.

18. *Occupet, etc.* Ut senes balbi te occupent, et in aliquo ludo litterario doceas pueros elementa. Alii autem intelligunt, donec senectus te opprimat. — *Extremis in vicis*. Ubi scholæ ignobiles et magistri.

19. *Sol tepidus*. Iis horis, quibus solis calor est mitior; die in occasum inclinante. — *Aures*. Auditores, pueros litteras discentes, vel alios qui audire te velint.

20. *Libertino*. Filio liberti: libertus est servus donatus libertate.

21. *Majores, etc.* Ultra nidum pennas protulisse: longius a nido evolasse.

22. *Ut, quantum, etc.* Itaque compensabis generis mei ignobilitatem, eruditionis et virtutis meæ commendatione.

23. *Primis, etc.* Viris clarissimis in bello et pace, ut Augusto, Mæcenati, etc., probatum fuisse.

24. *Præcanum*. Canos ante tempus crines gerentem. — *Solibus aptum*. Libenter apricari, hoc est, ad solem consistere solitum.

27. *Quater undenos*. Annos 44 natum fuisse, consulibus Lollio et Lepido, qui annus incidit in ann. U. C. 733.

28. *Quo Lollius anno*. Anno quo Marcus Lollius accepit collegam et socium consulatus Q. Æmilium Lepidum.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

Ad Augustum.

Ab Augusti laudibus, cui scribit hanc epistolam, ad laudes poetarum delabitur : ait recentiores nihil concedere veteribus : Græcos præluxisse Romanis : horum quædam peccata perstringit : ad extremum hortatur Augustum, ut eos fovere ac tueri pergat, maxime præstantiores, qui res ipsius præclare gestas possint scribere pro dignitate.

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta, deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas : exstinctus amabitur idem.
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et justus in uno,

4. *Morer*, *etc*. Te occupatum distineam.

5. *Liber*. Bacchus, ita dictus, quia curis animum liberat.

7. *Colunt*. Excolunt, ornant, tuentur.

8. *Componunt*. Finiunt. — *Assignant*. Colendos.

9. *Favorem*. Famam, gloriam.

10. *Qui*. Hercules.

11. *Portenta*. Monstra. — *Fatali*. Jupiter edixerat, ut, si prius nasceretur Eurystheus, rex Mycenarum, quam Hercules, imperaret Herculi pro arbitrio; fecit Juno, ut prior Eurystheus in lucem ederetur.

12. *Fine*. Morte. Illi mortuo invideri desitum est.

13. *Urit*, *etc*. Ordo est : qui enim prægravat, id est, deprimit artes infra se positas, id est, artifices inferiores, deteriores, illos suo splendore, nominis sui fama urit, id est, male habet, cruciat, accendit ad invidiam.

15. *Præsenti*, *etc*. Viventi, superstiti. — *Maturos*. Tempestivos in vita.

16. *Jurandas*, *etc*. Exstruimus aras ad quas per tuum nomen juremus. *Aram ponere* et per ejus cui posita sit, nomen jurare, deorum immortalium honor est : is Augusto viventi delatus est a Romanis.

17. *Nil*. Nullum talem qualis tu es.

18. *Tuus*. Romanus. — *In uno*. In ea re una, quod te romanis et græcis ducibus anteferat.

Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione, modoque
Æstimat; et, nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit;
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum,
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima, romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunæ; pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veteresque referri debet, an inter
Viles, atque novos? excludat jurgia finis. —
Est vetus atque probus, centum qui perficit annos. —
Quid? qui deperiit minor uno mense, vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas,

21. *Terris semota.* Mortua, et sua ætate perfuncta.

23. *Sic, etc.* Ita veteribus omnibus poetis oratoribusque favens, ut dictitet Musas ipsas composuisse et pronuntiasse duodecim tabulas, etc. Quæ a Musis fiunt, ea perfecta esse putantur et omnibus numeris absoluta. — *Tabulas.* Leges Romanorum in duodecim tabulis scriptas. — *Peccare vetantes.* Proponendo pœnas peccantibus.

24. *Sanxerunt.* Observandas esse a populo romano decreverunt; auctoritate sua ratas esse jusserunt.

25. *Vel Gabiis, etc.* Regum romanorum fœdera æquata, id est, ex æquo constituta et composita vel cum Gabiis a Tarquinio Superbo, vel cum Sabinis a Romulo. Gabii populi erant et urbs Italiæ non procul Roma in Latio. — *Rigidis.* Severis, parcis, frugi.

26. *Libros.* Qui artem sacrificandi, ritus augurales, continent. — *Annosa volumina vatum.* Carmina sibyllina et alia antiquitus a vatibus edita.

27. *Albano monte.* Erat ille in Italia prope Albam, quasi fuisset ille Italiæ Parnassus, et eo Musæ, relictis Græciæ montibus, secessissent.

28. *Si, quia, etc.* Si romani scriptores eadem pensantur trutina, eodem modo æstimantur, atque Græci, apud quos vel optima, id est, longe optima sunt ea scripta, quæ sunt antiquissima; non est cur pluribus disputemus.

30. *Trutina.* Libra.

31. *Nil intra, etc.* Proverbii genus quod in eos cadit, qui aut negant quæ perspicue vera sunt, aut aiunt quæ perspicue sunt falsa.

33. *Unctis.* Athletæ corpus suum oleo ungebant ad vires firmandas, et habiles artus faciendos; vel etiam ut æmulis pugilibus facilius elaberentur; nudi enim pugnabant.

34. *Dies.* Diuturnitas, vetustas.

35 *Arroget.* Acquirat, vindicet.

36. *Decidit.* Obiit centum abhinc annis.

38. *Excludat, etc.* Statuamus aliquem finem ac terminum, certum nempe annorum numerum, qui lites finiat.

39. *Est vetus.* Responsio est alicujus censoris et critici quem interrogare fingitur Horatius.

40. *Qui deperiit minor, etc.* Sensus est: si cui ad hunc annorum numerum mensis unus, aut etiam annus defuerit.

An quos et præsens et postera respuet ætas? —
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est junior anno. —
Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, et demo unum, demo etiam unum;
Dum cadat, elusus ratione ruentis acervi;
Qui redit ad fastos, et virtutem æstimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
   Ennius, et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia pythagorea.
Nævius in manibus non est, et mentibus hæret
Pæne recens : adeo sanctum est vetus omne poema!
Ambigitur quoties, uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti;
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas

43. *Iste quidem*. Verba censoris.

45. *Permisso*. Permittis unum mensem, aut annum demere, idque nihil referre ais; accipio quod das, et vello paulatim ac demo unum, item unum, et alios deinceps, ut si ex equina cauda pilos evellerem : donec acervus ille, id est, numerus centum annorum, definitus ad bonitatem poematis, exhauriatur ac ruat, et ille eludatur, id est, falsitatis coarguatur, qui ad vetustatem annorum in fastis notari solitorum recurrit, etc. *Fasti* erant libri in quibus notabantur nomina consulum initio cujusque anni præfixa, et alia quæ toto deinde anno gererentur.

49. *Libitina sacravit*. Mors sacratum et inviolabile fecit.

50. *Ennius, etc*. Sententia est : non tanti faciendum esse Ennium, quem tamen critici fortem, sapientem et Homerum esse alterum affirmant. — *Sapiens*. Doctus. — *Fortis*. Altiore spiritu exsurgens.

51. *Critici*. Ita vocantur grammatici qui de scriptoribus et scriptis judicant. *Leviter curare*. Securus esse de laude sua.

52. *Somnia pythagorea*. Ennius, ex Pythagoræ doctrina, fingit, in primo libro *Annalium*, animam Homeri suum corpus intrare, et sibi eamdem famæ immortalitatem profitetur.

54. *Nævius*. Poeta vetus latinus qui vixit circa an. U. C. 520.

55. *Ambigitur, etc*. Ostendit quanto in honore essent veteres poetæ. — *Aufert*. Obtinet.

56. *Pacuvius*. Ennii Nepos : tragœdias scripsit non inconcinne, ut erant tempora. — *Alti*. Gravis, elati in scribendo. — *Accius*. Tragœdiarum scriptor; inter ejus fabulas insignis ea fuit cui nomen Atreus.

57. *Afrani toga*. Quia togatas comœdias scripsit : ita vocabantur illæ quarum erat argumentum latinum et personæ : palliatæ vero dicebantur quarum argumentum et personæ e Græcis erant sumptæ. — *Convenisse Menandro*. Id est, scripsit comœdias non indignas Menandro, poeta græco celeberrimo.

58. *Plautus*. Vetus poeta comicus apud Latinos. — *Properare ad exemplar*. Prope assequi. — *Epicharmi*. Fuit ille poeta græcus, Syracusanus.

59. *Cæcilius*. Poeta comicus, Mediolanensis, æqualis fere Terentii : vixit uterque circa annum ab U. C. 590. — *Vincere*. Primas tenere. — *Gravitate*. Pondere sententiarum movendis affectibus.

60. *Arcto*. Quia pleno, ob multitudinem spectantium.

61. *Spectat*. Fabulas ab iis compositas, et in theatro exhibitas.

Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab ævo.
Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Si quædam nimis antique, si pleraque dure
Dicere credit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem insector, delendaque carmina Livi
Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri,
Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.
Inter quæ verbum emicuit si forte decorum, et
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit, venditque poema.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem, et præmia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attæ
Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti pæne patres, ea quum reprehendere coner
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus; et, quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.
Jam saliare Numæ carmen qui laudat, et illud

62. *Livi*. Livius Andronicus primus Romæ fabulam docuit, id est, exhibuit comœdiam, anno antequam Ennius nasceretur, ab U. C. 514.

63. *Videt*. Judicat. — *Est ubi peccat*. Interdum errat.

66. *Antique*. Obsolete.

67. *Ignave*. Humiliter, negligenter. — *Fatetur*. Ordo est : si fatetur populus eos multa ignave dicere.

68. *Sapit*. Recte judicat. — *Mecum facit*. Item sentit ac ego. — *Æquo*. Probante.

69. *Non equidem, etc.* Neque vero hæc eo dico, quod insectari dedita opera et carpere velim carmina Livii Andronici.

70. *Plagosum*. Pueros erudiendos sibi traditos acerbe tractantem, in plagis infligendis multum et immitem.

71. *Orbilium*. Horatii præceptorem : Horatius meminerat plagarum quas puer acceperat.

73. *Inter quæ*. Quibus in Livii carminibus.

75. *Ducit*. Producit, ostentat. — *Vendit*. Venditat; laudat : qui merces aliis vendunt, eas vulgo laudant.

76. *Indignor*. Æquo animo ferre non possum. — *Crasse*. Ineleganter.

79. *Recte, etc.* Si ego dubitare me dicam, an comœdia quædam ab J. Quinctio Atta veteri poeta scripta mereatur necne in theatro recitari, quod croco sit conspersum et floribus ; statim senes omnes clamabunt me esse impudentissimum, etc. — *Attæ*. Is eam ob rem ita vocatus fuerat, quod esset *atta*, id est, vitiosis pedibus, et quod extremis insistens plantis ambularet : hoc enim ea vox sonat, ad quam alludit Horatius hoc verbo, *perambulet*.

82. *Æsopus, Roscius*. Actores nobilissimi.

83. *Ducunt*. Existimant, nempe senes.

84. *Minoribus*. Junioribus concedere, quos se inferiores putant, et fateri ea esse perdenda, quæ olim didicerunt, quum essent imberbes.

86. *Saliare carmen*. Quod Salii, Martis sacerdotes a Numa Pompilio instituti, saliendo cantabant, vetus erat cantilena et obsoleta.

Quod mecum ignorat, solus vult scire videri;
Ingeniis non ille favet, plauditque sepultis;
Nostra sed impugnat, nos, nostraque lividus odit.
Quod si tam Græcis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?
  Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortuna labier æqua,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragœdis:
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.
  Romæ dulce diu fuit et solenne, reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere, per quæ
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio: pueri, patresque severi
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et, prius orto

87. *Quod, etc.* Quod æque ac ego, nescit : erat enim valde obscurum.

88. *Sepultis.* Hominibus ingeniosis mortuis : non id facit ut suam veteribus dignitatem et famam asserat, sed quia recentioribus invidet.

89. *Lividus.* Nobis invidus.

92. *Tereretque, etc.* Quod, dum legitur publice a singulis, usu ipso celebraretur ac tereretur.

93. *Nugari.* Levioribus artibus operam dare, ut picturæ statuariæ, etc. Unde orta sit poesis, quam Romæ frequens, quam utilis, docere incipit.

94. *Vitium.* Otium, luxum. — *Æqua.* Prospera.

95. *Nunc, etc.* Delectata est gladiatorum spectaculis, curulibus certaminibus.

97. *Suspendit.* Adspexit et mirata est suspensis oculis et animis.

99. *Sub nutrice, etc.* Instar puellæ infantis, quæ ludo indulgens, mox satiata relinquere solet quod vehementer petierat.

102. *Hoc.* Varietatem illarum leviorum artium. — *Bonæ.* Salutares. — *Venti secundi.* Prospera fortuna.

103. *Reclusa.* Aperta.

104. *Promere.* Explicare. De *clientibus et patronis* alias dictum.

105. *Cautos.* Datos fidis debitoribus, et certa cautione accepta. — *Nominibus.* Ex eo quod fœneratores eorum quibus pecunias credebant, nomina referrent in argentariorum tabulas, et in suos libros, factum est ut *nominis* appellatio ad omnem pactionem et contractum pertineret.

106. *Majores.* Seniores. — *Minori.* Junioribus ; eos præceptis utilibus instituere.

107. *Res.* Subaudi familiaris ; opes.

108. *Calet.* Flagrat cupiditate scribendi.

110. *Fronde.* Hedera, vel lauro, unde fiebant poetis coronæ.

112. *Parthis.* Sæpe fidem Romanis datam fregerant, ut Crassus et Antonius experti fuere : iidem tum acerrime pugnabant, quum fugam maxime simu-

Sole, vigil calamum, et chartas, et scrinia posco.
Navem agere ignarus navis timet : abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare ; quod medicorum est,
Promittunt medici ; tractant fabrilia fabri :
Scribimus indocti doctique poemata passim.
Hic error tamen, et levis hæc insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige : vatis avarus
Non temere est animus ; versus amat, hoc studet unum :
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet ;
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo ; vivit siliquis et pane secundo ;
Militiæ quamquam piger et malus, utilis urbi,
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari :
Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat ;
Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem ;
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis et invidiæ corrector, et iræ ;
Recte facta refert ; orientia tempora notis
Instruit exemplis ; inopem solatur et ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset ?
Poscit opem chorus, et præsentia numina sentit ;
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus,
Avertit morbos, metuenda pericula pellit ;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum.
Carmine di superi placantur, carmine Manes.

larent. — *Prius, etc.* Ante solem ortum.

113. *Scrinia.* Capsulam, loculos, ubi libri reponebantur et res ad scribendum necessariæ.

114. *Navis.* Navigationis, artis nauticæ. — *Abrotonum.* Herba est medica : *de l'aurone.* Pro quolibet pharmaco ponitur.

119. *Virtutes.* Commoda. — *Sic collige.* Ex sequentibus argumentare.

120. *Non temere.* Non facile, non vulgo.

121. *Ridet.* Pro nihilo putat, parvi facit.

122. *Incogitat.* Machinatur.

123. *Siliquis.* Leguminibus. Siliquæ propriæ sunt olerum involucra et folliculi, *la gousse des légumes.* — *Secundo.* Cibario crassiori, cui admixtum furfur : farinæ flos, ab omni furfure purgatus, siligo, vel similago, et pollen dicitur.

124. *Utilis.* Licet ad militiam parum sit idoneus, quia segnis et timidus est, idem tamen est civitati utilis.

125. *Si das.* Si concedis res parvas esse adjumento maximis. — *Magna.* Reipublicæ administrationem et decus e rebus parvis efflorescere.

126. *Os.* Vocem et pronuntiationem format fingitque.

127. *Torquet.* Detorquet, avocat. — *Jam nunc.* Jam in tenera ætate.

128. *Amicis.* Utilibus et honestis.

129. *Asperitatis.* Feritatis, incultioris et asperioris vitæ.

130. *Recte, etc.* Res a summis viris bene fortiterque gestas narrat. — *Orientia.* Præsentia et nascentia tempora docet instruitque præteritis exemplis, quæ notoria sunt.

133. *Vatem.* Poetam.

134. *Chorus.* Intelligit turbam puerorum ac puellarum, quæ in publicis calamitatibus, item post exactum seculum et per urbem et in templa procedebat certos hymnos concinens, etc. — *Sentit.* Exorat deos, ac faventes illos experitur.

135. *Cœlestes aquas.* Pluvias, quæ decidunt e cœlo, seu ex aere. — *Docta prece.* Scienter, et e sacrorum ritibus composita.

138. *Manes.* Dii inferorum, mortuorum animæ.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris, et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter; donec jam sævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi. Vertere modum, formidine fustis,
Ad bene dicendum, delectandumque redacti.
  Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus saturnius, et grave virus
Munditiæ pepulere: sed in longum tamen ævum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.
  Serus enim græcis admovit acumina chartis,

139. *Beati*. Contenti.

140. *Condita*. Collecta, percepta post messem. — *Levantes*. Recreantes.

141. *Dura*. Labores agriculturæ.

143. *Porco*. Sue, quæ telluri immolabatur; sus enim fecunditate sua terræ ubertatem adumbrat. — *Silvanum*. Silvarum et pastorum deum. — *Piabant*. Pium et propitium reddebant; expiabant et luebant hoc sacrificio, si quid in eum peccatum foret.

144. *Genium*. Genius apud veteres erat deus vitæ singulorum præses, qui cum ipsis signeretur una et moreretur.

145. *Per hunc, etc.* Ex ea rusticorum consuetudine, qui post messem operum soluti genio indulgebant, orta est licentia et libertas dicendi alterno carmine convicia quædam rustica, quotannis certo tempore recurrens. Vocatur hæc licentia *Fescennina* ab Fescennia, oppido Etruriæ, unde ista rustica convicia sunt allata.

147. *Recurrentes per annos*. Scilicet quotannis. — *Accepta*. Jucunda.

148. *Sævus jocus*. Acerba maledicendi cupido.

150. *Cruento dente*. Maledicis carminibus.

151. *Intactis*. Non lacessitis cura fuit commune periculum avertere.

153. *Malo*. Maledico, famoso.

154. *Vertere modum*. Rationem scribendi mutavere, *ils changèrent de style, de ton*. — *Formidine fustis*. — Quo scilicet cæsi fuissent usque ad necem. Ea pœna fustuarium dicebatur et in duodecim tabulis scribebatur.

155. *Ad bene, etc.* Qui maledicere antea solebant.

156. *Victorem*. Romanos *feros* vocat, id est, indoctos adhuc et bonarum litterarum rudes. — *Cepit*. Vicit litterarum voluptate.

157. *Sic, etc.* Cœpit obsolescere ac vilescere poesis illa inculta, versus et numeri impoliti qui olim, regnante in Italia Saturno, floruerant. Et sermo mundus elegansque expulit gravem, virulentum et barbarum qui hactenus viguerat. *Virus*, idem ac venenum, ponitur pro quolibet odore gravi, qualibet asperitate et pravitate.

158. *Saturnius*. Qui, Saturno regnante, in Italia vigebat.

160. *Ruris*. Rusticæ poesos et incultæ.

161. *Serus enim, etc.* Sero populus romanus intendit animum, adhibuit ingenii facultates Græcorum scriptis.

Et post punica bella quietus, quærere cœpit
Quid Sophocles, et Thespis, et Æschylus utile ferrent.
Tentavit quoque, rem si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer.
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite, metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi;
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere; post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,

162. *Punica bella.* Quæ contra Pœnos, id est, Carthaginienses, gesta sunt bella, tria numerantur. — *Quietus.* Pace fruens.

163. *Sophocles.* Fuit scriptor tragœdiarum græcarum, ut Thespis et Æschylus.

164. *Rem.* Græcos versus in latinum sermonem.

166. *Spirat, etc.* Spiritus tragicos habet, res tragicas commode cogitat effertque, multa feliciter invenit ac ingeniose, sed erubescit scripta sua emendare; inducere ac delere timet, quæ semel exaravit.

168. *Creditur, etc.* Ordo est: creditur comœdia minimum habere difficultatis ac laboris, quia res, id est, sua argumenta sumit e medio, id est e communi et quotidiana vita.

171. *Quo pacto.* Scilicet quam male. — *Ephebi.* Adolescentis. — *Partes tutetur.* Id est, personam exhibeat, mores effingat.

172. *Attenti.* Avari.

173 *Quantus.* Ironice dictum. — *Dosennus.* Poeta, quem Horatius culpare videtur. quod tantum parasitas in scenam proferat.

174. *Quam non, etc.* Quam laxo et dissoluto socco theatrum perambulet. Vestis non adstricta, discincta, temere fluens, indicium est hominis negligentis: *soccus* erat cruris indumentum, sive calceus humilior, quo utebantur actores comœdiarum: *cothurnus*, grandior et sublimior, quo tragœdiarum: *pulpitum*, locus editior in theatro, ubi symphoniaci versabantur: pro toto theatro sumitur.

175. *Gestit, etc.* Iste Dossennus poeta comicus id unum studet, ut lucrum faciat; sollicitus non est an cadat, an stet, id est, utrum probetur sua comœdia, an explodatur.

176. *Recto talo.* Firmo quasi pede. Si enim talum invertatur, hominem subverti et cadere necesse est.

177. *Quem tulit, etc.* Qui scribit fabulas gloriæ captandæ causa, is unum spectatorem consulit spectatque: eo languente et fastidioso mœret: laudante ac erecto, triumphat.

179. *Avarum.* Cupidum.

180. *Reficit.* Erigit, ascendit. — *Res ludicra.* Scenica. Comœdiæ pereant omnes, etc.

181. *Opimum.* Obesum, id est, ovantem, lætum.

182. *Audacem.* Qui in scribendo felix et strenuus sit. — *Fugat.* A scribendo deterret.

183. *Quod numero, etc.* Quod ex iis qui ad spectandum conveniunt pars multo maxima, dignitate inferior, indoctum

Indocti, stolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana.
Quattuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora.
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo: nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes,
Divitiæque peregrinæ; quibus oblitus actor,
Quum stetit in scena, concurrit dextera lævæ.—

vulgus et stolidum, in media comœdia sæpe poscat spectaculum aliquod, et certamen ferarum aut athletarum, paratum etiam ad arma et verbera venire, si equites et nobiliores spectatores, qui sunt pauciores, discordent, id est, respuant id quod vulgus petit, malint spectare comœdiam quam ursos aut pugiles.

187. *Verum, etc.* Verum et ipsi quoque equites jam delectantur magis videndis spectaculis, quam audiendis comœdiis et tragœdiis.

188. *Incertos.* Dubios quo se vertant, ob magnam rerum contemplandarum varietatem.

189. *Quattuor, etc.* Id est, comœdia per horas quatuor aut plures durat: quamdiu scilicet aulæa strata jacent. — *Premuntur.* Manent depressa, demissa (ut mos, dum fabulæ agebantur). Aulæa enim apud veteres non, sicut nunc, quum ludus incipit, sursum tollebantur, sed ex summo ad imum deprimebantur.

190. *Fugiunt.* Dum hostes fugientes in theatro exhibentur.

192. *Esseda, pilenta, petorrita.* Sunt gallica et belgica vehiculorum genera, quibus in pompa triumphali capti reges reginæque, vel spolia vehebantur.

193. *Portatur.* Nempe in theatro ad pompam et spectaculum. — *Captivum ebur.* Intellige variam supellectilem ex ebore factam, vel simulacrum urbis captæ ex ebore factum. — *Captiva Corinthus.* Vel effigies Corinthi a Mummio expugnatæ, vel vasa et statuæ æris corinthii.

Democritus. Fuit philosophus insignis, qui ex omnibus ridendi causam captabat, ut Heraclitus flendi.

195. *Diversum confusa, etc.* Panthera cujus genus confunditur cum genere diverso cameli, id est, *camelopardalis, une girafe.* — Dictator Cæsar primus Romanis camelopardalem ostendit in ludis circensibus.

197. *Spectaret populum, etc.* Democritus attentius, quam ipsos ludos, spectaret populum, majus sibi, quam mimum aliquem, spectaculum præbentem.

201. *Evaluere.* Valent, possunt. — *Sonum.* Strepitum et clamores populi.

202. *Garganum mugire.* Est Garganus mons Apuliæ, silvosus, ubi ventorum fremitus et arborum stridor est vehementior.

203. *Artes.* Opera veterum artificum, v. g. picturæ; æra.

204. *Oblitus* Indutus, inquinatus potius quam ornatus: oblinere quippe est luto vel fæcibus commaculare.

205. *Scena.* Sat. I. lib. 2. — *Concurrit, etc.* Plauditur.

Dixit adhuc aliquid ?—Nil sane.—Quid placet ergo ?—
Lana tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes, me, quæ facere ipse recusem,
Quum recte tractent alii, laudare maligne :
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus; et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age, et his qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam redde brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala sæpe poetæ
(Ut vineta egomet cædam mea) : quum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso; quum lædimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprehendere versum,
Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Quum lamentamur, non apparere labores
Nostros, et tenui deducta poemata filo;
Quum speramus eo rem venturam, ut, simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.
Sed tamen est operæ pretium cognoscere quales

206. *Quid placet?* Cur spectatores plaudunt?

207. *Lana, etc.* Vestis purpurea violacei coloris, tincta in urbe Italiæ Tarento. Od. 28, lib. 1. — *Veneno.* Colore, succo.

208. *Ac ne, etc.* Noli arbitrari me tragicos poetas parce laudare, quia tragœdias non scribo quas illi recte tractant.

210. *Ille, etc.* Poeta tragicus.

211. *Inaniter.* In argumentis fictis et nihil ad me spectantibus. — *Angit.* Movet, perturbat.

213. *Magus.* Præstigiator, qui arte magica homines ex uno loco in alium transfert. — *Thebis, Athenis.* Od. 6, lib. 1.

214. *Verum age, etc.* Quamvis tragici poetæ artem magnam et arduam profiteantur, noli, o Cæsar, illos non dignari tua cura, qui malunt odas et alia id genus carmina scribere legenda et placitura lectori placido, quam tragœdias spectandas a fastidioso spectatore.

216. *Redde.* Impende : debitam illis curam tribue, brevem, ob tuas graviores occupationes. — *Munus, etc.* Bibliothecam a te ædificatam et consecratam Apollini.

217. *Calcar.* Stimulos, animos.

218. *Helicona.* Od. 11. lib. 1.

219. *Multa mala.* Intellige ea, quæ poetæ importune, inepte et præpostere faciunt.

220. *Ut vineta, etc.* Ut ipsos quoque poetas qui lectoribus magis quam spectatoribus placere amant, vituperem : vel, ut me quoque accusem, qui agam id quod in aliis reprehendo : alienas vites cædere, hostile facinus est.

221. *Sollicito.* Occupato.

223. *Revolvimus.* Repetimus. — *Irrevocati.* Non rogati ea iterum recitare.

224. *Non apparere, etc.* Non intelligi quantum laboraverimus, quam sint delicata et subtilia, quæ scripsimus, poemata. — *Tenui filo.* Locutio ducta a tela subtiliter texta.

227. *Commodus.* Benignus, liberalis.

228. *Egere vetes.* Opibus augeas : des nummos.

229. *Sed tamen, etc.* Quamvis importuni tibi simus nos poetæ, o Cæsar, neque si quid scribimus, continuo putare debeamus fore ut nos accersas, et

Æditous habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poetæ.
Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum, tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si
Judicium subtile videndis artibus, illud
Ad libros, et ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotum in crasso jurares aere natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque poetæ,
Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus, mores animique virorum
Clarorum apparent : nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumque situs, et flumina dicere, et arces
Montibus impositas, et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis, te principe, Romam;

jubeas versus facere; tamen eos non debes negligere, qui tuas res præclare domi et militiæ gestas possint conservare scribendo, ut æditui templa servant, etc.

230. *Æditous*. Æditui proprie sunt curatores et custodes ædis vel templi alicujus. Poetas Horatius æditous vocat, quod in templo Apollinis sæpe versarentur.

234: *Rettulit*, *etc.* Id est, qui Chœrilus ob inculta carmina donatus est nummis Philippi effigie signatis; eos suis versibus acceptos retulit : *acceptum* aliquid alicui *referre*, est aliquod beneficium illi debere : fateri se aliquid ab eo accepisse.

235. *Remittunt*. Allinunt manibus tangentium.

236. *Fere*. Plerumque.

237. *Linunt*. Deterunt, commaculant.

239. *Apellem*. Pictorem eximium, patria Coum; vixit Alexandri temporibus.

240. *Alius Lysippo*. Bœotiæ autem insignis statuarius. — *Duceret*. Excuderet statuas ex ære.

241. *Quod si*. Sententia est : si comparares Alexandrum judicantem de tabulis pictis et statuis cum Alexandro judicante de versibus, diceres illum imperitum in æstimandis versibus et tam stupidum quam sunt Bœoti. Bœotiæ autem incolæ tardo ingenio famosi erant.

245. *At neque*, *etc.* Non dedecorant tua de se judicia, imo laudi tibi et honori sunt, dum tales sunt revera, quales esse illos præclare judicasti : ornant tua munera, quia dignis fuisse collata ostendunt.

250. *Nec sermones*, *etc.* Ego vero non profecto mallem satiras et epistolas, ut facio, humili stylo et repenti scribere, quam tuas res gestas heroico carmine componere.

253. *Barbara regna*. Victorias de regibus et populis barbaris.

254. *Duella*. Bella finita et sublata.

255. *Claustraque*. Et portas templi Jani a te clausas.

Si, quantum cuperem, possem quoque. Sed neque par-
Carmen majestas recipit tua; nec meus audet [vum
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget:
Præcipue quum se numeris commendat, et arte:
Discit enim citius, meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat; ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo, capsa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem tus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

257. *Si quantum, etc.* Si facultas et eloquentia voluntati responderet.

258. *Recepit.* Admittit, patitur.

260. *Sedulitas, etc.* Sensus est: qui, studio et amore alicujus, bene mereri de illo laborat, eum laudando, si id prave faciat, amicum urget, id est, gravat, vexat, onerat potius quam ornat.

264. *Nil moror officium, etc.* Non curo istam sedulitatem, quæ mihi molesta est; ut ego non vultu depravato in cera effingi et proponi, ita nec prave factis versibus celebrari volo.

267. *Rubeam.* Pudore afficiar. — *Pingui.* Crasso, inerudito. — *Una, etc.* In eodem enim libro est nomen scriptoris et ejus qui scribitur seu laudatur.

268. *Capsa.* Cista, arca. — *Porrectus.* Instar cadaveris.

269. *In vicum.* Scilicet Romæ. — *Vendentem tus et odores.* Ubi tus et odores venduntur. — *Ineptis.* Quæ, quia ineptias suas iis chartis mandavit malus poeta, mercibus amiciendis id est involvendis inserviunt.

EPISTOLA II.

Ad Julium Florum.

Excusat se amico suo querenti, quod nec epistolam nec ea, quæ promiserat, carmina misisset, varias afferens rationes, cur in scribendis versibus negligentior sit. Addit se jam in ea ætate esse, ut cogitare potius debeat de moribus recte componendis et exstirpandis cupiditatibus, quam de versibus pangendis. Finit nonnulla ad sapienter vivendum præcepta exponendo.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere, natum
Tibure, vel Gabiis, et tecum sic agat: « Hic et

1. *Flore.* Ad eumdem exstat epistola lib. 1 tertia. — *Neroni.* Claudio Tiberio Neroni, qui Augusto successit.

2. *Puerum.* Servum.

3. *Tibure, etc.* Tibur, Gabii, sunt Italiæ urbes, de quibus sæpe jam dictum. — *Agat.* Loquatur, paciscatur.

Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet, eritque tuus nummorum millibus octo :
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Litterulis græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet ; argilla quidvis imitaberis uda.
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.
Res urget me nulla ; meo sum pauper in ære.
Nemo hoc mangonum faceret tibi ; non temere a me
Quivis ferret idem : semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te si fuga lædat : »
Ille ferat pretium, pœnæ securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum ; dicta tibi est lex :
Insequeris tamen hunc, et lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum, ne mea sævus
Jurgares, ad te quod epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas ? quereris super hoc etiam, quod

4. *Candidus*. Scilicet corpore. Laudat candidum corporis colorem, quia ex Æthiopia quoque servi arcessebantur.

5. *Millibus octo*. Nummos sestertios intelligit, circiter 1600 *fr*.

6. *Verna*, *etc*. Verba sunt venditoris : Est, inquit, puer iste verna, id est, *servus* domi meæ natus, aptus ad quodlibet ministerium obeundum heri nutu et arbitrio.

7. *Græcis*. Romani græcas litteras discebant, ut Galli linguam germanicam aut italicam, unde cariora erant mancipia quæ græce scirent.

8. *Argilla*, *etc*. Fingi tam facile ac flecti potest, quam argilla uda, ex qua fictilia vasa fiunt.

9. *Indoctum*. Indocte, parum musice, ea tamen voce quæ tibi epulanti non insuavis esse videatur.

10. *Multa*, *etc*. Pergit venditor : Scio, inquit, iis venditoribus non facile credi, qui multa et mira de suis mercibus promittunt ac prædicant, quo facilius nimirum eas extrudant, id est, vendant, distrahant : ego non is sum, etc. — *Levant*. Minuunt, abrogant venditori : faciunt ne tam facile credatur. — *Plenius æquo*. Plus justo.

12. *Res nulla*. Nulla necessitas, non æs alienum. — *Meo sum pauper in ære*. Non quidem dives sum, sed, quod meum est, habeo.

13. *Nemo hoc mangonum*, *etc*. Certe non alius mango tam candide, quam ego, vitia vendendi mancipii tibi aperiret.

14. *Ferret*. Obtineret, extorqueret, nempe ut tam levi pretio mancipium ejusmodi venderem.

15. *Habenæ*. Scuticæ, lori. Metu habenæ, *de peur des étrivières*. — *Pendentis*. Ut haberent servi pœnam ob oculos semper positam, si quid delinquerent, in ædium scalis erant appensa lora, et scuticæ, quibus statim cæderentur.

16. *Excepta*. Hunc servum affirmavit omni vitio carere præterquam quod semel fugit.

17. *Ille*, *etc*. Loquitur jam Horatius.

20. *Dixi*, *etc*. O Flore, puta me similem isti venditori ; dixi tibi, me esse in scribendo pigrum, et ad hæc urbanitatis officia ineptum.

21. *Sævus*. Nimium irascens.

23. *Quid tum*, *etc*. Vitium tibi meum candide aperiendo. — *Jura*. Quæ quum pœnæ et objurgationis securum esse volunt, qui rei cujuspiam et contractus vitia aperit contrahenti, ementi, etc., hæc jura pro me stant, mihi favent.

24. *Attentas*. Vis labefactare, oppugnas. — *Super*. Præterea hoc quereris.

Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
  Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat : post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præsidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summe munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummum.
Forte sub hoc tempus castellum evertere prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eumdem
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem :
« I bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas? »
Post hæc ille catus, quantumvis rusticus : « Ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit, » inquit.
  Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ;
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quærere verum.
Dura sed amovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,

26. *Luculli.* Vixit eodem quo Cicero, Pompeius, etc., tempore : bellum cum Mithridate, Ponti in Asia rege, gessit, et cum Tigrane. — *Viatica.* Pecuniam dari solitam militibus ad iter conficiendum, et emendas res necessarias.

27. *Ad assem.* Usque ad ultimum teruncium, nihil ut superesset.

28. *Lupus.* Instar lupi famelici.

30. *Præsidium.* Milites in arce quadam ad ejus præsidium relictos.

31. *Donis honestis.* Dona militaria intellige, coronas scilicet, torques, phaleras.

33. *Bis dena, etc.* Viginti millia sestertium (circiter 4000 *fr.*).

34. *Sub hoc, etc.* Paulo post. — *Prætor.* Ductor exercitus.

36. *Addere mentem.* Animos erigere, accendere.

37. *Bone.* Vox blandientis est.

39. *Ille catus.* Miles ille Luculli, quamvis rusticus, tamen vafer et prudens.

40. *Zonam.* Id est crumenam, quia in zonis crumenas solebant gestare.

42. *Iratus quantum, etc.* Discere Homeri poemata : Ilias maxime continet damna per Achilis iram Græcis importata, quum ille, Agamemnoni ob ereptam Briseidem infensus, a bello abstinuit.

43. *Adjecere, etc.* Bonas artes, philosophiam scilicet, Athenis didici : Vide Horatii vitam in libri limine.

44. *Curvo rectum.* Bonum a malo.

45. *Academi.* Fuit Academus atheniensis civis; erat illi suburbana villa pulcherrimis arboribus consita, quam philosophiæ studiosis donavit : hinc dicti sunt Academici, et gymnasia litteratorumque scholæ, academiæ.

46. *Dura tempora.* Bella civilia inter Octavium et Cæsaris percussores; Brutus Horatium ad militiam pertraxit.

47. *Rudem.* Militiæ imperitum. — *Æstus belli civilis.* Ducitur a mari metaphora.

48. *Lacertis.* Viribus.

49. *Unde, etc.* Quo e civili bello statim ut dimissus sum post prælium philippense, commissum ad Philippos urbem Thessaliæ, in campis pharsalicis, ubi victus est Bruti et Cassii exercitus.

Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris, et fundi, paupertas impulit audax
Ut versus facerem. Sed, quod non desit, habentem,
Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poemata. Quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur, amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur iambis;
Ille bioneis sermonibus, et sale nigro.
Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Præter cetera, me Romæne poemata censes
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis. Cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; visendus uterque.
Intervalla vides humane commoda. — Verum
Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet. —
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris:
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.
I nunc, et versus tecum meditare canoros.

50. *Decisis, etc.* Amissa dignitate et opibus.

52. *Quod non desit.* Habentem quod sufficiat, quod mihi deesse nolim.

53. *Cicutæ.* Herba est frigidissima, quæ ad sanandam insaniam adhibebatur, et idonea ad nimium sanguinis calorem exstinguendum.

55. *Singula, etc.* Alia ratio cur non scribat, quia senior est. — *Euntes.* Effluentes, prætereuntes.

57. *Tendunt extorquere poemata.* Scribendi carminis facultate me privatum eunt.

58. *Denique.* Alia ratio, nempe fastidium hominum, qui alii alia carmina probant, adamantque.

59. *Carmine.* Nempe lyrico vel epico.

60. *Bioneis sermonibus.* Intellige satiras acerbissimas quas scripsisse dicitur Bion, poeta græcus. — *Sale nigro.* Salibus amaris et jocis.

61. *Tres mihi, etc.* Videor mihi habere tres convivas diversi plane gustus, quibus satisfacere nequeam.

65. *Præter cetera, etc.* Ratio quarta cur non scribat: petita nempe ab urbanis negotiis.

67. *Sponsum vocat.* Ad respondendum pro se, ad fidejubendum. Spondere pro aliquo, *cautionner quelqu'un, répondre pour lui.* — *Auditum, etc.* Ad audienda, quæ amicis recitat, carmina.

68. *Cubat hic, etc.* Alius quidam ægrotat procul in colle Quirinali, alius in extrema parte montis Aventini. Duo isti montes admodum disjuncti sunt.

70. *Humane, etc.* Belle commoda, ironice, id est, perquam incommoda.

71. *Puræ, etc.* An liberæ et patentes plateæ sunt? Neutiquam sane.

72. *Calidus.* Præceps, trepidus. — *Gerulis.* Bajulis. — *Redemptor.* Operis alicujus conductor, qui id faciendum certo pretio in se recipit: *un entrepreneur.*

73. *Torquet.* Torquendo attollit. — *Tignum.* Trabem.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra.
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, et contracta sequi vestigia vatum ?
Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque, et risu populum quatit. Hic ego, rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis,
Verba lyræ motura sonum connectere digner?
  Frater erat Romæ consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poetas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile visu,
Cælatumque novem Musis opus! Adspice primum
Quanto cum fastu, quanto molimine circum
Spectemus vacuam romanis vatibus ædem.
Mox etiam, si forte vacas, sequere, et procul audi
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

78. *Cliens Bacchi*. In Bacchi tutela omnes poetæ sunt constituti.

80. *Contracta*. Angusta, difficilia, impressa in locis arctis et reductis, non in viis publicis et locis patentibus.

81. *Ingenium, etc.* Aliquando contingit, ut homo ingeniosus, qui, ut studeret facilius humanioribus litteris, secessit Athenas, urbem vacuam et tranquillam, postquam ibi per annos septem libris impalluit, parum tamen in otio tanto proficiat, imo hinc redeat statua taciturnior et infantior, populoque risum præbeat. Quonam igitur pacto ego inter tot fluctus curarum et negotiorum versus facerem lyricos ?

82. *Insenuit*. Maxima contentione incubuit.

86. *Digner?* Dignum putem? operæ pretium esse credam ?

87. *Frater, etc.* Rhetor quidam Romæ fuit frater jurisconsulti : alter alteri sic adulabatur, ut nihil audiret ab altero, quam nomina merum honorem significantia, honorificentissima : hic jurisconsultus illum vocabat Gracchum (orator præstantissimus fuerat); ille rhetor vocabat hunc fratrem suum Q. Mucium Scævolam, quia olim Mucius Scævola optimus jurisconsultus erat : an sunt poetæ saniores ? Quinta ratio ; Vatum ineptiæ et adulatio putida, qua se invicem prosequuntur ac mulcent.

90. *Argutos*. Ingeniosos, elegantes.

91. *Carmina*. Scilicet lyrica. — *Hic elegos*. Alius elegias. — *Mirabile visu, etc.* Subaudi statim exclamant amici poetæ, opus a me scriptum esse admirabile, et a novem Musis elaboratum.

93. *Molimine*. Fastu, ambitiosa indignatione : *avec mépris, indignation, dédain*.

94. *Vatibus*. Scriptis Romanorum poetarum. — *Ædem*. Apollinis Palatini, prope quam exstructa est ab Augusto bibliotheca.

95. *Vacas*. Si otiosus es, si nihil aliud habes, quod te detineat. — *Sequere*. Subaudi poetas, in ædem. — *Procul*. Sæpe vox ea significat præ oculis, cominus.

96. *Ferat*. Dicat.

98. *Samnites*. Sic vocabantur gladiatores quidam ad pompam et voluptatem tantum comparati, qui se simulatis et compositis petebant vulneribus.—*Lento*. In longum producto. — *Ad prima lumina*. Tempore vespertino, quo prima lumina accenduntur.

Discedo Alcæus puncto illius : ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Quum scribo, et supplex populi suffragia capto :
Idem, finitis studiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina : verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poema,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti ;
Audebit quæcumque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ :
Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc situs informis premit, et deserta vetustas.
Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus.
Vehemens, et liquidus, puroque simillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.

99. *Discedo, etc.* Ille, unus aliquis poeta, me suo puncto, id est, suffragio (quia veteres suffragia ferebant missis in cistam tabellis, quæ certo punctorum numero notatæ erant) vocat, et parem dicit Alcæo poetæ græco lyrico nobilissimo. At ille qui a me appellatur? certe Callimachus, aut si ne istud quidem nomen, ea laus, ipsi satisfacit, voco illum Mimnermum, et hoc illi, quod optavit, cognomento. — *Puncto.* In comitiis ita ferebantur aliquando suffragia, ut unum punctum illius, quem eligebant, nomini inscriberent. *Alcæus, Callimachus, Mimnermus*, tres sunt poetæ græci.

101. *Crescit.* Metaphora sumitur ab iis qui adoptantur in alienam familiam, qui suo nomini fere addebant eorum nomen a quibus adoptabantur, eoque crescebant.

102. *Multa, etc.* Ordo est : quando versus facio, multa perfero, audio vates patienter quum sua mihi recitant scripta, ut placatos habeam illos ; sunt enim ad iracundiam fere proniores, etc.

104. *Finitis studiis.* Carminum scribendorum studio deposito.

107. *Gaudent.* Sibi placent.

108. *Beati.* Se ipsis, et versibus suis contenti.

109. *Legitimum.* Ad omnes boni poematis leges exactum, perfectum.

110. *Cum tabulis.* In quibus poema suum scripsit.

114. *Et versentur adhuc, etc.* Et adhuc, tanquam in ædium Vestæ penetralibus, intacta et inviolabilia lateant, id est, adhuc intacta in scriptoris scrinio serventur.

115. *Eruet.* In lucem proferet benigne ac liberaliter prisca verba, et ab usu popularis atque quotidiani sermonis remota, ideoque obscura et obsoleta.

117. *Quæ, etc.* Quæ quum olim a Catone et Cethego, nobilibus Romanis, usurparentur, nunc jacent abdita in situ, id est, ignota sunt et antiquata.

119. *Adsciscet.* Frequentabit, finget, novabit.

120. *Vehemens.* Anapæstus pro spondeo est initio versus. Ita Virg. hexametrum incepit : *Fluviorum rex Eridanus.*

121. *Fundet opes.* Per *opes* intellige verborum sententiarumque copiam atque ubertatem. — *Beabit.* Ornabit, augebit.

Luxuriantia compescet ; nimis aspera sano
Lævabit cultu ; virtute carentia tollet :
Ludentis speciem dabit, et torquebitur ; ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
  Prætulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam sapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro ;
Cetera qui vitæ servaret munia recto
More, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem ; posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ ;
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic, ubi cognatorum opibus curisque refectus,
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese : « Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error. »
  Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda latinis ;
Sed veræ numerosque modosque ediscere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacitusque recordor :
« Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ,

122. *Luxuriantia.* Abundantia et uberiora circumcidet.

123. *Lævabit.* Poliet, reddet lævia ; ita tamen ut nervos et robur nimio illo cultu ornatuque non adimat : et cultus ille seu color sit sanus, id est prudens, aptus.

124. *Ludentis, etc.* Similis erit homini parum laboriose scribenti ; negligenter scribere videbitur, et multum laboris tamen insumet.

125. *Satyrum, Cyclopa.* Duo saltationis genera. — *Movetur.* Saltat.

126. *Prætulerim.* Malim tamen. — *Iners.* Ineptus, sine arte.

127. *Mala.* Carmina male composita. — *Fallant.* Lateant.

128. *Sapere.* Ornate scribere. — *Ringi.* Vexare me, et macerare ut recte scribam. Ringi proprie dicuntur canes, quum irritati diducunt os, quasi morsuri. — *Fuit, etc.* Ostendit exemplo ignoscendum esse malis poetis, qui sibi male placent, quique carituri sint magna voluptate, si dedoceantur.

130. *Vacuo.* Ubi nulli actores essent.

131. *Munia.* Officia et munera.

134. *Et signo læso, etc.* Qui posset non furere in servos, si furtivos vini haustus ex læso lagenæ sigillo animadverteret.

136. *Refectus.* Curatus et recreatus a morbo, quo mens illius et phantasia laborabat, dum se actores ibi putaret audire ubi nulli essent.

137. *Meraco.* Puro et mero elleboro. Hac herba curabantur amentes.

138. *Redit ad sese.* Sanam mentem recuperavit. — *Pol.* Per Pollucem. Romanorum jurandi formula.

140. *Per vim.* Viribus pharmacorum.

141. *Nimirum, etc.* Ordo est : nempe nunc mihi est utile sapere, operam dare veræ virtuti et sapientiæ, abjectis versibus et ejusmodi nugis, et hoc relinquere pueris, quorum ætati ludus iste est tempestivus, conveniens.

143. *Sequi.* Sectari, quærere.

144. *Numerosque modosque.* Id est optimam regulam. Metaphora ducta a musica. — *Veræ vitæ.* Sapientiæ, quæ docet recte vivendi rationem.

146. *Lymphæ.* Aquæ.

Narrares medicis. Quod, quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi, monstrata radice vel herba,
Non fieret levius, fugeres, radice vel herba
Proficiente nihil, curarier. Audieras, cui
Rem di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam; et, quum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiæ prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatur et ære,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbi,
Dum segetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos; accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emptum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim?
Emptor Aricini quondam, Veientis et arvi,
Emptum cœnat olus, quamvis aliter putat: emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum:
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam

147. *Narrares*. — Aperires, medicos consuleres. — *Plura parasti*. Plures opes comparasti.

150. *Fieret levius*. Non curaretur. — *Fugeres*. Nolles, omitteres.

151. *Audieras, etc*. Ita quippe vulgus loquitur, et putat, eos qui opes a superis accipiant, stultitia liberari et sapere.

154. *Plenior*. Ditior. — *Monitoribus iisdem*. Opulentiæ laudatoribus.

156. *Ruberes*. Tibi turpe putares esse.

158. *Proprium est*. Ad eum censetur pertinere, est ejus dominus. — *Quod quis, etc*. Quod ab aliquo emptum est. Quum res aliqua emebatur, pretium illius seu pecunia, quæ primis temporibus erat ærea, non numerabatur, ut fere nunc fit, sed appendebatur libra seu trutina.

159. *Quædam, etc*. Contra, res quasdam (si jurisconsultis credis) usus proprias facit; evadunt usu ipso tuæ, tanquam si esses illarum dominus.

160. *Tuus est*. Tanquam tuo agro frueris. — *Orbi*. Romani alicujus divitis, qui suo fundo villicum præfecit.

161. *Occat*. Occare, *herser*, est semen sparsum terra operire fractis glebis.

162. *Te, etc*. Perinde dat illas fruges tibi, ac si esses fundi dominus æque ac Orbus.

163. *Temeti*. Vini.

164. *Trecentis*. Sestertiis majoribus, quæ valent (60,000 *fr*.).

166. *Quid refert, etc*. Sensus est: quid refert, utrum pro frugibus quibus vesceris, nuper an olim pecuniam numeraveris?

167. *Emptor, etc*. Qui olim emit arvum aliquod prope Ariciam (est oppidum in via Appia), qui prope Veios (urbem Volscorum præcipuam), cœnat empta legumina, quamvis ea putet esse propria et sua: emptitiis lignis ollam suam vespere calefacit: dum enim arvum illud emit, emit quoque fruges ab illo post orituras.

170. *Sed, etc*. Vocat arvum illud tamen suum usque ad eam agri partem in qua plantata in limite populus arbos, dirimit lites quæ oriri possent de agri limitibus cum vicino.

171. *Tanquam*. Quasi vero.

Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic, quia perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius, velut unda supervenit undam;
Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant; est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter,
Dives et importunus, ad umbram, lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum;
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum-
quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; nec metuam quid de me judicet heres,
Quod non plura datis invenerit. Et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumptum

173. *Prece*. Donatione; damus enim rogantibus. — *Sorte suprema*. Morte.

174. *In altera jura*. In alterius potestatem et dominium.

176. *Supervenit*. Trudit, propellit.

177. *Vici*. Villæ magnæ, pagi toti, latifundia. — *Calabris*. Calabria et Lucania sunt in extrema Italiæ parte, prope Siciliam, et pascuis abundant.

178. *Orcus*. Pluto, mors.

179. *Grandia, etc*. Nobiles cum ignobilibus.

180. *Sigilla*. Parva signa, statuas exiguas et elegantes, e Tuscia. — *Tabellas*. Picturas.

181. *Argentum*. Vasa argentea. — *Gætulo*. Afro. Gætulia, pars Africæ.

183. *Cur alter, etc*. Quonam pacto fit, ut e duobus sæpe fratribus unus feriari malit, quam Herodis regnum possidere, alter misere sit avarus, et labori deditus? — *Fratrum*. Terentii quædam comœdia inscribitur Ἀδελφοὶ *Adelphi*, hoc est, *fratres*. In ea inducuntur fratres duo moribus dissimillimis, Demea et Micio. Huc Horatius respexit hoc loco. — *Ungi*. Accumbebant ad mensam unguentis delibuti.

184. *Palmetis*. Judæam significat, palmis abundantem: ejus rex Herodes.

185. *Importunus*. Improbe et irrequieto labore se macerans ac defatigans. — *Ad umbram*. Ab ortu lucis usque ad noctem.

186. *Silvestrem flammis, etc*. Incultum et rude solum igne et aratro excolat: igne exuruntur v. g. silices et herbæ steriles: *défricher une terre*.

187. *Scit Genius, etc*. Hoc scit Genius, deus qui comes nobis adjunctus et vitæ moderator, temperat vim nostri astri natalis, si infaustum sit.

188. *Mortalis, etc*. Qui moritur cum unoquoque nostrum.

189. *Albus et ater*. Felix et adversus, propitius idem et infensus.

190. *Utar*. Partis bonis fruar, et ex acervo sumam, etc.

192. *Non plura datis*. Non plura iis quæ a me illi dantur, vel quæ dono accepi.

193. *Simplex*. Qui candide et sine fuco, jucunde vivit. — *Nepoti*. Prodigo.

Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis Quinquatribus, olim
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domus procul absit. Ego, utrum
Nave ferar magna, an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis aquilone secundo :
Non tamen adversis ætatem ducimus austris.
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
« Non es avarus; abi : quid? cetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exempta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti :
Tempus abire tibi est, ne potum largius æquo
Rideat et pulset lasciva decentius ætas. »

197. *Quinquatribus*. Quinquatria sive Quinquatrus erant quinque dies Minervæ festi, per quos pueri feriabantur.

200. *Unus, etc.* Sive magnis opibus utar, sive exiguis, animum æquum retinebo, non extollar, nec deprimar.

202. *Austris*. Auster, ventus a meridie flans, ater et procellosus.

203. *Specie*. Externo rerum habitu. — *Loco*. Gradu et conditione. — *Re*. Opibus.

205. *Non es, etc.* At, inquiet mihi aliquis : O Horati, satis intelligo te avarum non esse : bene est; at num ceteris omnibus vitiis cares?

208. *Miracula*. Prodigia quædam quibus terretur vulgus. — *Sagas*. Præstigiatrices veneficas : *des sorcières*.

209. *Lemures*. Larvas nocturnas et umbras. — *Thessala*. Res prodigiosas, quas magi suis incantamentis edunt. In Thessalia magi erant frequentes.

210. *Grate*. Nimirum non dolens te senem fieri, plures a te dies natales numerari.

212. *Spinis*. Vitiis.

213. *Vivere si, etc.* Si nescis vivere sapienter, locum relinque iis qui te sapientius vivunt.

216. *Pulset*. Verberet. — *Lasciva decentius ætas*. Pueri et juvenes, quos magis quam senes decent ludi.

DE ARTE POETICA

LIBER.

AD PISONES.

Ordo et synopsis totius operis.

I. Primo materiam, et partes poematis, earumque inter sese consensionem explicat a versu 1 ad 46.

II. Elocutionem, seu verborum versuumque rationem expendit a versu 46 ad 119.

III. Agit de personis, quæ inducuntur loquentes in carmine dramatico, a 119 ad 136.

IV. De moribus ætati cuilibet ac personæ idoneis disserit ad versum 189.

V. De tragœdia et comœdia seorsum disputat a 189 ad 309.

VI. Congerit præcepta quædam artis poeticæ, et ad formandum alendumque docet valere in primis naturam, artem, laborem, et accurati censoris judicium a versu 309 ad finem.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici ?
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. — Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. —
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim ;
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut

1. *Humano, etc.* Sensus est : si pictor formam aliquam ex hominum et variorum animalium membris ridicule componere velit, num, quæso, amici, admissi ad spectandum ejusmodi monstrosam speciem, a risu vobis temperare possetis ?

3. *Collatis.* Undique corrogatis, et e variis animalibus velut comportatis et collectis. — *Ut.* Ita ut.

6. *Pisones.* L. Calp. Piso, ex gente nobilissima ortus, ejusque duo filii, magnæ spei adolescentes, ad quos scripta est hæc epistola.

7. *Cujus, etc.* Cujus partes similes erunt illis monstris et figuris, speciebusque ridiculis et inter se non cohærentibus, quæ somnianti ægroto observantur : ita ut nec pes, id est, pars extrema, reddatur, id est, congruat, eidem formæ et imagini : eamdem formam efficiant.

9. *Pictoribus, etc.* At enim, inquiet aliquis, pictores, ut poetæ, facultatem habent fingendi et scribendi quidquid libuerit ; scio, respondet Horatius, et fateor, hanc illis dari veniam, sed ea tamen lege, ut ne monstra fingant, ut ne conjungantur animalia placida cum feris, v. g. agni cum tigribus, aves cum anguibus.

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque, et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus, quum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus : et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur? Amphora cœpit
Institui : currente rota, cur urceus exit?
Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti : brevis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem lævia, nervi
Deficiunt, animique; professus grandia, turget;
Serpit humi, tutus nimium, timidusque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis summa, quia ponere totum

14. *Inceptis gravibus.* Initium poematis est aliquando magnificum ; sed postea inanes quædam descriptiones ad propositum nihil pertinentes attexuntur, et ut panni purpurei vesti assuuntur.

15. *Ara Dianæ.* Erat celebris Dianæ ara in Aricino nemore.

18. *Rhenum.* Rhenus ingens fluvius Galliam inter et Germaniam fluit : *le Rhin.* — *Arcus.* Iris pluviam fere denuntiat, nec nisi roscida in nube ac stillante apparet.

19. *Sed his, etc.* Sed hæc prorsus aliena sunt ab instituto, et nequaquam in loco posita. — *Et fortasse, etc.* Tu similis es illis imperitis pictoribus, qui opprime callent arbores simulare, id est imitari, pingere.

20. *Quid hoc, si, etc.* Sed quod illud pertinet (scilicet arbores pingere posse), si pictor mercedem accepit ut alicujus naufragium in tabula adumbraret?

21. *Amphora, etc.* Metaphora ducta a formandis vasis fictilibus. Sensus est : tuum poema erat inceptum splendide et magnifice, vas aliquod magnum moliri ac fingere videbaris ; mox abis ad minutas descriptiones, quæ sunt instar urceolorum præ ingenti amphora : debebas institutam amphoram, poema bene cœptum ad finem usque eodem stylo, veluti rota currente perducere.

22. *Rota.* Utuntur figuli rota in fictilibus quasi torno fabricandis. — *Urceus.* Vasculum exiguum.

23. *Sit quodvis.* Quodlibet poema unum quiddam sit : ejus partes omnes in unum veluti coalescant corpus. Hoc primum artis præceptum. Alterum subjungit de modo componendi singulas partes.

24. *Pater.* L. Piso.

26. *Sectantem lævia.* Volentem uti ratione lævi, polita. — *Nervi.* Vires. — *Animi.* Spiritus, oratio vehemens.

28. *Serpit humi, etc.* Qui non audet altiora et sublimiora tangere, humo vel humilitati affixus manet.

29. *Qui variare, etc.* Qui oblectare cupit maxima et inaudita rerum varietate, is interdum delabitur ad res non minus absurdas, quam si delphinum piscem in silvis ludentem describeret, etc.

31. *In vitium, etc.* Culpæ fuga ducit eum in vitium, qui non utitur arte et prudentia.

32. *Æmilium, etc.* Est quidam faber ærarius, qui imam habet seu ultimam tabernam, ex iis quæ sunt circa ludum gladiatorium Æmilii. — *Imus.* Alii legunt *unus*, id est quidam vel præ ceteris.

Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
 Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, et præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
 In verbis etiam tenuis, cautusque serendis,
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter;
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta. Quid autem?
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio Varioque? Ego cur acquirere pauca
Si possum, invideor, quum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum

34. *Summa*. L'ensemble. — *Ponere*. Conficere.

35. *Hunc*. Isti fabro similem.

36. *Pravo*. Deformi.

37. *Nigris oculis*. Oculi nigri et crines apud Romanos in pretio erant.

39. *Versate*. Considerate, cogitate.

40. *Potenter*. Accommodata potestati, viribus et facultati scriptoris : *selon les forces*.

42. *Virtus*. Præcipua dos. — *Venus*. Gratia, dignitas.

44. *Præsens*. Aptum, conveniens.

45. *Amet*. Sumat tractandum, in hoc moretur, aliud probet, aliud rejiciat.

46. *In verbis*. Primum præceptum elocutionem spectans, seu verba et versus. — *Tenuis*. Parcus, modestus. — *Cautus*. Prudens, subtilis. — *Serendis*. Novandis, fingendis, et quasi producendis, ut fruges satione gignuntur.

47. *Dixeris*, *etc*. Ea voce uti poteris commode, quam nova et ingeniosa junctura reddet veluti novam, licet constet e notis et antiquis vocabulis.

48. *Si forte*, *etc*. Si fuerit necesse verbum aliquod recens procreare ad rem aliquam significandam.

49. *Indiciis*. Vocabulis quæ sunt rerum signa. — *Abdita rerum*. Res abditas et ignotas veteribus.

50. *Fingere*, *etc*. Si est opus fingere quasdam voces non auditas, ignoratas priscis Romanis etiam disertissimis, qualis erat M. Cornelius Cethegus, quem laudat Cicero in Bruto. — *Cinctutis*. Vox vetus, pro cinctis, sive indutis cinctu qui erat priscorum Romanorum vestis.

51. *Continget*. Fieri hoc poterit, licebit uti verbis ejusmodi factis : continget fabricari nova vocabula. — *Pudenter*. Parce, verecunde.

52. *Habebunt fidem*. Valebunt, probabuntur, auctoritatem obtinebunt, si e græca lingua derivata sint, et modice deflexa.

53. *Quid autem*, *etc*. Cur Romani dabunt et concedent Cæcilio et Plauto, veteribus poetis comicis, aliquid, quod negent Virgilio et Vario?

55. *Acquirere*, *etc*. Paucis verbis augere et ditare linguam latinam.

56. *Invideor*. Præ invidia vetor, cur moleste feror? — *Catonis*. Duo fuere Catones, alter senior, sive Censorius; alter ejus nepos, Uticensis dictus : de utroque facta in Odis mentio. — *Enni*. Ennius poeta latinus vetus fuit, de quo dictum prima hujus libri epistola.

Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.
Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisve diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius; mortalia facta peribunt;
Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.
Res gestæ regumque ducumque, et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo:
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,

59. *Signatum*. Recens veluti cusum proferre et usurpare, ut recentem nummum: vocem quam usus præsens comprobat.

60. *Ut silvæ, etc.* Ordo est ac sententia: quando silvæ mutantur foliis, seu amittunt folia, singulis annis pronis, et in finem vergentibus, id est, autumno exeunte.

61. *Prima cadunt*. Folia, quæ prima nata sunt, cadunt ante alia.

63. *Sive receptus, etc.* Ostendit obiter omnia esse morti obnoxia, etiam opera maxima et regifica; quorum tria hic delibat ab Augusto perfecta. Hic agitur de Portu Julio in Lucrino lacu ab Agrippa facto.

64. *Neptunus*. Mare. — *Classes aquilonibus arcet*. Inversa constructio pro, aquilones a classibus arcet.

65. *Regis opus*. Regale opus: tanti sumptus, ut nemo alius id efficere posset, nisi cui regiæ imperatoriæve essent opes. — *Palus*. Pomptina palus sive Pomtina, in Latio, inter fluvios Asturam et Amasenum, per curam Augusti exsiccata.

67. *Amnis*. Tiberis qui, quum sæpe exundans agros vicinos, ipsiusque urbis partem mergeret, ab Augusto derivatus est in aliam partem, et priorem alveum deserere coactus, molibusque objectis repressus.

69. *Nedum*. Multo certe minus.

71. *Usus*. Loquendi consuetudo.

72. *Quem penes, etc.* Qui jura sermoni et leges pro imperio arbitrioque ponit.

74. *Quo*. Nempe versu heroico et grandiori, qualis vulgo hexameter.

75. *Versibus, etc.* Querelæ seu res lugubres inclusæ primum sunt versu elegiaco, mox etiam sententia, id est, argumentum, seu res lætæ et prosperæ, quæ nos voti compotes faciunt.

77. *Quis, etc.* Ordo est: tamen adhuc certant inter se grammatici, et nondum definita hæc atque dijudicata lis est, quis primus auctor et inventor elegiæ fuerit. — *Exiguos*. Tam ob versus impares, quam quod carmina elegiaca breviora esse solent.

79. *Proprio*. Quem invenit, et quo usus est in Lycamben, cujus filiam Neobulem uxorem expetebat, sed ab ea repulsus, tam amaros in eumdem iambos scripsit, ut ipsum coegerit laqueo vitam finire.

80. *Hunc, etc.* Iambum pedem et versum sumpsere sibi comœdiæ et tragœdiæ. *Socci* sunt humiliores calcei quibus utebantur actores comœdiarum;

Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere, malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comœdia tollit;
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus et Peleus, quum pauper et exsul uterque,
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Cothurni altiores, quos tragœdi induebant.

81. *Alternis, etc.* Quia mutuis colloquiis est idoneus, et pronuntiari facile atque audiri ob gravitatem quamdam potest in theatro, ubi strepitus ingens.

82. *Natum rebus agendis.* Aptus ad acta hominum verbis describenda.

83. *Musa, etc.* Musæ voluerunt ut referrentur, seu canerentur fidibus, id est, versu lyrico, divorum laudes et heroum, qui sunt deorum filii, victoriæ pugilum, curæ ludicræ juvenum, bacchicæ cantilenæ liberiores.

84. *Pugilem.* Vocabantur pugiles ii qui pugnis et cæstibus certabant, seque dejicere alter alterum nitebantur in certaminibus Olympicis. — *Primum.* Ceteris celeriorem in curuli certamine.

85. *Libera vina.* Vel vina quæ animum a curis liberant, vel compotationes in quibus convivæ liberius genio indulgent.

86. *Vices, etc.* Ordo est : si ego nequeo et nescio servare istam carminum varietatem ab Musis et usu ipso præscriptam, ita ut unumquodque opus et argumentum suo colore adumbrem, id est, suo exponam carmine, cur poeta dicor?

88. *Pudens prave.* Male et perperam verecundus.

89. *Non vult.* Non debet.

90. *Privatis.* Nihil altum et heroicum sonantibus, sed sermoni propioribus et humilioris argumenti. — *Prope socco dignis.* Ad argumenta, quæ in comœdia tractantur, prope accedentibus.

91. *Cœna Thyestæ.* Argumentum tragicum, qualis est cœna Thyestæ, cui suus filius epulandus appositus est.

93. *Vocem tollit.* Grandiori stylo et versibus sonantioribus utitur.

94. *Chremes.* Senex in comœdia terentiana. — *Delitigat.* Acriter litigat, et in filium furit. Vide actum 5 *Heautontimorumeni* Terentii.

95. *Pedestri.* Versibus iambicis humilioribus et negligentius factis, quales a comicis fere usurpantur. Hoc probat exemplis Telephi et Pelei.

96. *Telephus.* Rex Mysiæ fuit, qui, quum transitum Græcis Trojam petentibus negasset, ab Achille vulneratus est, regnoque pulsus, mox tamen veniam a Græcis petens restitutus, et rubigine, quam ex Achillis hasta eraserat, sanatus est. — *Peleus.* Peleus Achillis pater, ab Æaco suo parente ob fratrem interfectum, exsulare est jussus.

97. *Projicit.* Abjicit, non utitur ampullatis et sonantibus, longis et magnificis verbis, si vult auditores ad commiserationem suis versibus querulis movere. — *Ampullas.* Ampulla proprie est vas angusto collo, sed ventre capaciore et turgido : hinc translate dicuntur *ampullæ* verba turgida, ventosa, magnifica. — *Sesquipedalia verba.* Longiora.

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocumque volent animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu : male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, lasciva; severum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum : juvat, aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore gravi deducit, et angit:
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum Davusne loquatur, an heros,
Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,

99. *Pulchra.* Pulchre et eleganter scripta, ad regulam exacta. — *Dulcia.* Miserationem moventia.

101. *Adsunt.* Reddunt se statim similes. Legunt alii *adflent.* Sententia est, nos in aliorum animis facile motum excitaturos quem ipsi prius in nobis effecerimus.

104. *Mandata.* Impositos tibi et mandatos ad recitandum versus. — *Male.* Ab inepto poeta.

107. *Lasciva.* Jocosa, ludicra : *enjoués, badins.*

108. *Format enim, etc.* Ostendit cur verba sint affectibus accommodanda. Natura enim animo nostro *prius*, id est a primo ejus ortu inserit animi affectiones quæ vim suam in omni fortunæ statu, conditione et mutatione exserunt.

109. *Juvat.* Suaviter sensus afficit.

110. *Ad humum deducit.* Affligit, prosternit.

112. *Si dicentis erunt, etc.* Si verba non respondebunt fortunæ et conditioni ejus qui loquitur.

113. *Equites peditesque.* Culti homines et inculti ; omnes ac singuli.

114. *Davusne.* Servus aliquis vafer et perfidus.

116. *Nutrix.* Mulier cui parvulorum cura demandata est. Tales quoque vocabantur mulieres feminis principibus ad honorem, consilium, et custodiam appositæ : *des suivantes, des confidentes.*

118. *Colchus.* Colchis est Asiæ regio ad Pontum Euxinum, barbara et veneni ferax. Assyrii sunt in eadem Asia ad meridiem, molles et voluptatibus dediti. Thebani in ea Græciæ parte sunt, ubi aer crassior homines tardiores et hebetiores facit. Argivi, in Peloponneso, generosi habebantur, et ambitiosi. — *Assyrius.* Od. 4, lib. 3. — *Thebis.* Od. 3, lib. 4. — *Argis.* Od. 6, lib. 1.

119. *Aut famam, etc.* O scriptor, o poeta, si quam personam repræsentas fama notam, sequere illa quæ vulgo de ipsa dicuntur, illam exhibe talem, qualem fuisse fama prædicat : si fingis novam personam, et ignotam, cura ut quæ de illa fingis, constent sibi, et conveniant.

120. *Honoratum.* Illustrem, jam carminibus celebratum. — *Reponis.* Ab Homero aliisque dictum, exhibes iterum, in scenam inducis. — *Achillem.* Lib. 1, od. 5, 7, 9, 13. Lib. 4, od. 4.

Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenæ committis, et audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere : tuque
Rectius iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim :
« Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum. »
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

122. *Jura*, *etc.* Affirmet leges non sibi esse factas et impositas, sed aliis : se legibus hominum cæterorum solutum dicat. — *Nihil non*, *etc.* Omnia se consequi per vim et arma posse putet.

123. *Medea*. Od. 3, Epod. et App. c. 18. — *Ino*. Cadmi filia, Athamantis uxor fuit, quæ, maritum furiosum fugiens, una cum filio suo in mare se præcipitavit.

124. *Ixion*. Uxoris suæ patrem per fraudem interemit. — *Io*. Inachi primi Argivorum regis filia, quam Jupiter in vaccam mutasse fertur : eadem, œstro ab Junone immisso agitata, multas orbis regiones peragravit, ac tandem in Ægyptum venit, ubi culta est pro dea. App. c. 10 et 19. — *Orestes*. Agamemnonis filius, matrem Clytæmnestram interemit, ac furiis agitatus est. V. App. c. 16.

125. *Inexpertum*. Ea vox passivam hic significationem habet, intentatum ; personam novam, a te primum inventam.

126. *Ad imum*. Usque ad finem poematis.

127. *Incepto*. Initio. — *Sibi constet*. Sit semper idem, a suis moribus non recedens.

128. *Difficile est*, *etc.* Hortatur poetas ad trita et nota argumenta tractanda : quia, inquit, plus est in iis tractandis difficultatis et gloriæ, quam vulgo creditur, si quis ea proprio quodam ac peculiari modo tractare velit, tuque commodius feceris, quicumque tragœdiam meditaris, si tibi sumas argumentum ex Homeri Iliade notissima, quam si fingas aliud ignotum et indictum, id est, non dictùm, non tractatum ab aliis. Porro publicum et commune argumentum privati juris ac proprium efficies, si non hæreas in vili orbe et cyclo, etc.

132. *Orbem*. Erat apud Græcos liber quidam omnium fabularum seriem quamdam usque ad Ulyssis reditum in patriam, complectens paucis verbis et sine ornatu. Hinc librum vocabant ἐπικὸν κύκλον, quasi *orbem* seu *circulum poeticum*, qui omnia contineret argumenta carminum.

133. *Nec verbum*, *etc.* Si quem imitaris, v. g. Homerum non interpretis ritu, exscribes omnia sic, ut verbum græcum, v. g. latino reddas : neque etiam (dum illum quem imitaris, veluti totidem passibus sequeris) deduci te patieris in aliquem angustum difficilemque locum, unde regredi sine pudore non possis, nec vero debeas, si legem tibi a te ipso impositam, et operis totius filum institutumque iter sequaris.

136. *Scriptor cyclicus*. Poeta qui ex illo libro, quem *Epicum orbem* sive *Cyclum* appellatum fuisse diximus, poematis sui sumpserat argumentum : vel, circumforaneus scriptor, qui in circulis sua carmina recitaret.

138. *Feret*. Afferet, producet. — *Hiatu*. Tam magnificis promissis, exordio tam splendido.

139. *Parturiunt*, *etc.* Nota Æsopi fabula.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte!
« Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes. »
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et, quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulæa manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, « Vos plaudite, » dicat:
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.

140. *Hic*. Homerus.

141. *Dic mihi, Musa, virum, etc*. En tres primi Odysseæ versus latinis numeris ab Horatio sed non ad verbum expressi. — *Virum*. Ulyssem.

143. *Non fumum, etc*. Non id agit Homerus ut splendida exordia præponat poemati, daturus deinde fumum, id est, descensurus ad res humiles et viles narrandas; sed ex fumo, post exordium obscurum, vulgare, meditatur grandia et splendida subtexere.

145. *Antiphaten*. Fuit Antiphates Læstrygonum rex, homines vorare solitus, quem vix effugit Ulysses præcisis navigii retinaculis. — *Scyllam*. Monstrum marinum canibus succinctum. *Charybdis* vero monstrum alterum fuit seu vorago tetra in freto Siculo e regione Scyllæ. — *Cyclope*. Polyphemo, qui tres Ulyssis socios devoravit, et ab eo inebriatus occæcatusque est: de quo fuse Homerus.

146. *Nec reditum, etc*. Non accersit longe poematis exordium, ut ille poeta qui narraturus Diomedis reditum in patriam, incipit ab Meleagri interitu, qui frater fuit Tydei, ex quo Diomedes natus.

147. *Nec gemino, etc*. Fingunt poetæ Clytæmnestram, et Helenam, quæ causa fuit belli trojani, natas fuisse ex ovo uno.

148. *Ad eventum*. Ad rerum finem. — *Et in medias res, etc*. Et omissa rerum antecedentium narratione, quasi jam notæ essent, rapit statim auditorem in medias res.

150. *Relinquit*. Omittit penitus ac silet ea quæ ornari non possunt, quæ minime lectorem moveant aut delectent.

151. *Mentitur*. Ingeniose fingit.

154. *Si plausoris, etc*. Si expetis spectatorem qui plausu tuam fabulam, id est, tragœdiam vel comœdiam approbet, qui maneat, id est, exspectet, donec aulæa sive peristromata, quibus ornari scena solet, tollantur ea finita, qui eo usque sedeat, non ante exsurgat abeatque, quam aliquis actor, seu præco dimittens spectatores, eos solenni voce ac formula compellet, Plaudite. — *Aulæa*. Vide epist. I. lib. 2.

157. *Mobilibus naturis*. Hominum ingeniis et studiis, quæ cum ætate et annis mutantur. — *Decor dandus*. Tribuendum est id quod decet et convenit.

158. *Reddere, etc*. Puer qui jam articulate loquitur, ac firma humi ponere vestigia per ætatem potest.

159. *Paribus*. Cum æqualibus.

160. *Iram colligit ac ponit*. Repente irascitur ac facile placatur.

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas, animusque virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori;
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide, gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
Ipse sibi tradit spectator: non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.

161. *Custode*. Moderatore, pædagogo.

162. *Canibus*. Venatione. — *Campi*. In campo Martio sub urbis mœnia juvenes exercebantur cursu, saltu, disco.

163. *Cereus*. Facilis, mollis instar ceræ.

164. *Utilium*, *etc*. Tarde providens et comparans ea quæ utilia sint ipsi futura. — *Prodigus æris*. In sumptum prodigus.

165. *Sublimis*. Elatus, arrogans. — *Pernix*. Celer.

166. *Conversis*. Mutatis, dissimilibus. — *Studiis*. Propensionibus, curis, occupationibus, consiliis.

168. *Cavet*. Timet, fugit : cavet ne quid faciat cujus pœnitere possit, quod infectum et mutatum velit.

170. *Quærit*. Subaudi opes.

171. *Ministrat*. Administrat, gerit.

172. *Spe longus*. Suas spes in longum ducens, raro desperans. — *Iners*. Ob virium defectionem rebus gerendis minus aptus.— *Avidusque futuri*. Vitæ longioris cupidus.

173. *Difficilis*. Morosus.—*Querulus*. Assiduo de sorte sua querens.

174. *Se puero*. Temporis pristini quod actum est, ac præteritum quod fluxit, quum esset ipse puer. — *Minorum*. Juniorum, qui minorem sua ætatem habent.

175. *Anni venientes*. Crescentes, juveniles. Anni autem venire dicebantur usque ad ætatem virilem, inde recedere.

177. *Mandentur*. Affingantur.—*Partes*. Personas, mores.

178. *Semper in adjunctis*, *etc*. Semper eorum, quæ cuique ætati adjuncta et apta sunt, id est conveniunt, rationem habebimus.

179. *Aut agitur*, *etc*. Aliquæ res et actiones in theatro exhibentur et aguntur, aliquæ narrantur tantum gestæ ab aliis extra scenam. Plus movent illæ quæ videntur, segnius quæ audiuntur : non tamen exhibendæ sunt actiones quædam tetræ atque immanes ; sunt enim illæ digniores quæ intus, clam et post scenam gerantur.

181. *Fidelibus*. Qui rem fideliter exhibent.

182. *Sibi tradit*. Videndo : non accipit ab aliis, audiendo.

184. *Facundia præsens*. Persona in scenam prodiens, vox præsentis actoris.

Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus :
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, et spectata reponi.
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et hæreat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amicis,
Et regat iratos, et amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mensæ brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis;
Ille tegat commissa, deosque precetur, et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
  Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque, foramine pauco
Adspirare, et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu,
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,

185. *Pueros*. Medea filios duos, quos ex Jasone susceperat, coram ipso interfecit.

186. *Exta*. Viscera.— *Humana*. Filiorum fratris Thyestæ.

187. *Progne*. Quæ quum Ityn filium Tereo marito suo comedendum apposuisset, in hirundinem est mutata. — *Cadmus*. Senio confectus in draconem mutatus est.

188. *Incredulus odi*. Quæcumque hunc in modum exhibes, aversor et odio habeo.

190. *Reponi*. Iterum exhiberi, quamvis jam spectata fuerit.

191. *Intersit*. In scenam inducatur, et per machinam aliquam e cœlo descendat. —*Nisi, etc*. Nisi occurrat aliqua actio difficilis quæ solvi et explicari non possit, quin vindex, interpres, et quasi servator deus accedat : qui fabulam quasi perituram servet, vindicet in libertatem, nodo et vinculo soluto.

192. *Quarta*. Tres tantum personæ loquantur in singulis scenis.

193. *Actoris, etc*. Chorus locum et partes unius actoris tueatur et obtineat, sit instar personæ gravis, honestæ, virilis et cordatæ, neque inter actus aliquid canat, quod toti fabulæ non appositum sit, quod alienum sit ab argumento. — *Chorus*. Erat hominum multitudo, virorum ac mulierum quæ intererat scenæ, et in actionem tragicam se interponebat.

196. *Bonis faveat*. Laudet homines probos. — *Consilietur*. Det consilium.

197. *Peccare, etc*. Viros innocentes a peccato abhorrentes. Alii legunt : *pacare tumentes*, id est flectere superbos.

198. *Brevis*. Frugalis et parcæ; vel victus tenuis qui brevi tempore sumitur.

199. *Otia*. Subaudi amet, laudet. pacem commendet quæ securos patentibus urbium portis cives præstat.

200. *Tegat*. Ne prodat, ne aperiat arcana sibi credita.

201. *Fortuna*. Felix nempe et secunda.

202. *Tibia, etc* Non olim erat tibia, ut est nunc, vincta et ornata circulis quibusdam ex orichalco factis; non erat ingens et tubæ par, sed tenuis erat ac ejusmodi ut adspirare, seu canere, et juvare chorum posset, audirique per sedilia in quibus erant spectatores non nimis spissi et frequentes, atque adeo numerari faciles. —*Orichalco*. Orichalcum est æris genus quoddam splendidum, et auri fulgorem imitans.

206. *Quo*. In quem locum, ad quæ sedilia. — *Numerabilis*. Populus adeo paucus ut facile posset numerari.

Et frugi, castusque, verecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps,
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit; eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.

207. *Frugi*. Probus. — *Coibat*. Conveniebat, confluebat.

208. *Victor*. Romanus.

210. *Placari, etc.* Postquam cœptum est vino indulgeri, potari de die liberius, impune et sine legum metu. — *Genium*. Deum putabant esse vitæ singulorum hominum præsidem, amantem voluptatis et deliciarum, quia illis maxime fovetur vita; illum placari et conciliari vino et comessationibus; unde genio indulgere, est capere dulcia, obsequi animo. — *Impune*. Aliis enim diebus, quam festis, non licebat de die convivia celebrare, sed tantum sub vesperam.

211. *Numeris*. Versibus. — *Modis*. Cantui, musicæ.

212. *Saperet*. Quem tenere modum posset? an se modeste ac sapienter poterat gerere multitudo conflata ex rusticanis, etc.

214. *Motum*. Gestus incompositos, saltationem.—*Luxuriem*. Ornatum elegantiorem et supervacaneum, sumptus, copiam et luxum in ornandis tibiis, in vestiendis histrionibus, etc.

215. *Traxit*. Cum longa veste, per pulpita, id est, scenam et locum in ea destinatum histrionibus vagatus et spatiatus est.

216. *Fidibus, etc.* Citharis quoque antea gravibus ac severis additæ sunt chordæ, ac voces novæ; ut foramina fuerunt addita tibiæ.

217. *Et tulit, etc.* Facundia seu oratio, quæ olim erat modeste eloquens, jam præceps et incitata protulit, attulit novam eloquentiam; sonantior et ambitiosior facta est.

218. *Divina*. Præsaga. Futura prædicens.

219. *Sortilegis non discrepuit, etc.* Non discrepuit (ob vehementius dicendi genus et obscuritatem) ab oraculis et vaticiniis quæ Delphis edebantur.—*Delphis*. Delphi urbs Phocidis in Græcia, ubi templum Apollinis celeberrimum.

220. *Carmine, etc.* Id est, qui primus scripsit et invenit tragœdiam. *Hircus* enim, sive ut alii volunt, uter factus hircino e corio, vino plenus, erat præmium illorum, qui tragœdias scriberent. Hinc natum tragœdiæ nomen a τράγος, *hircus*, et ᾠδή, *cantus*, *carmen*, *cantilena*.

221. *Mox, etc.* Non ita multo post inventam tragœdiam, adhibuit ejus inventor inter actus singulos et nudavit, seu nudos introduxit Satyros, seu ridiculas quasdam personas instar Satirorum et aliorum ejusmodi agrestiorum deorum compositas, quæ risum moverent et asperitatem serii ac severi carminis exhilararent : ita tamen ut sua maneret incolumis et salva esset tragœdiæ gravitas. —*Et asper, etc.* Et quum esset ipse asper, id est, ejus carmen et tragœdia essent seria et severa, tentavit illis sales et suavitatem aspergere, etc.

224. *Functus sacris*. Defunctus sacrificiis. — *Potus*. Epulatus, ebrius. — *Exlex*. Sine lege; erat enim magna in illis diebus festis licentia.

Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragœdia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos, famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem : tantum series, juncturaque pollet!
Tantum de medio sumptis accedit honoris!
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis ac pæne forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.

225. *Verum, etc.* Tamen ita decebit commendare Satiros et seriis admiscere ludicra, ne vel deus vel heros aliquis, in scenam productus, et modo regali magnificentia conspectus, descendat ad humiliora dicteria, qualia in obscuris tabernis audiuntur.

231. *Effutire, etc.* Tragœdia, indigna quæ versus leves effutiat, ac temere petulanterque garriat. Sententia est, raro Satiros in tragœdia esse admiscendos.

232. *Jussa.* Vulgo puellæ in religiosa festorum dierum hilaritate saltare jubebantur; interdum matronæ per pontifices delectæ, ut in festis Cybeles.

233. *Intererit Satyris.* Immiscebitur Satyris, versabitur inter Satyros.

234. *Inornata.* Non elegantiore significatione usurpata. — *Dominantia.* Propria, quibus utitur vulgaris sermo.

235. *Satyrorum scriptor.* Si Satyros scriberem.

236. *Nec sic, etc.* Neque tamen in isto carmine quod Satyros vulgo vocant, sic adhibebo sermonem a tragico sermone differentem et quasi discolorem, ut idem sit sermo actorum omnium et personarum comœdiæ, et eodem modo in ea loquatur deus aliquis, v. g. Silenus Bacchi custos, ac Davus, nempe servus comicus, aut Pythias, ancilla comica, quæ talentum dolo abstulerit ab hero suo Simone. *Emungere aliquem argento* est locutio terentiana, pro, auferre et extorquere per fallaciam.

240. *Ex noto.* Id potius observabo in istis Satyris et jocis componendis, ut e rebus et actionibus notis et vulgaribus fingam carmen, ita quidem ut quivis speret se idem facile fingere posse.

242. *Tantum series juncturaque pollet.* Tam multum a rebus bene dispositis et scite inter se junctis laus scriptoris pendet.

243. *Tantum de medio, etc.* Tam multum valet ars qua rebus vulgaribus paratur honor, id est pulchritudo, elegantia.

244. *Silvis, etc.* Quum agrestes personæ in scenam inducentur, velut e silvis deductæ, caveant ne tanquam urbani scurræ, in mediis triviis ac foro nati lasciviant, et excultis versibus ac politulis juveniliter garriant. — *Fauni.* Od. 18, lib. 3.

247. *Crepent.* Loquantur, ore putido proferant. — *Ignominiosa.* Contumeliosa.

Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res;
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accrescere jussit
Nomen iambeis, quum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex;
Et data romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager, scribamque licenter? An omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniæ cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos, exemplaria græca

248. *Quibus est equus, etc.* Equites romani, nobiles et locupletes.

249. *Ciceris.* Est cicer leguminis genus, quo pauperes vescebantur.

250. *Æquis animis accipiunt.* Patienter audiunt.

251. *Subjecta.* Postposita

252. *Unde etiam, etc.* Eo quod iambus citus et celer sit, factum est ut versus iambei, licet senos ictus reddant, sex pedibus constent, tamen trimetri nominentur quasi tres tantum mensuras habeant, et duo pedes iambi pro una censeantur mensura. — *Accrescere.* Addi, imponi.

253. *Senos ictus.* Quum versus metiebantur Romani et audiebant eorum pedes singulos, pedum plausu ictuque aut micantibus sonantibusque digitis numerabant.

254. *Primus ad, etc.* Olim pes iambus a prima parte versus, usque ad extremam erat similis sibi, nempe unus et idem iambus: totus versus constabat e meris pedibus iambis: at non ita pridem recepit instar benigni et commodi hospitis in jura paterna, in sedes quas a patre et inventore suo acceptas tenebat, spondeos stabiles, id est, graviores, non ita citos, nempe ut plus haberet gravitatis, ut tardius et lentius pronuntiaretur: non ita tamen admisit spondeum, ut de secunda sede, aut quarta cederet; ut eas socio et hospiti suo concederet, sed illas sibi retinuit.

256. *Stabiles.* Æquabiliter nixos ac firmos, iambus veluti claudus est, et altera syllaba impar, constans nempe brevi et longa.

258. *Hic.* Pes iambus. — *Acci.* Accius et Ennius veteres poetæ latini, in scribendo negligentiores.

260. *Magno cum pondere.* Spondeis tardioribus.

261. *Aut operæ celeris, etc.* Aut nimiæ festinationis ac negligentiæ, aut artis poeticæ ignorantiæ.

263. *Immodulata.* Suis pedibus modulisque carentia: *sans nombre et sans cadence.*

264. *Venia indigna.* Qua digni non erant.

265. *Vager.* Scilicet ab artis præceptis. — *An omnes, etc.* An sciam omnes peccata mea visuros, et tamen non accuratius scribam, tutus et securus, quia mihi spes est veniæ?

267. *Vitavi, etc.* Si tamen non licenter scribam, culpam certe, id est reprehensionem, effugiam, non idcirco laudem et præmium merebor.

268. *Vos, etc.* At vos, Pisones, nolite illa poetarum romanorum licentia uti, sed contra græcos scriptores usque et usque legite.

Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego, et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicæ genus invenisse camenæ
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis
Qui canerent agerentque, peruncti fæcibus ora.
Post hunc, personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his comœdia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ;
Nec minimum meruere decus, vestigia græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisque potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
quemque poetarum limæ labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non

270. *Plautinos*. Epist. I, lib. 2.

271. *Utrumque mirati*. Numeros Plauti seu versus; sales seu jocos illiberales.

272. *Si modo, etc*. Siquidem ego et vos, o Pisones, scimus scurriles facetias ab lepidis et honestis distinguere, et metiri versus eorumque numeros deprehendere.

275. *Ignotum, etc*. Thespis poeta græcus dicitur primus invenisse camenam seu carmen tragicum antea ignotum: tragœdiæ inventor fuit, et imposuit plaustris homines rusticos recitantes poemata et agentes, qui larvæ loco sibi vultum perungebant vindemiæ fæcibus, lib. I. Epist. 1.

278. *Post hunc, etc*. Post Thespim, Æschylus, poeta græcus, invenit et dedit suis actoribus personam, seu larvam, *un masque*, et pallam seu longiorem vestem, honestam; *une robe traînante*: idem theatrum exstruxit et tignis imposuit, cothurnos addidit et grandiora verba.

281. *Successit, etc*. Post Thespim et Æschylum, poetæ, omissis tragicis argumentis, contulerunt se ad hominum vitia nominatim et palam carpenda, et in scenam inducenda. Hoc fecit comœdia vetus: de qua vide satiram 4, lib. 1.

282. *In vitium, etc*. Vitiosa evasit licentia dicendi, et in maledicendi consuetudinem delapsa est, tanta cum procacitate et violentia, ut eam comprimendam esse legibus homines putaverint.

284. *Turpiter obticuit*. Quippe sublatus est. — *Jure*. Potestate, facultate.

285. *Nil intentatum, etc*. Nostri poetæ græcarum et aliarum fabularum genera tentaverunt.

286. *Vestigia, etc*. Postquam imitari Græcos desierunt, et romanas res celebrare versibus cœperunt.

288. *Prætextas*. Latinas fabulas et tragœdias in quibus agunt nobiles personæ et heroicæ. — *Docuere*. Egere, scripsere. — *Togatas*. Fabulas latinas in quibus plebeiæ erant personæ, ideoque comœdias.

289. *Virtute*. Bellica.

290. *Lingua*. Eloquentia. — *Si non offenderet*. Nisi poetas plerosque omnes deterreret labor.

291. *Limæ*. Limandi carminis et poliendi.

292. *Pompilius sanguis*. O Pisones, qui originem ducitis a Numa Pompilio.

Multa dies et multa litura coercuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego lævus,
Qui purgo bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata; verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes; quid alat, formetque poetam:
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte sapere est et principium et fons.
Rem tibi socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis; ille profecto
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ morumque jubebo

293. *Coercuit*. Emendavit, correxit.

294. *Præsectum, etc*. Ita ut illud carmen præsectum decies, *dix fois rogné*, sit castigatum *ad unguem*, id est perfectissime. Metaphora ducta a statuariis, qui opus, quod lævigant et expoliunt, ne quid asperitatis in eo remaneat, unguibus percurrunt et explorant.

295. *Ingenium*. Quia dixit Democritus poetas ingenio magis, quam arte, fieri et valere, et negat eos poetas esse satis bonos, qui non tantisper insaniant: hinc fit ut magna pars vatum, tanquam si essent insani, barbam non tondeant, non secent ungues, fugiant hominum consortia.—*Misera*. Invalida.

296. *Helicone*. Mons Bœotiæ fuit in Græcia Musis sacer.

297. *Democritus*. Philosophus græcus, Abderæ natus, qui omnia solebat ridere, ut omnia deflebat Heraclitus, alter philosophus. Ep. 12, lib. 1.

298. *Balnea vitat*. Vel ne sordes illuviemque deponat: vel, quia in balnea solent homines undique convenire.

300. *Si tribus Anticyris, etc*. Caput, cui sanando vix sufficeret elleborum vel in tribus insulis Anticyris natum, si tres essent insulæ. Anticyra est insula in mari Ægæo notissima. Ibi frequens nascebatur elleborum, quo purgantur furiosi et insani.

301. *Licino*. Licinus tonsor adeo Augusto carus fuit, ut in senatum ab eo sit cooptatus. — *O ego lævus*. Næ ego sum parum prudens qui, etc.

304. *Nil tanti est*. Poetæ nomen non tanti facio.

306. *Munus et officium*. Scilicet recte scribendi.

307. *Opes*. Scilicet poeticæ, copia, ubertas.

308. *Virtus*. Ars, doctrina, severum studium. — *Error*. Inscitia, temeritas.

309. *Sapere*. Sapientia, mens recta et sapiens, fons est et principium bene scribendi.

310. *Rem*. Præcepta morum, sententias suppeditabit philosophia. — *Socraticæ*. Od. 15, lib. 3.

311. *Verbaque, etc*. Ubi materiam scribendi recte provisam et comparatam habueris, verba ipsa et locutiones offerent se sponte.

314. *Conscripti*. Senatoris.

317. *Respicere, etc*. Præcipio illud

Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugæque canoræ.
  Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem, nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. « Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse?—Triens.—Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?—
Semis. » An, hæc animos ærugo et cura peculi
Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et lævi servanda cupresso?
  Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris;
Nec, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis;

In primis ut poeta imitetur accurate mores et vitam hominum quotidianam, ac proinde illam respiciat et cognoscere studeat, et inde veras imagines effingat.

319. *Speciosa locis*. Conspicua et locuples sententiis et rebus quas tractat. — *Morataque recte*. In qua recte et vere expressi sunt mores hominum.

320. *Nullius veneris*. Carens elegantia. — *Sine pondere*. Nullius momenti, vel carens sonantibus et numerosis versibus.

323. *Ore rotundo*. Eleganter, ornate, numerose.

324. *Præter laudem, nullius avaris*. Cupidis, avidis nullius rei, nisi laudis.

325. *Longis rationibus*. Implexis supputationibus.

327. *Albini*. Cujusdam fœneratoris. — *Quincunce*. De quinque unciis.

328. *Superat?* Superest, remanet? — *Poteras dixisse?* An posses, potes respondere? — *Triens*. Tertia pars assis quatuor unciæ. *As* in duodecim partes sive uncias dividebatur. — *Eu!* Hoc ille dicit qui filium Albini interrogasse fingebatur. Estque græca vocula, εὖ significans, *belle*, *euge*; *præclare dicis*.

329. *Rem*. Opes. — *Redit*. Addatur quincunci.

330. *Semis*. Sex unciæ, media pars assis. — *Ærugo*. Proprie est vitium et rubigo æris. Avaritia hic significatur. — *Peculi*. Pecuniæ. Est proprie peculium, pecunia quædam proprio labore parta, præsertim a servo vel filio familias.

332. *Cedro*. Oleo cedrino, quia cedri succus et oleum cariem arcet. — *Cupresso*. Scrinio cupressino, quia cupressus blattas et tineas arcet. — *Lævi*. Lævigato.

337. *Manat*. Effluit, excidit. Omnia, quæ sunt supervacua, non influunt in pectus jam plenum et exsatiatum. Metaphora ducta a vase pleno, in quod nihil amplius infundi potest.

338. *Ficta, etc*. Quæ delectationis causa finguntur, debent esse vero similia, neque fabula seu poeta petere debet a spectatore ut credat sibi dicenti, quodcumque libuerit, quamlibet sit incredibile. Erant *Lamiæ* monstra quædam, mulierum specie, quæ pueros blanditiis allectos vorare credebantur. Lamia, *une sorcière*.

341. *Centuriæ*. Sensus est: senes improbant carmina inutilia, non morata: at juvenes, equites (dicti *Rhamnes* vel *Rhamnenses* sub Romulo) aspernantur gravia et severa.

Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.
   Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et
Poscentique gravem persæpe remittit acutum; [mens,
Nec semper feriet, quodcumque minabitur arcus.
Verum, ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis; quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem :
Sic mihi, qui multum cessat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura, poesis erit, quæ, si propius stes,
Te capiet magis, et quædam, si longius abstes.
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen;
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
   O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus juris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti

342. *Celsi*. Elati, arrogantes.—*Prætereunt*. Nil morantur, nil curant.

343. *Punctum*. Judices olim suffragia sua notabant punctis in tabella scriptis : itaque *ferre omne punctum*, est, omnibus suffragiis probari : auferre, promereri omnium approbationem.

345. *Meret, etc.* Talis liber promeretur æra, pecuniam Sosiis (erant illi bibliopolæ insignes), illos ditat.

346. *Prorogat ævum*. Nam præstantes poetæ etiam mortui vivunt.

347. *Velimus*. Oportet, æquum est.

350. *Minabitur*. Promittet.

353. *Quid ergo?* Quænam ergo servanda est in eo regula?

354. *Ut scriptor, etc.* Quemadmodum non ignoscimus librario scriptori, id est, illi qui manu libros describit, si semper eadem in re peccat, licet monitus, etc.; sic poeta qui multum cessat, id est, peccat, negligentior est, mihi fit Chœrilus, a me comparatur Chœrilo illi malo poetæ, quem miror, si bis terve commode scribat.

357. *Chœrilus*. Poeta malus, cui nummum aureum dabat Alexander, si bonum scripsisset versum; colaphum, si malum : colaphis enectus periisse fertur.

359. *Quandoque*. Quandocumque, quotiescumque. — *Bonus*. Præstantissimi ingenii poeta.

361. *Ut pictura, etc.* Est similis picturæ poesis; alia eminus, alia cominus placet.

366. *O major*. O Pisonum ætate provectior.

367. *Ad rectum*. Ad perfectam poeticæ laudem informaris.

368. *Tolle*. Tene memoria hoc præceptum. — *Certis, etc.* In quibusdam artibus mediocritatem tolerari.

370. *Abest, etc.* Ab eloquentia Messalæ oratoris, ea tempestate disertissimi, longe abest, distat.

Messalæ, nec scit quantum Casselius Aulus;
Sed tamen in pretio est. Mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et sardo cum melle papaver,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis;
Sic animis natum inventumque poema juvandis,
Si paulum a summo discessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ:
Qui nescit, versus tamen audet fingere! — Quidni?
Liber et ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni. —
Tu nihil invita dices faciesve Minerva:
Id tibi judicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer, interpresque deorum,
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus,

371. *Aulus*. Aulus Casselius, jurisconsultus doctissimus.

373. *Di*. Apollo, Musæ. — *Columnæ*. Librariorum pilæ ad quas librorum venalium nomina prostabant.

374. *Discors*. Male concinens.

375. *Crassum*. Obtusi et mali odoris, pingue, et adipatum: caput ungebant sibi convivæ unguento subtili, aquæ instar rosaceæ. — *Sardo*. Amaro: quia erant in Sardinia herbæ amarissimæ, unde apes mel conficiebant asperum et amarum.

376. *Duci*. Produci, grata esse.

377. *Juvandis*. Delectandis.

378. *Summo*. Perfecto. — *Imum*. Deterrimum.

379. *Campestribus armis*. Disco, hasta, etc, quibus in campo Martio se juvenes Romani exercebant.

380. *Trochi*. Trochus ad ludum puerilem est excogitatus.

381. *Coronæ*. Spectatores densi, in orbem et coronam circumstantes. — *Impune*. Merito.

382. *Quidni?* Est objectio. Cur ego, inquiet aliquis imperitus, versus non faciam, præsertim quum sim liber, ingenuus, id est, ortus e liberis parentibus; et census, id est, compertus in censu et censorum lustratione, habere summam equestrem, quæ in eo requiritur, scilicet qui eques rom. esse velit, nempe quadraginta millium æris (circiter 80,000 fr.).

385. *Tu nihil, etc.* Responsio est. Alii sane licere sibi putent scribere, modo sint liberi, ingenui, probi; at tu hoc satis esse ne crede; opus est ad id quoque genio quodam peculiari, faveat oportet Minerva præses artium, qua invita tibi sum auctor nihil ut facias et moliaris.

386. *Id tibi, etc.* Scio te satis esse consultum ut id faciendum tibi putes quod suadeo: qua es mente et prudentia, id facies: tamen si quid scripseris, fac illud audiat expendatque tanquam judex. — *Metii*. Erat is criticus emunctæ naris. Sat. 10, lib. 1.

388. *Prematur*. Servetur, lateat.

389. *Intus*. In scrinio, in penetralibus.

390. *Edideris*. Vulgaveris, in lucem edideris. — *Vox missa*. Carmen editum.

391. *Silvestres*. Feros, in silvis degentes, nondum exstructis urbibus.

392 *Fœdo*. Glandibus constante, etc. — *Orpheus*. Is musicus et poeta insignis fuit, genere Thrax, Calliopes et Apollinis filius. — *Deterruit*. Abduxit, avertit.

Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones;
Dictus et Amphion, thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in martia bella
Versibus exacuit; dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est; et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, et cantor Apollo.
  Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit;
Abstinuit venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse: « Ego mira poemata pango;
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,

394. *Dictus, etc.* Narrant quoque Amphionem exstruxisse Thebas saxis lyra motis, ita ut aliis alia se sponte superponerent: fuit ille Jovis et Antiopæ filius, vates et musicus præstantissimus.

396. *Sapientia, etc.* In eo consistebat omnis olim philosophia, nempe ut publica bona a privatis dividerentur, ut sacra a profanis distinguerentur, etc.; hoc autem vates factitabant, unde erant in pretio, quasi homines divini et sapientes.

399. *Incidere.* Insculpere. — *Ligno.* Ligneis tabulis.

402. *Tyrtæus.* Fuit poeta atheniensis, luscus et claudus, qui dux Lacedæmoniis bellum contra Messenios gerentibus oraculo datus, ita suis versibus militum animos accendit, ut insignem de hoste victoriam retulerint. — *Mares.* Viriles, generosos.

403. *Sortes.* Oracula versibus ab Apolline reddita fuere.

404. *Via, etc.* Moralis philosophiæ præcepta versibus conscripta sunt.

405. *Pieriis.* Od. 2, lib. 4. — *Tentata.* Quæsita, collecta.

406. *Finis.* Reperta fuit oblectatio post longos labores, fessos animos poetico ludo, comœdiis cantilenisque recreando. — *Ne forte, etc.* Te hortatus sum, o major Pisonum, ut in poeticam incumberes, ne forte te pudeat musæ. — *Lyræ solers.* Lyræ perità. — *Cantor Apollo.* Qui arti canendi præest.

409. *Quæsitum est.* Hæc agitata est inter peritos controversia, num plus ad bonum carmen faciendum valeret ars quam natura. — *Vena.* Ingenio benigno et locuplete.

410. *Alterius.* Naturæ ars, artis natura opem postulat.

411. *Conjurat.* Conspirat ad laudem carminis.

412. *Qui studet, etc.* Qui in ludis Olympicis cupit alios cursu vincere, et ad metam primus pervenire, et quum adhuc esset puer, multa tulit, etc.

414. *Pythia.* Proprie carmina in honorem Apollinis qui serpentem Pythonem occiderat: præterea Pythia vocabantur quædam cantica in choris comœdiarum usitata.

417. *Occupet, etc.* Proverbium quoddam a pueris ductum, scabiem impre-

Et, quod non didici, sane nescire fateri. »
Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poeta,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-
noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim: « Pulchre, bene, recte! »
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Ut, qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus; si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares: « Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc. » Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra: delere jubebat,

cantibus ei, qui ultimus ad metam pervenerit.

419. *Ut præco, etc.* Ordo est: poeta dives agris et nummis fœnori datis, jubet ad se venire domum suam assentatores quibus laudet venditetque sua carmina, lucro et præmio illis, id si faciant, proposito: ut præco evocat populum ad auctionem et ad emendas cum lucro merces.

421. *Si vero est, etc.* Sin autem est ille poeta satis dives et liberalis, ut lauto convivio possit illos assentatores excipere, vadem se offerre pro paupere, cujus pauperis levis et suspecta est fides, etc., mirabor si possit mendacem adulatorem ab vero distinguere.

422. *Unctum.* Lautum obsonium, splendidum convivium. — *Recte.* Cum magno apparatu, ut decet liberalem convivatorem. — *Ponere.* Mensis apponere, convivis offerre.

423. *Atris.* Misere vexantibus. Alii legunt *arctis.*

426. *Donaris.* Si quid muneris dederis alicui, aut dare volueris.

427. *Ad versus, etc.* Ad audiendos versus a te compositos. — *Plenum, etc.* Ob munus a te acceptum.

429. *Pallescet, etc.* Ad hæc carmina tua rapi se in admirationem finget, et pæne a sensibus abduci, quo tempore pallet vultus, etc.

430. *Rorem.* Lacrimulas præ gaudio. — *Tundet, etc.* Exsiliet, saltabit.

431. *Conducti.* Romani habebant certos homines in funeribus qui pretio plorarent, et gemitus miserabiles ederent, maxime mulieres, quas præficas appellabant.

432. *Dolentibus, etc.* Quam qui vere dolent.

433. *Derisor.* Assentator. — *Movetur.* Laudat, probat.

434. *Urgere, etc.* Multis cyathis seu poculis invitare, et quasi tormentum seu quæstionem illis adhibere quos velint scire an sint amicitia sua digni; quippe quum vino maduerint, facile eorum detegunt indolem, ebrius enim celare nihil solet. — *Culullis.* Cululli, fictiles sunt calices: urceoli, pocula.

437. *Sub vulpe.* Sub astutæ vulpis pellicula, sub callido pectore.

438. *Quintilio.* Erat ille Quintilius Varus poeta eximius et censor sincerus: ejus mortem deflet, lib. 1, od. 20. — *Sodes.* Oro te, quæso.

439. *Posse.* Scribere.

Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; non dicet: « Cur ego amicum
Offendam in nugis? » Hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana;
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimes versus ructatur et errat,
Si, veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet, « Succurrite, » longum
Clamet, « Io cives! » non sit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre et demittere funem,
« Qui scis an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? » dicam, siculique poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam

441. *Male tornatos*. Impolitos, infabre factos. — *Incudi reddere*. Metaphora ducta ab artifice qui ferrum male elaboratum incudi rursus imponit.

442. *Defendere*. Excusare.

444. *Rivali*. Æmulo. Nemo enim reperitur qui deformes et male tornatos versus amet.

447. *Signum*. Lituram. — *Ambitiosa*. Plus pompæ ac splendoris, quam rei et veritatis habentia.

450. *Aristarchus*. Fuit grammaticus clarissimus et acerrimus, qui in eo maxime operam posuit, ut germanos Homeri versus e spuriis, qui in ejus opera irrepserant, distingueret. — *Nec dicet, etc*. Non castigabit poetam lenius, aut illius delicta dissimulabit; ne amicum offendat in nugis: hæc enim delicta non sunt adeo levia, et in vera mala poetam deceptum ducent, quum eum semel deriseris assentando, nec recte, utque verum et candidum amicum decet, cum eo egeris.

453. *Ut mala, etc*. Ordo est: omnes ... sapiunt, fugiunt vesanum poetam, ...m, non secus atque illum, quem scabies inquinat. — *Morbus regius*. Icterum vocant, sive auriginem: Gallice, *la jaunisse*.

454. *Fanaticus*. Vocabantur fanatici qui a Diana seu luna percussi credebantur dementia, quæ illos huc illuc errantes ageret et vagos; dicebantur ab luna, lunatici: fanatici vero, ab fanis seu templis quorum in foribus vulgo stabant, aut stipem ab hominibus petituri, aut diis supplicaturi.

456. *Agitant*. Instant. — *Incauti*. Parum sibi caventes ab impetu quem furiosus facere possit.

457. *Hic*. Poeta vesanus. — *Dum sublimes, etc*. Dum versus judicio suo egregios et sublimes, quia sublato in cœlum vultu, erecto capite, buccis tumidis crepat illos ac fundit, errans temere huc illuc, si decidit in puteum vel foveam, ut auceps merulis capiendis intentus, etc.

462. *Qui scis an, etc*. Quomodo scio an se dejecerit ultro, sponte sua, et non velit perire?

463. *Siculi poetæ*. Scilicet Empedoclis, agrigentini philosophi et poetæ.

Insiluit. Sit jus, liceatque perire poetis.
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosæ mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet : utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus : certe furit, ac velut ursus,
Objectos caveæ valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

467. *Idem, etc.* Idem facit atque ille qui eum occideret. Hellenismus.

468. *Hoc fecit.* Ille poeta dejecit se in foveam

469. *Homo.* Fiet sanior et cautior. — *Famosæ.* Ex qua sibi, ut Empedocles, gloriam et immortalitatem quærit.

470. *Nec satis.* Horatius aliam rationem affert, cur ei succurrendum non sit : quia forte ille poeticus furor in pœnam scelerum ipsi est immissus, v. g. quod paternum sepulcrum et cineres dissipaverit ac violaverit, quod bidental calcarit : est autem *bidental* locus ictus fulmine, qui apud veteres Romanos erat religiosus sacerque fiebat, ara exstructa et peracto sacrificio ex ovibus bidentibus, unde nomen ductum : eum porro locum nefas erat ingredi vel calcare.

472. *Incestus.* Impius, flagitiosus.

473. *Caveæ clathros. Les barreaux de sa loge.*

474. *Acerbus.* Importunus, pertinax.

475. *Arripuit.* Veluti per vim ad se recitantem audiendum perpulit.

476. *Non missura cutem, etc.* Ut hirudo, quæ cutem non prius dimittit, quam cruorem multum plena ebiberit; sic importunus poeta non prius auditorem dimiserit, quam omnes versus recitaverit. — *Hirudo.* Sanguisuga, *une sangsue.*

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS.

ODÆ.

SATIRÆ.

EPISTOLÆ.



INDEX CHRONOLOGICUS

ODARUM

OSTENDENS QUO QUÆQUE ANNO SCRIPTA FUERIT.

Id ostendi satis commode non potest, quin exponatur breviter ea pars romanæ historiæ, in quam Horatii vita incidit. Nihil ferme scripsit ante annum ætatis 21, qui fuit urbis conditæ 710, Octavii Cæsaris 19. Ab eo igitur anno ducimus initium.

Anno urbis conditæ DCCX, Horatii 21. Cæsar interfectus est in senatu a conjuratis. Eodem anno Tiberis exundans partem urbis evertit; icta fulminibus crebris templa; et alia id genus prodigia contigere, quæ describit Horatius od. 2 libri primi, *Jam satis*, *etc.*

Anno urbis conditæ DCCXIV, Horatii 25. Reversus Romam Octavius quum ab Antonio dissideret, pax inter utrumque componitur Brundusii per communes amicos, eo Roma profectos. Eorum unus Mæcenas fuit, quem Horatius est comitatus, ut narrat satira 5, lib. I. Per idem tempus Pacorus, Orodis, Parthorum regis, filius, magnas clades Romanis intulit in Syria. De illo meminit od. 6, lib. III.

Anno urbis conditæ DCCXVI, Horatii 27. Bellum in Sicilia gestum est, magno apparatu, inter Sex. Pompeium et Octavium. Ad hoc non leve momentum attulit Menas, sive Menodorus, Pompeii libertus ditissimus et audacissimus, qui cum parte classis defecit ad Cæsarem : idem tamen, sequenti anno, rediit ad Pompeium : ac paucis post mensibus iterum Cæsari se adjunxit. In eum est ode 4 libri epodon, *Lupis et agnis*, *etc.*, circa hoc tempus scripta. Quo eodem tempore scriptam apparet oden 7 ejusdem libri, *Quo, quo scelesti ruitis*, *etc.*, in qua bellum civile detestatur.

Anno urbis conditæ DCCXVIII, Horatii 29. Victus ab Octavio consiliis et fortitudine Agrippæ, in freto Siculo, Sex. Pompeius, ad Antonium fugit, a quo post paulo interfectus est. Marcus Antonius a Parthis varie est victus : Parthorum rex Phraates erat, cujus mentionem facit od. 2, lib. II. Ad hoc tempus pertinet od. 5, lib. II. *O sæpe mecum*, *etc.* Item 5 libri I qua laudat Agrippam, *Scriberis Vario*, *etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXII, Horatii 33. Antonius, Octavia repudiata, Cæsaris sorore, bellum indicit Cæsari, qui confestim in Epirum cum expedita classe advolat. Referri ad hunc annum possunt ode 1 libri Epodon, *Ibis Liburnis*, *etc.*, et *Altera jam*, *etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXIII, Horatii 34. Commisso navali

prælio ad Actium in sinu Ambracio, fugientem cum suis navibus Cleopatram secutus Antonius victoriam Cæsari facilem concessit. Hanc victoriam celebrat vates, ode penultima libri 1, *Nunc est bibendum, etc.*, et 8 libri epodon, *Quando repostum, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXVI, Horatii 37. Octavius, exstinctis anno 724 Antonio et Cleopatra, redacto in ordinem Lepido, clauso Jano, triplici triumpho et aliis honoribus affectus, templum hoc anno Apollini, cujus præsidio tot res præclare gestas in primis tribuebat, in Palatio dedicavit; addiditque insignem in vicina porticu bibliothecam. De hoc templo meminit Horatius, ode 25 libri primi, *Quid dedicatum, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXVII, Horatii 38. Octavius Cæsar, quum nomen Augusti a senatu delatum accepisset, venit in Gallias cum exercitu, transiturus inde in Britanniam, ut eam armis perdomaret : sed Britanni, missis ad eum legatis in Galliam, pacem oraverunt. Ad hunc annum pertinet ode 28, lib. I, *O diva gratum, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXVIII, Horatii 39. Augustus in Hispaniam venit, ubi Cantabri et Astures rebellabant. Victi hostes, hoc et sequenti anno, terra marique : sed Augustus ex nimio labore morbum contraxit, anno 729, Romamque subinde repetens, bellum C. Antistio et Carisio absolvendum reliquit. His annis scriptæ sunt od. 4, lib. II, *Septimi Gades, etc.*, et 8 ejusdem libri, *Quid bellicosus Cantaber, etc.* Item 10 libri II, *Herculis ritu, etc.* Nec non 7 ejusdem libri, *Martiis cœlebs, etc*

Anno urbis conditæ DCCXXX, Horatii 41. Ælius Largus ab Augusto missus in Arabiam, exercitum eo duxit. Circa hoc tempus fuit scripta ode 23 libri I. *Icci beatis, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXXI, Horatii 42. Tiridates, ante annos septem rex creatus a Parthis (pulso ab illis in exsilium Phraate ipsorum legitimo rege, ob ejus sævitiam), Romam venit, suppetias ab Augusto petiturus contra eumdem Phraatem, qui restitutus in regnum a Scythis fuerat. De Parthis, et eorum domesticis seditionibus, Horatius sæpe meminit, ut ode 20 libri I, *Musis amicus, etc.*, et 2 lib. II, *Nullus argento, etc.*, et aliis passim. Eodem anno Augustus sibi substituit L. Sestium consulem, ad quem scribitur ode 4 libri I, *Solvitur acris hiems, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXII, Horatii 43. Fannius Cæpio et Licinius Muræna, quum in Augustum conspirassent, supplicio affecti sunt. Murenæ frater erat Proculeius; de quo agit libri II ode 2. Ad eumdem Licinium scriptam esse oden ejusdem libri 7, *Rectius vives, Licini, etc.*, quidam volunt.

Anno urbis conditæ DCCXXXIII, Horatii 44. Consul creatus est cum Q. Æmilio Lepido M. Lollius: quem Horatius laudat ode 8 libri IV, *Ne forte credas, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXXIV, Horatii 45. Phraates, rex Parthorum, ab Augusto pacem rogavit, et illi romana signa, r

captivis, ultro restituit. Hanc victoriam incruentam, quam sola nominis sui fama retulerat Augustus, celebrat vates, ode 5 libri 3. *Cœlo tonantem, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXXV, Horatii 46. Eunti Athenas Virgilio bene precatur amicus vates, ode 3 lib. I, *Sic te diva potens Cypri, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXXVI, Horatii 47. De Cantabris ab Agrippa domitis mentio est in ode 7 lib. III, *Martiis cælebs, etc.* Laudat Agrippam, od. 5 lib. I, et alias passim.

Anno urbis conditæ DCCXXXVII, Horatii 48. Ludi sæculares Romæ, Augusti jussu, celebrati sunt insigni pompa. Exstat edita tunc temporis ode horatiana, quæ sæculare carmen inscribitur, *Phœbe silvarumque, etc.* Non multo ante scriptæ sunt etiam ode 18 libri I, *Dianam teneræ, etc.*, et 5 libri IV, *Dive, quem proles, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXXXIX, Horatii 50. Rhæti et Vindelici, ad Alpium radices positi, quum crebris incursionibus Italiam vexarent, a Druso et Tiberio, per Augustum huc missis, magna clade non semel affecti sunt. Eosdem Rhætos et Vindelicos, ac vicinos aliquot Germaniæ populos, Drusus debellavit anno 742. Laudes utriusque prosequitur Horatius, ode 3, lib. IV, *Qualem ministrum, etc.*, sed Drusi præcipue in hac ode 3, Tiberii vero in ode 1 ejusdem libri, *Quæ cura patrum, etc.*

Anno urbis conditæ DCCXLI, Horatii 52. Augustus Romam e Galliis rediit. Eum diutius pro suorum votis morantem, urget vates, ode 4 libri IV, *Divis orte bonis, etc.* Ejusdem reditum ac victoriam, ludis et varia lætitiæ publicæ significatione, celebravit Julius Antonius prætor, Marci Antonii Triumviri filius, hortatusque Horatium erat, ut in idem argumentum versus scriberet: cui respondet Horatius, ode 1 libri IV. *Pindarum quisquis, etc.* Circa idem tempus editam quoque fuisse apparet oden ultimam libri IV. *Phœbus volentem, etc.*, quæ laudes Augusti complectitur.

Anno urbis conditæ DCCXLVI, Horatii 57. Mortui Romæ sunt Mæcenas et Horatius, et in Esquiliis sepulti.

Aliæ Odæ, quarum nulla nominatim facta mentio est in hoc indice, aut quo scriptæ sint anno incertum est, aut ex aliqua earum vocula fieri conjectura facile potest, ad quem annum sint referendæ.